
37
6 C
9



DE BONO DE MALO DE PULCHRO
LIBRI TRES

AUCTORE

ANDREA SPAGNIO
SACERDOTE FLORENTINO



EDITIO SECUNDA RETRACTATIOR







ROMÆ MDCCLXXVI.



Typis Archangeli Caſaletti ad S Euſtachium.

SUPERIORUM PERMISSU.



S. FRANCISCO XAVERIO

SODALI . E . PRIMIS . ET . SECTATORI

S. IGNATII LOYOLÆ

APOSTOLO . ORIENTIS

ANDREAS . SPAGNIUS

LIBELLUM . SUUM

DE . BONO . MALO . ET . PULCHRO

UTI . NOVUM . OBTULERAT

ITA . SECUNDIS . CURIS . RETRACTATUM

HONORIS . ERGO

DONAT . ITERUM . CONSECRAT . QUE

PATRONO . ET . AUSPICI . STUDIORUM .

LIBENS . MERITO



ANDREAS SPAGNIUS
LECTORI S. D.



Oni, Mali, & Pulchri legitimas notiones animo informare permagni interest, cum Bonum quidem & Malum sint duo oppositi fines, quos disciplinæ omnes propositos habent, ut ab altero caveant, & alteri quam possunt accedant: Pulchrum vero non solum universa quam late patet scientia, sed quævis artes tam sollicite inquirunt, ut sine illo duce aut comite conspectum hominum vereantur. Quamobrem cum distinctas de singulis lucubrationes, quas in publicam lucem decem ab hinc annis emisi, alicujus usus apud harum rerum studiosos noverim fuisse, novam earum editionem exhibeo permultis accessionibus locupletem, & in pluribus melius dispositam. Additiones præcipuæ in libro de Bono sunt circa naturalem felicitatem, quæ homini in hac vita possit contingere, & circa naturam bonitatis moralis. In duas hujus species, intrinsecam alteram, alteram extrinsecam copiosius inquiro: & intrinsecam quidem planum

fa.

facio non dependere ab ullius lege vel opinione, & perperam ab aliquibus confundi cum bono utilitatis: extrinsecæ vero originem & fundamentum ostendo haberi in lege Dei positiva contra id, quod Divinæ Revelationis osores Deistæ & alii Increduli conantur sibi & aliis persuadere. In libro de Malo distinctе magis declaro mala naturalia humanæ vitæ non esse plura oppositis bonis, & non pauca addidi circa singulas propositiones de malo tam naturali quam morali. In libro tandem De Pulchro nova sunt, disquisitio in bonum rerum gustum utpote rem cum pulchritudine connexam, & propositio quæ negat ex pulchritudine hominis corporea quicquam inferri posse pro bonis aut malis ejusdem moribus. Hæc habui, de quibus te Benevole Lector certiorem esse volui. Vale

Libros quos de Bono Malo & Pulchro, olim censui dignos typis digniores jam reputo, postquam ex mandato Reverendissimi Patris Magistri Sacri Palatii Apostolici, vidi Cl. Auctores additiones & alias in melius mutationes iisdem factas.

Romæ apud SS. Vincentium & Anastasium in Trivio die 31. Augusti 1775.

Thomas Gabrini Clericorum Reg. Minorum Lector emeritus & Parochus ejusdem Ecclesiæ.

REIM-

REIMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendissimo Patri Sacri Palatii Apostolici Magister.

Franc. Ant. Marcucci ab I. C. Episc. Montis Alti Vicesgerens.

REIMPRIMATUR.

Fr. Thomas Augustinus Ricchinius Ord. Præd. Sac. Pal. Apost. Magister.

ORDO LIBRI DE BONO

SECTIO III. De bono in se & bono alteri.

SECTIO IV. De bono honesto delectabili & utili.

SECTIO V. De bono honesto naturali, & de illo morali, quod est objective honestum per se.

ART.

SECTIO IX. De bono delectabili.

SECTIO X. De bono utili.

SECTIO XI. De bono honesto delectabili & utili inter se comparatis.

SECTIO XII. De naturali felicitate hominum dum vivunt.

ART.

ORDO
LIBRI DE MALO

SECTIO IV. De Caussâ efficiente mali metaphysici.

SECTIO V. De caussâ efficiente mali proprie talis.

SECTIO VI. De Caussâ efficiente & finali mali naturalis.

SECTIO VII. De caussâ efficiente & finali mali naturalis.

SECTIO VIII. Corollaria circa subjectum, & causam efficientem finalem & formalem mali.

OR-

ORDO

LIBRI DE PULCHRO

SECTIO IV. De iis quae pertinent ad notiones pulchritudinis spiritualis & corporeae.

SECTIO V. De Bonitate divisionis pulchritudinis in spiritualem & corpoream.

SE-

SECTIO VI. De Bonitate divisionis pulchritudinis corporeæ in visibilem duntaxat & audibilem.



DE



DE BONO

AUTHORE

ANDREA SPAGNIO



PRÆFATIO.

1. BOnum dari extra controverſiam eſt. Certi enim ſumus ex intima experientia eſſe in nobis inclinationem naturalem in aliqua objecta ſive ſpiritualia, ut ſcientiam, ſive corporea, ut ſanitatem: ſed quod appetitur, eſt bonum: ergo datur bonum. Hinc merito S. Auguſtinus dicit, (1) *negari bonum eſſe niſi ſtulte, atque imperite prorſus non poteſt*. Accedit teſtimonium Sacræ Scripturæ, ex qua habemus (2) Deum vidiſſe ſingulas res a ſe creatas eſſe bonas. Quid autem ſit bonum, non ita facile explicatur. Quare idea Boni eſt una ex illis, quæ in omnibus tam doctis, quam indoctis aliquo modo reperitur; Nam ſi omnes appetunt bonum, neceſſe eſt illud aliquo modo concipiant, cum nihil ſit volitum, quin præcognitum. At an eadem ſit etiam in omnibus clara, equidem dubito. Obſervamus enim non raro accidere, ut re aliqua in medio poſita non ſolum judicia

 homi-

(1) S. Aug. Enchir. cap. 2. (2) Geneſ. 1.

hominum circa illam varia sint, verum etiam opposita, ajentibus his, negantibus illis eam esse bonam, etiamsi illi remoti esse videantur ab omnibus causis, quæ rectum & verum judicium possent impedire. Audimus Isaiam clamare, (1) *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum*. Novimus Salomonem commendari, quod postulaverit a Domino, (2) *ut posset discernere inter bonum, & malum*, nec sibi, ut ait S. Ambrosius, (3) *usurpavit, ut Adam, boni & mali scire distantiam, sed intelligendæ ejus gratiam oravit*. Quod exemplum in mentem revocat tristem primorum hominum casum, qui desiderio acquirendi scientiam boni & mali (4), qua primus mendax Diabolus promiserat ipsos potituros per vetiti fructus comestionem, quasi quodam ariete e statu innocentiæ in illum damnationis misere fuerunt deturbati. Verum si clara dicenda est hujusmodi idea, quemadmodum iterum iterumque contendit Cardinalis Pallavicinus, illam collocans in earum numero, quæ per se notissimæ sunt (5), certe quidem apud indoctos tam longe abest, ut distincta illa sit, ut Socrates apud Platonem queratur esse etiam Philosophos, qui boni quidem exempla, nullam vero certam atque communem ejus notionem proponebant. Ad hanc igitur acquirendam primo contendam, eaque stabilita eas, quæ ipsi subiiciuntur species, adnotabo: de quibus omnibus deinceps singulatim est differendum.

SECTIO I.

Definitiones & Divisiones Boni.

ARTICULUS I.

De Bono in genere.

2. BOni etimologia ignota fuit ipsis Latinis, cum dicat M. Piso apud Tullium, (6) *Bonum ex quo appellatum sit, nescio*. Hoc quidem nomine vulgo appellatur id, cujus attributa positiva saltem per rationem nostram distincta sibi invicem & toti conveniunt. Quare Bonitas significat convenientiam, quam inter se habent unum & alterum saltem per rationem nostram invicem distincta. Allatam definitionem hujus nominis Bonitas esse communem, planum erit, ubi ostendam illam esse definitionem rei. Solum hic ad-

(1) Isai. 5. 20.
(2) 3. Reg. cap. 3. v. 9.
(3) S. Ambros. in Psal. 108. ser. 18 n. 47.
(4) Genes. 3. v. 5. 18.
(5) Pallav. de Bene lib. 2. cap. 7. Id. de Act. hu. lib. 1. n. 1. pag. 1. Id. in 1. 2. dist. 1 art. 2.
(6) Tull. de Fin. lim. 4. n. 26.

adverto cum Suarez (1), vocabulum convenientiæ interdum ſumi pro eo, quod alicui perfectionem aliquam, & quaſi utilitatem affert, interdum vero pro eo, quod eſt conſentaneum naturæ, etiamſi nullum illi commodum afferat. Sic maxime convenien Deo dicitur misereri, & liberaliter ſe communicare, non quia Divina Natura perfectionem aliquam de novo acquirat, ſed quia illud proportionatum eſt ejus perfectioni, & magnitudini. In hoc ſecundo ſenſu, non vero in primo ſumitur convenientia in generica boni definitione.

3. Bonum primo dividitur cum Ariſtotele (2) in verum, & apparens. Verum dicitur illud, quod tale in re eſt, quale æſtimatur: apparens vero quod æſtimatur quidem, non tamen eſt in re. Quot autem modis dividi poteſt bonum verum, totidem dividi poteſt apparens; Nam in omni ſpecie boni error, & falſa exiſtimatio poteſt intervenire, & in ordine ad movendum appetitum æquali fere modo ſe habet utrumque bonum; Nam bonum verum non aliter movet, quam prout apprehenditur, & judicatur eſse bonum: ergo bonum etiam verum in ordine ad movendum appetitum convenit cum bono apparenti, quod pariter movet appetitum, in quantum judicatur eſſe bonum. Quamobrem ad ſe revera optime rediiſſe comprobavit Horatianus ille mente captus (3)

Qui ſe credebat miros audire Tragœdos,
In vacuo lætus ſeſſor, plauſorque theatro:

quando tandem cognatorum opibus, & vi medicamentorum expulſa inſania, malo omnium maxime oppoſito perfectioni naturæ rationalis.

... pol me occidiſtis amici,
Non ſervaſtis, ait, cui ſic extorta voluptas,
Et demptus per vim menti gratiſſimus error.

At cum bonum, quod in ſe tale eſt, poſſit vividius cognoſci, & firmius judicari eſſe bonum, quam illud, quod in ſe tale non eſt, magis quandoque bonum verum movebit appetitum, quam moveat bonum apparens: quemadmodum majus, & certe magis conſtans eſt gaudium naſcens ex poſseſſione veri boni, quam apparentis dumtaxat, cujus exiſtentia nequit eſse nec diuturnior, nec robuſtior errore quo producitur, qui accedente vera cognitione illico evaneſcit.

4. Non placet Jo: Gottliebo Heineccio hæc diviſio, immo eam vocat ineptam, quia (4) inquit *bonum adparens eſt verum malum, &*

 malum

(1) Suar. in 1. 2. tract. 3. diſp. 2. ſec. 2. num. 13.
(2) Ariſtot. Ethic. lib. 3. cap. 4. juxta Maurum.
(3) Hor. lib. 2. Epiſt. 2.
(4) Hein. Elem. Phil. Mor. § 143.

malum adparens est verum bonum. At nunquid quia amicus non est, qui talis alicui apparebat visus a longe, necessarium est ut sit inimicus? aut quia non est ex Inferis Dæmon id, quod alteri videbatur esse, sequitur esse unum ex cælitibus? Male igitur eo modo reiicitur prædicta divisio. Praeterea axioma est sine controversia receptum, non posse voluntatem bonum qua bonum aversari, nec malum qua malum amplecti: ergo cum quotidie accidat, ut aliqui ruant in scelera, quæ sunt vera mala, necesse est ut non solum ea illis non appareant mala, sed etiam bona. Opportuna igitur quin immo necessaria est divisio boni in verum & apparens.

ARTICULUS II.

De Bono in se, & Bono alteri.

5. Bonum tam verum, quam apparens dividitur in bonum in se, & bonum alteri. Bonum in se significat id, cujus attributa positiva per rationem dumtaxat nostram distincta sibi invicem & toti conveniunt. Ita anima rationalis est in se bona, quia vis intelligendi volendi, & alia similia, quæ per nostrum modum cogitandi in illa, & ab illa distinguuntur, sibi invicem & toti animæ conveniunt. Ita pariter homo est aliquod in se bonum, quia sibi invicem conveniunt corpus illud, & illa anima propria hominis, quæ etsi realiter inter se distinguantur, attamen relate ad hominem, seu compositum humanum distinguuntur solum per rationem.

Bonum vero alteri significat id, quod alteri a se realiter distincto convenit. Ita quæcunque a nobis prorsus distincta adhibemus ad victum & vestitum, bona nobis sunt.

6. Definitiones sunt juxta aliorum acceptionem. Sic Polmanus dixit, (1) *Bonum est ens conveniens sibi alterive*. Et Durandus statuit. (2) *Formalis ratio boni est ratio convenientis, ita quod bonitas est formaliter ipsa convenientia*: qui deinde advertit, (3) *bonum per prius dici de eo, quod est conveniens rei intrinseca, & per habitudinem ad tale bonum dici de iis, quæ conveniunt rei extrinseca*. Quod jure observat, quandoquidem boni nomine absolute prolato intelligi solet bonum in se, & cum bonum alteri volumus significare, hoc ipsum additum exprimimus.

Quare Bonitas in se significat convenientiam, quam inter se habent illa, quæ per rationem nostram tantummodo distinguuntur

(1) Polm. Breviar. Theolog. par. 1. 2. num226.

(2) Duran. in 2. sent. dist. 33. q. 2. n. 22.

(3) Id, ibid. qu. 2. num. 5.

tur. Horum convenientia cum sit intrinseca ipsi enti, bonitas in se est intrinseca enti. Bonitas vero ad alterum significat convenientiam, quam habent inter se illa, quæ realiter invicem distinguuntur. Atque hæc dici potest contraria ratione bonitas extrinseca.

7. Heineccius dicens, (1) *bonum appellamus quicquid rem conservat ac perficit*, attulit definitionem, quæ utpote pertinens ad solum bonum alteri, nequit esse definitio boni in genere, sicut ille supponit. Quare cum in numero plurali dicit, appellamus, loquitur vel de se ipso tantum, vel de paucis secum sentientibus, inter quos sunt Antonius Genuensis, qui eadem fere verba habet (2), & Malebranchius, qui bonitatem dixit, (3) *in ea convenientia consistere, qua res nobis congruunt*. Et ante hos Buffierius, qui operose contendit illud dici bonum, quod conducit ad alicujus felicitatem, ita ut (4) *siquid*, inquit, *esset, quod nullo modo ad ullius satisfactionem concurreret, illud nullum jam haberet characterem, aut gradum bonitatis*.

Yvon autem, qui articulum *de Bono* accusatum de Epicureismo ab Abrahamo Chaumeix (5) scripsit in Gallica Encyclopædia, bonitatem ad alterum dixit (6) consistere in ordine & relatione, quam unum habet ad alterum: quæ definitio ex subjecta quidem materia, de qua ibi agit, cognoscitur conspirare in illam jam positam, sed attentis verbis convenit etiam malo ad alterum, cujusmodi est supplicium, quod certe dicit ordinem, & relationem ad alterum; & malum profecto illi est, qui eo afficitur.

8. Bonum in se dividitur in illud, quod est bonum per se, seu a se, seu per essentiam, & illud quod est bonum per participationem, seu ab alio. Primum est solus Deus: secundum est quævis creatura. *Nam* (7) *omnes creaturæ*, inquit S Augustinus, *habent quoddam bonum suum, integritatis suæ, & perfectionis naturæ suæ*.

Divisio est communis apud Philosophos cum Aristotele (8), & Boetio (9), & apud Theologos cum S. Dionysio (10), vel Auctore libri de Divinis Nominibus, & S. Augustino (11), qui frequens in ea est. Audiatur S. Augustinus cujus sunt prædicta etiam nomina

(1) Hein. Elem. Phil. Moral. §. 142.
(2) Gen. Elem. Metaph. par. 2. propos. 64. & 65.
(3) Malebr. Inquis. Verit. lib. 1. ca. 2. num. 2. §. Sed vero.
(4) Buff. Premi. Verit. n 18. col. 651.
(5) Chan. Preiugez contre l' Encyclo. lib. 2. sec. 2. par. 2. cha. 1. art. 1. num. 3.
(6) Yvo. Encycl. art. Bon.
(7) Aug. in Psal. 102. num. 8.
(8) Arist. lib. 1. magn. Moral. juxt. Maurum cap. 2. n 4.
(9) Boet. lib. de Hebdom. ca. 2.
(10) Diony. cap. 1. & 4.
(11) Aug. lib. 8. de Trin. cap. 3. Id. quæst. 83. qu. 24. Id. serm 29. n. 1.

na (1). *Sententia Catholicæ disciplinæ aliud dicit bonum, quod summe ac per se bonum est, & non participatione alicujus boni, sed propria natura, & essentia, aliud quod participando bonum & habendo: habet autem de illo summo bono, ut bonum sit, in se tamen manente illo, nihilque amittente*. Eamdem divisionem observante non semel eodem S. Doctore (2) insinuavit etiam Christus Dominus, qui bonum per se expressit, ubi dixit, (3) *Nemo bonus, nisi solus Deus*; quoniam (4) *bonum quo bonum est, ipse sibi est: homo autem cum bonus est, ab illo bonus est, quod a se ipso esse non potest*. Quare in sensu etiam opposito ad bonum per se sumi potest, quod idem Dominus malos vocaverit ipsos Apostolos, quos alloquebatur dicens (5), *Vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris*. Idem autem volens significare bonum per participationem alibi dixit hominem bonum, (6) *Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona*.

9. Bonum alteri dividitur in bonum honestum delectabile & utile. Hæc divisio communis est cum S. Thoma (7) post Aristotelem (8). Ea etsi cadat etiam in bonum in se, præcipue invaluit circa bonum alteri, tum quia ratio boni, quæ explicatur per convenientiam, clarius nobis se prodit, dum termini, qui inter se habent hujusmodi convenientiam, sunt realiter distincti, quam cum distincti solum sunt per rationem, ita ut credam equidem primam ideam boni, sicut & mali ab externis rebus, quæ nobis prosint, vel nocent, excitari: tum quia de bono Philosophi disputant non eo principaliter fine, ut illud cognoscant, quam ut illud sibi comparent & applicent. Ceterum quod divisio illa cadat etiam in bonum in se, fit planum ex eo, quod ut ait Suarez (9), *nihil est alteri bonum, nisi quod in se est bonum, & perfectionem habet alteri convenientem*.

10. Ad bonum alteri pertinent duo paria boni, quibus divisionem boni copiosiorem reddidit Heineccius (10). Primum est illius, quod consistit in propria actione, ut in actu virtutis, quod ipse appellavit *bonum nativum*, & illius quod consistitit in passione, ut in receptione alicujus præmii, dictum ab ipso *bonum passivum*. Alterum vero illius, quod avertit malum, ut domus, quæ a pluvia & ventis nos defendit, quod appellat *bonum privativum*, & illius quod

(1) Aug. de Morib. Manich. c. 4. n. 6.
(2) Aug. in Psal. 134. n. 4.
Id. serm. 15. n. 5.
Id. serm. 90. n. 2.
Id. de Perf. Justit. c. 14. n. 2.
(3) Marc. 10.
(4) Aug. Episc. ad Macedonium 153. alias 53. cap. 5. n. 12.
(5) Matt. 7. 11.
(6) Luc. 6. 48.
(7) S. Thom. 1. p. q. 5. art. 6.
Id. 2. 2. qu. 145. art. 3.
(8) Arist. Ethic. lib. 2. c. 3.
Id. ibid. lib. 8. c. 2.
(9) Suar. Metaph. disp. 10. sec. 2. n. 2.
(10) Hein. Phil. Mor. §. 145. & seq.

quod confert aliquam perfectionem, ut pretiosa vestis corpori imposita, aut nova cognitio in memoria recondita, quod dixit *bonum positivum*.

ARTICULUS III.

De Bono honesto naturaliter & moraliter.

11. Bonum honestum dividitur in bonum honestum naturaliter, sive in ordine ad naturam quamcunque, & bonum honestum moraliter, sive in ordine ad naturam rationalem.

Bonum honestum naturaliter significat id, in quo est convenientia inter unum & alterum, nullo etiam intellectu cogitante. Atque quando unum & alterum distinguantur invicem solum per rationem, illud erit bonum honestum in se naturaliter: quando vero distinguantur realiter erit bonum honestum alteri naturaliter.

12. Peripatetici admittentes appetitum etiam in rebus inanimis, honestum naturale illis etiam commune vocarunt, ut constat ex S. Thoma (1), id in quod appetitus se quodammodo movet. Quare id, in quo motus appetitus terminatur, dixerunt bonum delectabile, quod pariter in res ipsas inanimes cadere affirmarunt. At inferius planum fiet trimembrem illam partitionem boni in honestum delectabile & utile propriam esse naturæ dumtaxat cognoscitivæ, adeoque illorum hæc honesti naturalis definitio admitti nequit. Melius veteres Philosophi, ut colligitur ex Tullio (2) bonum honestum in se naturaliter vocarunt bonum naturæ. Idemque esse bonum illud, quod alii passim appellant transcendentale, inferius ostendam. Interea intelligi potest quale sit istud bonum, quod dicitur transcendentale, hoc est ad nullum particulare entis genus pertinens, sed super omnia quodammodo ascendens, & omnia sibi subjiciens.

13. Ex his patet, quid sibi velint hæc nomina, bonitas honestatis naturalis tum in genere, tum in specie, scilicet vel in se vel ad alterum. Sic ad Bonitatem honestatis naturalis in se pertinent proprietates essentiales rei, inter quas respectu hominis sunt sanitas, integritas membrorum, & vita ipsa; Nomine enim hominis intelligitur vulgo ille, qui habet cum natura humana eas perfectiones, quæ ipsam comitari solent pro statu suæ existentiæ. Quare siquid ex illis in aliquo desit, dicitur quidem homo, sed vel cæcus, vel claudus, vel cum alio addito opportuno. Sic ad Bonitatem honestatis ad alterum naturalis pertinent proprietates acciden-tales.

(1) S. Thom. 1. p. q. 5. art 6. O.

(2) Tull. de Finib. lib. 3. & 4.

tales rei, quales sunt respectu essentiæ humanæ sanitas & integritas corporis, & respectu hominis, suimet actus positivi, illi etiam qui dicuntur indifferentes, ut comedere & ambulare; Nam hi distinguuntur plusquam per rationem ab homine, eidemque conveniunt.

14. Bonum honestum moraliter, quod brevius dicitur bonum morale significat id, quod decet naturam rationalem, qua talem (1), *non quà*, inquit Polmanus, *natura est, quomodo est ei bonum habere perfectiones naturales: non etiam qua natura animalis est, quo modo est ei bonum sanam esse: sed qua rationalis est, quo modo est ei bonum virtuosam esse*.

Aliter explicari potest hoc nomen, natura rationalis qua talis, scilicet per naturam utentem intelligentia, & libero arbitrio. Necesse fuit hanc explicationem exprimere, quæ cæteroqui videbatur obvia, quandoquidem Card. Pallavicinus censet non bene explicari bonum morale (2) *nomine naturæ rationalis, quatenus rationalis est, si intelligitur hæc quatenus differt quomodocunque a naturis irrationalibus*, quia operationes somniantis & ebrii non sunt bonæ moraliter, etsi sunt a natura differente ab irrationalibus: vel explicari bonum morale per ipsum bonum morale, si eo nomine veniat natura capax operandi honeste.

15. Tullii definitio sic habet, (3) *Honestum id intelligimus, quod tale est, ut detracta omni utilitate, sine ullis præmiis, fructibusve per se ipsum possit jure laudari .... Optimi quique permulta ob eam unam causam faciunt, quia decet, quia rectum, quia honestum est, etsi nullum consequuturum emolumentum vident*. Quæ definitio, etsi non est per causam formalem honestatis moralis, ex qua provenit, ut quid possit jure laudari: nihilominus admitti posset tum quia fortasse communior est, tum quia meminit de quibusdam attributis talis honestatis, quæ sicuti illam singulariter illustrant, ita sublimiorem ipsius ideam excitant, & altius in animo imprimunt. At quoniam extiterunt quovis tempore, qui negarunt hujusmodi definitionem nominis esse definitionem rei, contendentes omnem, quam dicimus honestatem moralem, fundari in emolumento, quod omni studio conantur expiscari in singulis, quæ non solum sine ulla utilitate, aut ejus spe, sed etiam cum manifesto, eoque gravissimo incommodo facta obiiciuntur & celebrantur, propterea necesse est, ab illa abstinere, donec saltem hæc illorum opinio demonstrata fuerit falsa & absurda, quod suo loco efficiam. Ex notione boni moralis sponte fluit malum morale esse id, quod dedecet naturam rationalem qua talem.

Di-

(1) Polm. Brev. Theol. par. 1. 2. n. 230.
(2) Pall. in. 1. 2. dist. 9. q. 1. ar. 2. n. 3.
(3) Tul. de Fin. lib. 2. n. 14. juxta Olivetum.

16. Dices. Omnis bonitas honestatis moralis est bonitas honestatis naturalis; Nam natura rationalis quædam natura est: ergo male dividitur bonum honestum in naturale & morale.

Respond. Concedo antecedens, & nego consequentiam: Nam quod omnis bonitas honestatis moralis sit etiam bonitas honestatis naturalis probat solum, quod honestas naturalis sit attributum genericum respectu honestatis moralis tamquam cujusdam particularis speciei, quoties non possit viceversa affirmari, quod omnis bonitas naturalis sit bonitas moralis, quemadmodum certe non potest. Hoc observavit jam Suarez dicens (1): *Bonum naturale & morale conveniunt in hoc, quod utrumque est per se conveniens alicui naturæ: differunt tamen, quia bonum naturale præcise respicit naturam ut naturaliter operantem: bonum autem morale respicit illam ut elevatur ad modum operandi libere, quod propriissime illi competit, ut rationalis est*. Idem clarius sic expressit Card. Pallavicinus (2), *Quando distinguimus ens physicum & morale, nomine physici intelligimus id, quod est physicum tantum, scilicet quod ita est, ut non sit simul morale*.

17. Bonum morale dividitur in objectivum, sive proprium objecto, & actuale, sive proprium actui. Divisio est communis apud Theologos, ubi cum S. Thoma (3) docent bonitatem moralem objectivam præsupponi ad illam, quæ dicitur de actibus, ut sunt actus virtutum moralium, & illam, quæ est in habitibus provenientibus ex repetitis actibus, cujus doctrinæ veritas suo loco suadebitur, propter quam causam bonum morale objectivum abstracte sumptum dicitur a S. Thoma etiam bonitas primordialis, & ab aliis, ut a Layman (4) fundamentalis

18. Bonum morale objectivum cum eodem S. Doctore dividitur (5) in bonum per se, & bonum per accidens, & bonum tum per se, tum per accidens, quod uno verbo dicitur bonum simpliciter, & demum bonum vel per se tantum, vel per accidens tantum, quod brevi dicitur bonum secundum quid. Præterea bonum morale objectivum per accidens dividitur in bonum per accidens propter legem positivam, vel præcipientem illius exercitium, vel illud permittentem, adeoque præcipientem, ne illud impediatur: & bonum per accidens propter errorem invincibilem agentis. Bonum tandem morale actuale dividitur in materiale & formale.

(1) Suar. Metaph. disp. 10. sec. 2. n. 30.
(2) Pall. in 1. 2 disp. 9. q. 1. ar. 1. n. 1.
(3) S. Thom. 1. 2. q. 19 art. 1.
Id. ibid. q. 29. art. 1. ad 2.
Id. de Malo q. 2. art. 3. O. & ad 8.
(4) Lay Theol Moral. lib. 1. de Act. hum. c. 7 n. pag. 20.
(5) S. Thom. 1. 2. q. 19. art. 5.

Articulus IV.

De Bono morali objectivo in genere.

19. Bonum morale objectivum in genere significat, actum, quem natura rationalis potest operari, ipsi prout rationalis est, convenientem. Opportune quid objectivum dicitur actus, quem natura rationalis potest operari quia est objectum quoddam vi suæ activæ quodammodo propositum, in quo, quoties illum actu exerceat, habetur jam aliquid morale actuale. Neque quod ipsius actus alii sint intrinseci & imperantes, cujusmodi sunt volitiones, alii vero extrinseci & imperati, cujusmodi sunt, qui per alias suas potentias, quam per voluntatem exercentur, ut opera misericordiæ, facit, ut utrique pertinere non possint ad bonum morale objectivum, dum actu non exercentur, sed solum facit, ut actus imperati sint objectum actuum imperantium, ad quos referuntur tamquam ad causam ut quo, dum simul sunt objectum naturæ, quæ potest illos agere, quam respiciunt tamquam causam ut quod.

20. Stoici, ut referunt Tullius (1) & Sextus Empiricus (2), aliam excitarunt controversiam de appellatione boni attributa objectis actuum moralium, contendentes hæc vocari solum posse & debere *προηγμένα hoc est præposita & expetenda*, nullo autem modo bona, quippe nomen boni sacrum quodammodo volebant, nec tribuendum nisi actibus virtutis, quos quis actu exerceat, qui communius dici solent bonum morale actuale aut formale: cetera autem quæcumque, quæ vulgus bona appellat, illi vocabant indifferentia scilicet ad acquisitionem & exercitium virtutis aut vitii, sive ad bonum vel malum usum, quandoquidem ut jam dixit Aristoteles (3) commune est omnium bonorum, quod possimus illis abuti, præterquam virtutis. Lis enim vero importuna est, utpote de voce, & exemplum inutilium concertationum, quæ nec tam diuturna, nec tam vehemens fuisset, nisi speciem quamdam haberet disputationis de re, quæ pertineret ad virtutis dignitatem, in quo sensu Tullius dixit, esse (4) *certamen honestum, & disputationem splendidam*, qui ceteroquin sequutus Carneadem (5), M.Piso-

(1) Tull. Acad. lib.1. n.10 juxta Olivet.
Id. de Finib. lib.2. n.21. & lib.3. n.4. & 15. & lib.4. n.26. & lib.5. n.30.

(2) Sext. Pyrr. Hypoth. lib.3. circa princ. cap.24.

(3) Arist. 1. Rethor.

(4) Tul. de Fin lib.2. juxta Oliv. n.21.

(5) Id. de Fin. lib.3. n.12.

ſonem (1), alioſque, ex profeſſo contra Zenonis vanitatem invehitur (2). quod de mera nominum novitate, tamquam de novis veritatibus ſibi ineptiſſime gratuletur.

21. Bono morali objectivo reſpondens bonitas definitur convenientia, quam cum natura rationali habet actus, quem ipſa prout rationalis eſt, poteſt operari.

ARTICULUS V.

De Bono morali objectivo per ſe, & per accidens.

22. BOnum morale objectivum. quod tale bonum eſt per ſe, & ut etiam dicitur, in re, vel in rei veritate, vel in ſe ipſo, vel ſecundum ſe, vel ex natura ſua, vel intrinſece, ſignificat actum naturæ rationalis illi convenientem independenter ab omni cujuſvis cogitatione. Ita Deum colere, parentes revereri, miſeros ſublevare, ſunt totidem exempla hujus boni moralis per ſe objectivi. In hoc autem genere boni illud eſt animadvertendum, quod aliqua ſemper ſunt ſic bona, cujuſmodi haberi debent quæ modo dixi: Alia vero non ſemper talia bona ſunt, ſed aliquando propter quaſdam circumſtantias evadunt etiam oppoſita mala. Ita reddere depoſita non ſemper fiet ſine peccato (3). *Si enim*, ut ait Tullius, *gladium quis apud te ſana mente depoſuerit, repetat inſaniens, reddere peccatum eſt, non reddere officium*. Veteres bonum hoc vocarunt bonum per ſe decens. Quo ſpectat illud Tullii, (4) *Quod decet, honeſtum eſt, & quod honeſtum eſt decet*. Ubi hoc decere ipſomet paulo infra explicante eſt, *eſſe conſentaneum hominis excellentiæ in eo, in quo natura ejus a reliquis animantibus differat*.

23. Quare bonitas moralis per ſe ſed objectiva, quam etiam dicunt propriam objecto, ſignificat convenientiam, quam actus naturæ rationalis habet cum illa independenter ab omni cujuſvis cogitatione. Definitio nominalis hujus bonitatis inferius ſuadebitur habenda eſſe etiam pro definitione reali, cui ſimilem video ſtatui & propugnari a Suarez(5). Atque idem proportionaliter dicendum eſt de illi oppoſita malitia, quæ dicitur per ſe, ſeu intrinſeca.

24. Obſervari poteſt, quod actus, qui conveniunt naturæ rationali independenter ab omni cujuſvis cogitatione, alii conveniunt propter unam ſibi propriam rationem, alii propter aliam. Quid clarius; quod dare eleemoſynam pauperi explicet rationem boni lon-

(1) Id. lib 4. n 26.
(2) Id. ibid. toto lib.4.
(3) Tull. de Off. lib.3. cap.25.
(4) Id. ibid lib.1. n.16.
(5) Suar. in 1.2. tract.3. diſp.2. ſec.2. n.10. & ſeq.

longe diversam, quam Deum colere? Auctores ut Laymán (1) solent hanc particularem singulis rationem, propter quam decent homini, appellare finem intrinsecum operi, sive in ipso imbibitum. Quod opportune dicitur, tum ut distinguantur a fine extrinseco, qui unice pendet ab operante, & potest ita supervenire actui objective bono, ut hunc vel reddat malum, cujusmodi esset eleemosyna data ob vanam gloriam, vel reddat dupliciter bonum, ut eleemosyna data ex motivo satisfactionis alicujus pro peccatis: tum ut intelligatur quanto jure bonum morale objectivum consideretur tamquam genus, cui subjacent innumeræ species, quotquot scilicet nascuntur ex diversa ratione, quæ attributum genericum convenientiæ cum natura rationali determinet particulari modo. Eadem doctrina cadit in malum etiam morale. Atque hinc factum est, ut non solum actus, quos homo potest exercere, sed illos etiam, quos actu exercet, in quibus consistit bonum vel malum morale actuale, dicantur communiter desumere speciem ab objecto, hoc est a bono vel malo morali objectivo, & posse etiam unum eumdemque actum esse multipliciter bonum aut malum pro finibus diversis a fine iisdem actibus ex dictis intrinseco, ad quos dirigi possunt ab operante.

25. Bonum morale objectivum, quod tale bonum est per accidens vel extrinsece, significat actum naturæ rationalis illi convenientem non independenter ab omni cujusvis cogitatione. Triplicis generis est hujusmodi bonum, scilicet vel propter legem, vel propter ordinationem agentis, vel propter ejusdem errorem invincibilem ut jam explico.

Bonum morale objectivum per accidens propter legem positivam significat actum naturæ rationalis objective indifferentem præscindendo a lege positiva, qui eidem naturæ ut rationali convenit consequenter ad talem legem. Exemplum hujus boni sunt multiplices illæ cæremoniæ, quibus subjecta fuit Gens Hebræa in Veteri Lege. Quare respondens bonitas significat convenientiam, quam actus naturæ rationalis objective indifferens præscindendo a lege, habet cum ipsa consequenter ad positionem legis actum illum præcipientis. Hujus per tale accidens boni moralis capax est sola natura rationalis creata, quæ utpote creatura subjacet Deo, qui illi suas leges indicit: Deo autem, cum sit ens necessario independens, nequit hujusmodi bonum per accidens ullo modo attribui.

26. Bonum morale objectivum per accidens propter ordinationem agentis significat actum naturæ rationalis objective indifferentem, qui illi convenit, quando fiat ex motivo moraliter bono. Exem-

(1) Lay. Theol. Mor. lib. 1. de Act. hum. cap. 9. n. 4.

Exemplum hujusmodi boni per accidens est actus comedendi etiam exquisita ex aliquo fine moraliter bono, ut quia eorum usum nobis Deus creator noster largitus est ad commendandam ejus in nos benignitatem. Sic S. Thomas loquens de bono morali dixit, (1) *id quod est indifferens potest accipere rationem boni*. Aliud hujus boni exemplum est completa divitiarum distributio in pauperes, & abdicatio dignitatum ex fine vacandi Deo liberius: quæ si fierent ad illarum contemptum tamquam quid inutile ad vitam, vel quid impediens philosophicas speculationes, jam notam stultitiæ subirent, qua hos actus jure in veteribus philosophis notavit S. Joannes Chrysostomus (2), quod discrimen etsi aperte expressum a S. Doctore, inique Bayles apud Trevoltianos (3) dissimulavit, ut concluderet eamdem rem censeri modo bonam modo malam pro cujusque præjudiciis. Huic itaque bono respondens bonitas significat convenientiam, quam actus naturæ rationalis objective indifferens habet cum ipsa natura, dum fiat ex motivo per se moraliter bono. Hinc respectu naturæ rationalis bonitas honestatis naturalis cujuscumque sui actus potest evadere bonitas honestatis moralis, quia ad rectæ rationis usum pertinet ea, quæ sunt naturæ consentanea, donec talia sunt, prosequi.

27. Bonum morale objectivum per accidens propter errorem invincibilem agentis significat actum naturæ rationalis objective malum moraliter, qui illi convenire potest consequenter ad apprehensionem invincibiliter erroneam de illius bonitate morali objectiva. Exemplum esto in actu Patriarchæ Jacob accedendi ad Liam, quam credidit (4) esse Rachelem sibi desponsatam, qui actus non est objective bonus moraliter, nisi per accidens hic expositum. Similiter in amore alterius, qui credatur bonus per errorem invenit S. Augustinus objectum laudis & meriti, quia bonitatem, inquit (5) *profecto diligit, qui eum diligit, quem credit bonum*: & ab omnibus laudandum dicit, (6) *qui eis officia debita impenderit, quos parentes esse crediderit, etiamsi non essent*. Quare respondens bonitas significat convenientiam, quam actus naturæ rationalis objective malus moraliter habet cum ipsa consequenter ad errorem invincibilem talis objectivæ malitiæ.

AR-

(1) S. Thom. 1. 2. q. 19. art. 3. O.
(2) S. Chry. Hom. 7. in Act. Apost.
(3) Mem. de Trev. an. 1755. art. 54. n. 2. pag 1183.
(4) Genes. 29. 24.
(5) S. Aug. epist. olim 126.
(6) Id. de Utilit. credendi cap. 12.

ARTICULUS VI.

De Bono Morali objectivo simpliciter, & secundum quid.

28. Bonum morale objectivum simpliciter significat bonum, quod tum per se tum per accidens (§.28.) est tale bonum. Exemplum esto in actibus Religionis ordinatis ab agente ad cultum Dei.

Bonum vero morale objectivum secundum quid significat bonum, quod alterutro dumtaxat modo bonum est. Ita actus Religionis ordinati ad hypocrisim sunt boni secundum quid, quia mali sunt per accidens: Et mendacium prolatum ex errore invincibili, quo credatur lege naturali illud præcipi, quando per ipsum potest grave proximi malum impediri, est bonum secundum quid; quia malum est per se. Atque quoniam dicendo bonum sine ullo addito intelligitur bonum simpliciter, hinc fit, ut de iis etiam, quæ secundum quid objective bona sunt, inveniatur affirmatum ab Authoribus illa non esse bona. In hoc sensu S. Thomas, qui docuerat, (1) *id quod est bonum, posse accipere rationem mali; vel illud, quod est malum, rationem boni propter apprehensionem rationis*, articulo deinde immediate sequenti non dat istam propositionem; *Voluntas concordans rationi erranti est bona*, quia citans illud axioma desumptum ex S. Dionysio, (2) bonum caussatur ex integra caussa, malum autem ex singularibus defectibus: *ideo*, inquit, *ad hoc quod dicatur malum id, in quod fertur voluntas sufficit, sive quod secundum suam naturam sit malum, sive quod apprehendatur ut malum: sed ad hoc, quod sit bonum, requiritur, quod utroque modo sit bonum*.

29. Quoniam a morum nomine derivatum est nomen boni moralis & oppositi mali, observandum est mores dici actiones humanas, quibus studiose assuescimus. Modi enim loquendi familiares, alios esse nunc hominum mores, ac olim erant, hoc esse in more positum, illud moribus repugnare, & similes, imprimis appellant ad solas hominum actiones, nunquam vero brutorum. Deinde excludunt actiones, quas nullo etiam docente, aut nullo studio peragimus. Nemo enim dicit positum esse in more hominum ambulare solis pedibus & corpore recto, quandoquidem natura ipsa hominis, qui corpus integrum habeat, hoc exigit: & propter hanc ipsam caussam communiter approbatur doctrina Ari-

(3) S. Thom. 1. 2. q. 19. art. 5. O. (4) S. Dionys. de Div. Nom. cap. 4.

Aristotelis, (1) quod virtutes morales non fiunt in nobis natura, sed idonei natura sumus ad ipsas suscipiendas, quod assuetudine facimus atque perficimus. Optimam itaque moris definitionem tradidit Card. Pallavicinus, ubi dixit: (2) *Mos est quadam consuetud circa operationes, quæ possunt fieri pluribus modis... Ideo ratio moris datur tantum in agentibus rationalibus & pollentibus libertate.*

30. Præterea observandum est, cum Jo: Baptista Bartholo (3) mores dici actiones humanas non quascumqne, sed illas quæ sint absolute vel saltem intrinsece bonæ aut malæ. De his enim solum dicimus esse vel non esse juxta regulam morum: De ceteris autem, quæ extrinsece solum bonæ vel malæ sint, dicimus esse vel non esse juxta leges disciplinæ.

31. Tandem observandum cum Layman (4) morale esse nomen simile sano; Nam sicuti sanum dicitur proprie dè bona animalis constitutione, & per analogiam de ceteris, quæ hanc vel perficiunt, vel tuentur, vel alio modo promovent: ita morale proprie dicitur de actibus internis factis cum libertate a necessitate eos faciendi, & per analogiam de actibus externis, qui ex internis sequantur, & de disciplina, seu scientia quæ circa illos versetur.

ARTICULUS VII.

De bono morali actuali tam materiali, quam formali.

32. Bonum morale actuale significat actum a natura rationali peractum, qui ipsi convenit vel simpliciter vel secundum quid (§.28.) Definitionem declarant eadem exempla nuper proposita. Quare respondens bonitas significat convenientiam, quam actus naturæ rationalis habet cum ipsa vel simpliciter vel secundum quid.

Bonum morale actuale materialiter tale significat actum a natura rationali peractum, qui ipsi convenit objective dumtaxat consideratus, hoc est nulla habita ratione nec ad modum, quo ille fiat, qui potest esse sine libertate a necessitate, nec ad finem propter quem fiat, qui potest esse malus.

33. Bonum morale actuale formaliter tale significat actum a natura rationali peractum, qui ipsi convenit subjective consideratus, hoc est habita ratione tum ad finem, propter quem fiat, qui debet

(1) Arist. Ethic. lib.2. cap.1.
(2) Pal. in 1. 2. disp.9. q.1. ar.1. n.2.
(3) Bart. Instit. Jur. Can. cap.2. n.2.
(4) Lay.m.Theol.Moral. lib.1. tract. 2. cap.7. n.1.

debet esse objective bonus, tum ad modum, quo ille fiat, qui debet esse liber a necessitate, & præcedi a judicio vel vero vel invincibiliter erroneo, quod actus ille sit vel certo, vel saltem probabiliter objective bonus moraliter. Necessitatem liberi arbitrii ad rationem boni moralis actualis satis indicat ipsum nomen moralis, quod a moribus, hoc est ab actionibus factis cum absoluta libertate (§.29.) deducitur.

34. Hinc colligitur, quod notio quidem actus moralis materialiter boni præscindit tum a fine, propter quem fiat, tum a modo quo fiat. Sic actus objective optimus, quo Beatus Deum amat, quem intuitive videt, habetur pro actu materialiter dumtaxat bono, quia modus, quo illum exercet, non est liber a necessitate. Sic actus cujuscumque virtutis, qui exerceantur ex cupiditate inanis gloriæ, vel alio fine pravo, sunt quidem morales actus materialiter boni, sed non solum nullo modo formaliter boni, quin etiam sunt formaliter mali, ut sæpius inculcat S. Augustinus: (1) *Bono, inquit, uti male, malum est. Sic male utitur bono, continentiam dedicans Idolo*, & alibi impium vocat illum (2), qui in bonis operibus assiduus est eo unice fine, ut temporalem obtineat felicitatem, applicans illi reprehensionem Apostoli, (3) *Servierunt creaturæ potius, quam creatori*: propterea *moveas*, inquit, *licet in bonis operibus lacertos, & videaris navim optime gubernare, in saxa festinas*. Notio vero actus moralis formaliter boni præter objectivam bonitatem postulat etiam subjectivam, dependentem ex dictis tum ex modo agendi illum libero a necessitate, tum ex fine objective bono, cujusmodi est actus virtutis, quem Fidelis exerceat ut Deo serviat, qui erit actus moralis non solum materialiter, sed etiam formaliter bonus.

35. Bonitas igitur moralis materialiter talis significat convenientiam, quam cum ipsa habet actus a natura rationali peractus objective dumtaxat consideratus. Exemplum esto in actu eleemosynæ, qui procedat a mala voluntate, hic, inquit Suarez (4), *quamquam ut actus non sit bonus, tamen ut objectum semper est bonus*.

Bonitas vero moralis formaliter talis significat convenientiam, quam vel per se vel per accidens cum ipsa habet actus a natura rationali peractus cum libertate a necessitate; Per se enim illam convenientiam cum natura rationali habet actus ille, si prævium illud judicium de ejus objectiva bonitate, quod pertinet ad notionem

(1) S.August. de Pecc. mer. & remiss. cap.29. n.57.
(2) S.Aug. in Psal.31. enarr.2. n.18.
(3) Ad Rom. 1. 25.
(4) Suar. in 1. 2. tract.3. disp.2. sect.1. n.11.

nem boni hujus moralis non sit erroneum: per accidens vero illam convenientiam habet, si judicium illud prævium sit invincibiliter erroneum. Definitio hæc nominalis de bonitate morali formaliter tali est legitima etiam definitio rei. Hoc infra suo loco ostendam, quod pertinet ad alias ipsius notas præter illam de libertate indifferentiæ, quæ satis patet ex eo, quod sine illa ex nuper dictis, bonitas moralis non sit nisi materialis.

36. Necessitas distinctionis boni moralis actualis in materiale & formale est extra controversiam; Manifestum enim est hominem, cujus usus rationis impeditus sit vel ætate in natura vel morbo, posse exercere actus convenientes naturæ suæ rationali, ut actus Religionis vel Misericordiæ: sed repugnat actus exercitos a stolido habere bonitatem moralem formalem: ergo actus illi habent bonitatem moralem dumtaxat materialem. Præterea doctrina est communis cum S. Thoma (1), bonitatem propriam objecto, quæ est bonitas materialis, præsupponi ad bonitatem propriam actus, quæ est bonitas formalis, & ab ea desumi etiam speciem actus formaliter boni (§.24, & 29.): ergo altera ab altera secundum communem sententiam distinguitur.

Articulus VIII.

De bono morali actuali formaliter tali.

37. CUM statuerim quid per me significet bonitas moralis formaliter talis, quæ de actibus prædicatur, juvat aliquas aliorum definitiones inspicere, quandoquidem non parum in ea determinanda, quæ legibus bonæ definitionis realis respondeat, laborant Auctores. Imprimis Polmani definitio sic habet, (1) *Bonitas moralis actus est conformitas ipsius ad rectam rationem, sive est complementum requisitorum ipsius in specie moris. Requisita autem sunt objectum, finis, & circumstantiæ honestæ.*

Rejicitur hæc, quia si consideremus primam ipsius expressionem, illa bonitatem hanc formalem non explicat per id, in quo illa consistit, sed per id, quod ex illa necessario consequitur; Nam conformitas actus cum recta ratione præsupponit moralem bonitatem ipsius actus etiam formalem. Etenim, ut inquit Suarez pluribus hanc definitionem impugnans, quæ multis ab eo citatis (3) placuit, non ideo actus est formaliter bonus, quia talis judicabitur,

C

(1) S. Thom. 1.2.q.19.art.1.& q.20. art. 1. ad 2. = Et de Malo qu.2. art.3. O.

(2) Polm. Brev.Theol.par.1.2. n.307.

(3) Suar.in 1.2.tr.3. disp.3. sect.3. n 9.

tur, vel quia præscribitur a lege æterna: alterutrum enim venire potest nomine rectæ rationis, sed ideo talis judicatur, vel a lege præscribitur, quia sic bonus est. Sin vero consideremus secundam ejusdem expressionem, imprimis illa non est primæ declaratio: deinde eo modo proponitur quidem subjectum, quod habet moralem bonitatem formalem, non vero ipsamet ipsius bonitas. Ita de objecto bono, ut eleemosyna data ad solamen pauperis, finem profecto bonum, concurrentibus circumstantiis bonis loci, temporis, aliisque, dicitur habere moralem bonitatem formaliter: & quærendo quid hæc sit, importune assignantur objectum finis & circumstantiæ bonæ; quæ pertinent ad ipsius subjectum.

38. II Sfortia Pallavicinus, qui deinde fuit Cardinalis, post longiorem in hac re disquisitionem in suis de Bono libris Italice primum, & Latine deinde ab ipsomet editis (1) *doctis Juppiter & laboriosis* etiam propter utriusque linguæ veneres, quibus plane redundant, statuit tandem, (2) *Honestum bene & clare definiri, id quod placet Naturæ, ut a nobis fiat*. Inferius autem addit illud placere Naturæ, ut a nobis fiat, quod plus boni, quam mali physici generi humano confert, vel ut ipsemet alibi dicit, (3) *Virtus nihil demum est, nisi quod hominum universitati universim prodest*.

Reiicitur hæc definitio, quia obscura est tum in voce Naturæ, tum in verbo placet. Ipse utrumque manifestum esse vult, *placet* quidem ex intima cujusque experientia: *naturam* vero ex eo, quod nulla Philosophorum secta, nulla gens, nulla ætas illam ignoraverit. Sed equidem etiam postquam legi omnia, quibus præsertim notionem naturæ contendit ille esse nobis manifestam, nescio quid apud illum sibi velit Natura; Nam modo videor mihi colligere sensum definitionis esse, honestum moraliter est id, quod Deus vult fieri a nobis, quam interpretationem ipse idem revera alibi (4) adhibet citans seipsum hoc in loco, de quo nunc loquor. Eamdemque esse juxta suam mentem confirmari etiam potest ex eo, quod deinde in Theologicis suis assertionibus iterum de hac re ex professo agens statuat rationem honesti moralis (5) *esse conformitatem cum complacentia summi boni*. At hoc modo male illud definitur, nam non ideo aliquid est honestum moraliter, quia Deus vult illud fieri a nobis, sed contra ideo Deus vult illud fieri a nobis, quia est moraliter honestum. Modo dixerim significari, moraliter honestum esse illud, quod naturæ rationali convenit, in quo haberetur posita jam a nobis definitio: Modo alius & alius mihi occurrit sensus: ergo obscura est. Quod

(1) Catul. ad Cornelium.
(2) Pall. del Bene lib. 1. cap. 16. & seq.
(3) Pall. del Bene lib. 4. cap. 1. n. 3.
(4) Id. ibid. lib. 2. cap. 57. n. 5.
(5) Id. de Act. humanis lib. 1. cap. 13. n. 157.

39. Quod additur de utilitate, obscuriorem reddit; si enim definiri posset illud esse moraliter honestum, quod plus boni, quam mali physici generi humano confert, jam actum videtur esse de honestate omnium illorum actuum, qui ad sui solum perfectionem spectant: & quamvis etiam ex privata ut ita dicam honestate dicatur erui aliquid redundans in bonum physicum totius generis humani, saltem hoc certum est, quod hujusmodi boni definitio non est per suam caussam formalem, sed per suum quemdem effectum. Et quia contraria contrariis notionibus explicantur, definiri poterit malum morale esse illud, quod plus mali, quam boni physici generi humano confert, ex quo Kingius intulit majus malum esse malum physicum, quam morale; quod quam falsum sit in dissertatione de malo ostendam.

40. III. Buffierius (1) definit bonum honestum moraliter esse id, quod confert ad quietem perennem substantiae intellectualis.

Rejicitur, quia hoc modo explicatur bonum morale formale per quemdam ipsius effectum, non vero per propriam ejus rationem, quae est hujus effectus caussa.

41. IV. Antonius Genuensis dicit: (2) *Bonum morale est convenientia actionis liberae cum lege.*

Rejicitur, tum quia male, ut infra ostendam, reducitur omnis bonitas moralis ad solam bonitatem per accidens (§ 25.): tum quia explicare bonitatem moralem per convenientiam actionis cum lege, est ignotum per idem ignotum aliis aeque saltem ignotis cumulatum explicare; Nam notio legis importat ipsam notionem bonitatis moralis praeter alia multa; definitur enim lex a Theologis, ut Antoine (3) *Praeceptum commune, honestum* (hoc est moraliter bonum) *justum, stabile, ad bonum commune a gerente curam communitatis impositum, & sufficienter promulgatum.*

ARTICULUS IX.

De Bono delectabili.

42. BOnum delectabile significat id, quod est conveniens naturae cognoscenti, quia illi affert delectationem, hoc est quietem quamdam sui appetitus conjunctam cum experimentali suavitate. Bonitas igitur delectabilitatis significat convenientiam, quam

(1) Buff. Traite des prem. verit. n. 183.
(2) Gen. Elem. Metaph. pag. 1. in definit. n. 76.
(3) Ant. Theol. Moral. de Leg. sect. 1. qu. 1.

quam habet aliquid respectu naturæ cognoscentis, quia illi affert delectationem. Definitio est communiter recepta, quia hanc nobis hujus bonitatis ideam ingerunt Philosophi cum Aristotele,& Theologi cum S. Thoma (1).

43. Buffierius loco supra (§.40.) citato definivit bonum delectabile esse id, quod confert ad quietem substantiæ intellectualis, sed per brevem. At contra hanc valet primo, quod rem explicat per effectum, non per ipsius formalem rationem. Rursus contra eamdem est, quod limitat bonum delectabile ad solam naturam intellectualem, cum juxta S. Augustinum extendi possit ad naturam quovis modo cognoscentem: (2) *Frui*, inquit, *cibo, & qualibet corporali voluptate non adeo absurde existimantur & bestiæ*: quem loquendi modum, qui limitat quodammodo significationem fruitionis attributæ brutis, adhibet, quia fruitio, quæ convenit agentibus rationalibus, de quibus proprie dicitur, non significat delectationem utcumque, sed eam, quæ sumitur de re, quæ constituta est ultimus finis in quadam linea, a qua fruitione, ut ita dicam per secta, exclusa sunt bruta, cum nequeant cognoscere rationem ultimi finis, (3) *Ultimum quippe*, ut loquar cum Pallavicino, *significat id ultra quod nullum aliud est: ergo non potest concipere ultimum, ut ultimum, nisi qui potest concipere hunc terminum nullum, & consequenter hunc terminum omne*, quos terminos bruta non concipiunt.

44. Ceterum quod bonum delectabile etiam ad bruta pertineat, est sententia communiter recepta non solum a vulgo, sed ab ipsis etiam Philosophis, qui pro certo habentes bruta subjici doloribus, consequenter non dubitant delectationem etiam posse experiri. Iidem præterea, ubi agunt de Temperantia, statuunt illam versari circa delectationes, quæ ex gustu & tactu proveniunt, (4) *quæ*, ut ait Aristoteles, *ceteri quoque animalibus communes sunt, servilesque ob id ac ferinæ habentur*; serviles quidem, quia, ut jam olim explicavit Plato, illas (5) *dolor* (hoc est molesta aliqua sensatio) *necessario antecedit*: ferinæ vero, vel quia feris etiam conveniunt, vel potius quia ferum dominum, scilicet dolorem ex dictis sequuntur. Nec ulli sunt, qui his contradicant, nisi Cartesiani, qui dictitant bruta esse pura automata.

45. Illud quidem verum est, quod non solum qualitas, sed etiam numerus bonorum in linea solius etiam delectationis sensibilis,

(1) Arist. 1. Rhetor. cap. 10. S Thom. 1. 2. q. 31. art. 1. & seq.
(2) S. Aug lib. 83. q. 30.
(3) Pall. in 1. 2. disp. 7. q. 1. art. 2. n. 3.
(4) Arist. lib. 3. Ethic. cap. 10. n. 5. juxta Maurum
(5) Plato in Phædro post duas tertias partes.

lis, quibus homo capax est, se habet ad numerum illorum, quæ brutis convenire possunt in ratione maximi ad minimum. Quod sic cum Pallavicino (1) demonstratur. Delectationes sensibiles sunt, quæ ex quinque sensibus originem ducunt: sed ex gustu & tactu majorem voluptatum copiam trahit homo, quam brutum, tum quia in homine argutiores sunt hi sensus, tum quia per usum rationis homo potest artificiose removere, quæ his sensibus officiunt, & studiose procurare, quæ iisdem blandiuntur; Lactantius solam agnovit in brutis (2) *voluptatem quæ ad generandum pertinet*, quasi vero quam experiantur ex gustu quotidie nobis non demonstret insignis aviditas, qua feles carnem, equi avenam, & omnia bruta unum cibum præ alio comedunt. Ex visu autem auditu & odoratu plures quidem haurit homo voluptates, nullam vero, aut vix aliquam bruta, ita ut (3) *hominum esse tantum propriæ videantur*, inquit Gellius. Homines certe tam mirifice oblectantur in conspiciendis tabulis, signis, aulæis, viridariis, fontibus sive aqueis, sive igneis, ædibus magnificis, & quibusvis machinamentis, ut hinc natæ sint Pictura, Sculptura, Hydraulica, Pyrotechnia, Architectura, cæteræque artes.

46. Quid quod ipsos pueros videmus observante jam olim Tullis (4), ita pompis ludis atque ejusmodi spectaculis recreari, ut dilationem etiam cibi non ægre patiantur, & delectationem oculorum præferant aperte illi gustus, in quo videas jam luculentum testimonium animæ, quæ in ipsis est rationalis. At Bruta nihil horum curant, nec magis læta sunt in regio conclavi, quam in sordido stabulo, & libero pede æque conculcant vulgares herbas ac flores venustiores. Rursus homines sedulo intendunt concentibus, & plaudentes ac frequentes convolant ad theatra, & gestiunt in symphoniis modulatissimis: & non pauci ita impotenter cantus voluptate capiuntur, ut non inscite Socrates apud Platonem Phædro narraverit fabulosam cicadarum originem ex hominibus quibusdam, qui edocti cantum a Musis, dum in illo toti sunt (5) *cibum potumque negligunt, imprudenterque pereunt*. At in Brutis nihil simile unquam observamus, & exceptis avibus, quæ indulgent certis sibi propriis cantibus: alia vel muta omnino sunt, ut pisces universi præter marinum, quem appellant vitulum, qui extra aquas ululatus quosdam edit, vel inconditos dumtaxat sonos emittunt, nullo autem alieno cantu aut voce gaudent: & si quando ad voces aliquas signa lætitiæ exhibent, ut canis ad vocem heri adve-

(1) Pall. del Ben. lib.3. cap.21.
(2) Lact. de vero cultu cap.20.
(3) Gell. Noct. Att. lib.19. cap.2.
(4) Tull. de Fin. lib.5. n.18.
(5) Plat. in Phædro.



advenientis, vel Leo ad vocem bovis, quod eſt exemplum Ariſtotelis citato loco, *non illius*, inquit, *voce, ſed eſu lætatur, ex voce autem prope eum eſse cum ſenſerit, ea videtur oblectari*. Certe æque inter fabulas habemus ſaxa ab Amphionis cantu attracta, ac feras ad illum Orphei & Arionis concurrentes. His rationibus, quæ ſunt a poſteriori, addatur illa, quam Pallavicinus (1) alibi propoſuit, & ſic habet: Delectatio ex viſu & auditu naſcens eſt effectus mentis advertentis talem in objectis horum ſenſuum compoſitionem, variam ſimul & uniformem, quæ omnino excludit caſum, & præſefert artem: ergo cum bruta careant mente, careant etiam neceſſe eſt hujuſmodi delectatione. Antecedens confirmat, quod paſſim videmus, quo quiſque magis calleat aliquam artem ut picturam & muſicam, eo magis delectari in hujuſmodi objectorum propoſitione,

47. Homines tandem odoribus etiam delectantur, ex quo factum eſt, ut ſint artes aliquæ, quæ circa hos componendos verſantur, quæ quidem ſunt longe minores numero iis, quæ officio aliorum ſenſuum mancipantur, quia olfactus minus, quam cæteri ſenſus ad vitæ noſtræ conſervationem, & felicitatem concurrit. At Bruta nullum propter ſe odorem expetere apparent, ſed propter guſtum aut tactum.

48. Bonum delectabile communiter dividitur in ſenſile, & intellectuale. Ac primum quidem addit definitioni boni delectabilis in genere reſpectum ad ſolum appetitum ſenſitivum: ſecundum vero ad ſolum appetitum rationalem. Bonum delectabile ſenſile dividitur in partes quinque pro quinque ſenſibus, non quia in his, quæ ſunt organa materialia habitet ulla voluptas, cum hæc ſit quid pertinens ad animam, ſed quia pro inexplicabili commercio animæ cum corpore ex quinque vulgaribus ſenſibus totidem haurit anima rationalis diverſas voluptatis ſpecies. Fuerunt quidem, qui in quatuor dumtaxat partes ſenſilem delectationem diſpertiebant, removentes illam, quæ ſpectat ad oculos. Ratio illorum erat in ea ſuppoſitione, quod in ſingulis ſenſibus, præterquam in oculis ſua habitaret voluptas. (2) *Quidam*, inquit Tullius, *diſputant cæteras voluptates in ipſis habitare ſenſibus, quæ autem adſpectu percipiantur, ea non verſari in oculorum ulla jucunditate: ut ea quæ guſtemus, olfaciamus, tractemus, audiamus, in ea ipſa, ubi ſentimus, parte verſentur, in oculis tale nihil ſit. Animus accipit, quæ videmus*. Suppoſitio enim vero non ſolum falſa in eo, quod organis materialibus eſſentialiter inertibus, ſeu mere paſſivis concederet vim faciendi quid ſpirituale, cujuſmodi eſt dele-

(1) Pall. dello ſtile cap. 5. n. 4.

(2) Tull. Tuſc. lib. 5. n. 38. juxt. Oliv.

delectatio, sed etiam male secum ipsa cohærens, utpote quæ cum tribueret oculis vim percipiendi & judicandi etiam majorem illa, quam credebant convenire aliis sensibus, quemadmodum revera veteres docuisse, ubi agam de pulchro, ostendam, consequens erat, ut illis præcipuam etiam delectationem tribuerent.

49. Quod pertinet ad bona delectabilia intellectualia, ex his sunt virtutes intellectuales & morales, ut cognitiones veræ, & operationes moraliter bonæ. Cum in homine, utpote qui constat ex corpore & anima rationali, reperiatur uterque appetitus sensitivus & rationalis, ipse utriusque delectabilis boni capax est. In purum autem spiritum non cadit nisi bonum delectabile intellectuale, quin tamen proinde inferior sit conditio entis pure spiritualis, quam compositi ex spiritu & corpore, quasi primum ex uno tantum fonte minorem, secundum vero ex duplici cumulatiorem hauriat delectationem: quin immo non posse sensibiliter oblectari, ad naturæ spiritualis perfectionem, & majorem ipsius felicitatem pertinere inferius ostendam.

50. Illud ulterius adverti debet, utrunque bonum delectabile tam sensibile quam intellectuale præscindere ab honestate morali, cum qua possunt esse vel conjuncta vel divisa. Ac bonum quidem delectabile intellectuale conjunctum revera est cum quovis bono moraliter honesto; nam ut suo loco patebit, nullum bonum moraliter honestum sejunctum est a delectatione: Idem autem bonum delectabile, cadens etiam in solam naturam pure intellectualem, sed capacem errandi, sejunctum esse posse ab honestate morali patet in Angelis, qui peccaverunt. De bono autem delectabili sensili manifestum magis est illum unitum esse posse, aut divisum a bono honesto. Propter quam caussam, quod mutuo non se includant hæc duo boni membra, honestum & delectabile etiam generice sumptum pro intellectuali & sensibili, bona & opportuna est illorum communiter assignata divisio.

51. Utrumque bonum sensibile & intellectuale dividitur in objectivum & formale. Atque objectivum quidem est id, quod in se tale est, ut possit afferre delectationem: formale vero est ipsamet delectatio, quam actu natura cognoscitiva experitur. Porro delectatio formalis, quæ est rationalis, proprie appellatur Gaudium, ut notat Pallavicinus (1): Voluptas vero dicitur illa, quæ est sensilis. De hac est illud S. Augustini, quod notionem hujus boni per convenientiam bene assignari confirmat, (2) *Quare in corporis voluptate, quid teneat, nihil aliud invenies, quam convenientiam; Nam si resistentia pariunt dolorem: convenientia pariunt voluptа-*

(1) Pall. del Bene lib. 1. cap. 11. n. 3. (2) Aug. de Ver. Rel. cap. 39. n. 73.

ptatem . Suo loco planum erit jure diſtingui bonum delectabile in objectivum & formale, & jure pariter ex uſu quodam communi utrumque conjunctum venire ſub nomine boni delectabilis.

ARTICULUS X.

De Bono utili.

52. BOnum utile ſignificat, id quod eſt conveniens naturæ cognoſcitivæ, propterea quod confert ad obtinendum aliquem finem ab ipſa intentum. Hæc certe eſt potior de finitio quam illa Buffierii, qui bonum utile dicit eſſe id, quod confert ad quietem, ſed non perennem ſubſtantiæ intellectualis; contra quam habet locum primo, quod hæc definitio explicet bonum utile per ipſius effectum quemdam, non per rationem ipſi intrinſecam, quæ hujus effectus eſt cauſa. Secundo, quod juxta illam utile dici ſolum poſſit reſpectu naturæ intellectualis, cum tamen inveniamus ab Authoribus accurate etiam loquentibus dici pariter reſpectu naturæ Brutorum, (1) *quibus*, ut ſcriptum eſt, *non eſt intellectus*. Certe S. Thomas de Brutis ſic loquitur: (2) *Neceſſe eſt animali, ut quærat aliqua vel fugiat non ſolum quia ſunt convenientia, vel non convenientia ad ſentiendum, ſed etiam propter aliquas alias commoditates, ſive nocumenta. Sicut avis colligit paleam, non quia delectat ſenſum, ſed quia eſt utilis ad nidificandum. Neceſſarium eſt ergo, animal quod percipiat hujuſmodi intentiones, quas non percipit ſenſus exterior*. Hinc admittit ipſe in Brutis ſenſum internum, qui a Peripateticis, quorum ipſe doctrina utitur hoc loco, vocatur Æſtimativa, & dicitur eſſe organum quoddam, *cui*, inquit, *Medici aſſignant mediam partem capitis*. Equidem nunc non quæro, quonam modo explicandæ ſint operationes illæ frequentes in Brutis, quæ arguunt ab iis etiam intendi aliquem finem, & cognoſci bonum utile ad illum, ſed in recepta tantummodo ſignificatione hujus nominis utile ſiſto, quam dico illos etiam, qui accurate loquuntur, non limitare ad ſolam naturam intellectualem, ut authoritas S. Thomæ, adeoque omnium qui ipſi adhærent, demonſtrat.

53. Solus obſtare videtur S. Auguſtinus, qui utilis nomen derivat a verbo utor, in cujus notione vult contineri rationem ſeu intelligentiam. Quare, (3) *uti*, inquit, *aliqua re non poteſt niſi animal, quod rationis eſt particeps. Scire namque quo quidque referendum ſit, non datum eſt rationis expertibus, ſed neque ipſis rationalibus ſtul-*

(1) Pſal. 31.
(2) S. Thom. 1. p. q. 78. art. 4.
(3) Aug. lib 83. q. 30.

stultis. Nec uti quisque potest ea re, quæ quo referenda sit nescit, nec quisque potest scire, nisi sapiens. Verum re penitus inspecta in objectis verbis habetur dumtaxat verbum *uti* in sua significatione includere usum rationis, quæ deest brutis, & ab hoc derivari nomen utile: quibus omnibus admissis non sequitur, quod utile proprie dici non possit respectu Brutorum; Quoties enim accidit, ut nomina nihil habeant ejus significationis, quæ reperitur in eorum radicibus? Etimologia tamen proposita a S. Doctore facit, ut observemus hoc nomen utile significare etiam id, quo quis utatur, non quidem illud ordinando ad aliquid aliud, sed eo perfruendo. In hoc sensu bona etiam honestum & delectabile sunt utilia, quin immo maxime utilia, cum ideo hæc consequi tantopere curemus, ut iis hoc modo, scilicet fruendo utamur, non ut aliis illorum usum tradamus. Toto proinde cælo diversa apparet secunda hæc significatio hujus nominis utile a prima illa, per quam bonum utile distinguitur ab honesto & delectabili, & ex qua sequitur, ut quod est honestum, aut delectabile dicatur esse inutile; quemadmodum reapse loquuntur aliqui Authores, tribuentes felicitati, quæ certe est bonum honestum aut delectabile, aut utrumque simul, attributum inutilis. Sic Pallavicinus, (1) *Animum*, inquit, *felicitas explet, satis ipsa sibi est: ergo opus est eam esse inutilem*; Etsi tamen habens præ oculis secundam illam utilis significationem, quæ non est aliena a communi loquendi modo, & usum ejusdem rei, non vero ejusdem ordinationem importat, statim addit, *hoc est, non ordinatam ad aliud bonum*.

ARTICULUS XI.

De Bonis homini propriis.

54. BOna homini propria esse in triplici genere honesti delectabilis & utilis controverti jam amplius non potest. Fuit quidem Zenonis opinio, quæ ita solam virtutem esse hominis bonum dicebat, ut reliqua, quæ delectabilia, & utilia bona communiter dicebantur, ipse æstimabilia, & præponenda & eligenda appellaret, non vero bona. At hæc omnium irrisione ex dictis (§.20.) jam est eliminata. Fuit etiam ante Zenonem opinio Pyrrhonis, quam credo docuerit, antequam evaserit de omnibus dubitans, qui pariter Tullio teste (2) unicum bonum hominis in honesto collocabat. Sed ipse sibi magis quam Zeno constabat, quippe qui negaret quicquam esse in reliquis curandum, aut alterum alteri

D præ-

(1) Pall. del Bene lib.4. cap.13. (2) Tull. de Fin. lib.4. n.16. & lib.5. n.8.

præponendum, & æquali loco volebat (1) habenda esse valetudinem & morbum, divitias & egestatem, voluptatem & dolorem. Quam absurditatem tentavit quidem deinde renovare Zenonis auditor Arito Chius, sed nequicquam. Omisso enim, quod dicantur hæc contra evidentiam innixam in ipsa constitutione naturæ humanæ, quæ nequit non appetere, quæ sibi congruunt, & abhorrere a contrariis; eadem penitus obruuntur argumento Chrysippi apud Tullium, quod sic habet (2) *cum quod honestum sit, id solum bonum esse confirmatur, tollitur cura valetudinis, diligentia rei familiaris; administratio Reipublicæ, ordo gerendorum negotiorum, officia vitæ, ipsum denique illud honestum, in quo uno vultis esse omnia, deserendum est.*

Honestum delectabile & utile dividitur respectu hominum in bonum temporale & æternum. (3) *Temporalia sunt*, sic S. Augustinus, *salus, substantia, honor, & cætera vitæ hujus, ubi peregrinamur. Æterna sunt primum ipsa vita æterna; incorruptio & immortalitas carnis & animæ, societas Angelorum, civitas cælestis, dignitas indeficiens, Pater & Patria, ille sine morte, illa sine hoste.* In bonis temporalibus non opus est meminisse de illis, quæ jam præterierunt; Nam nostra amplius non sunt, nec de futuris, quia nostra adhuc non sunt. Restant igitur nobis inter bona temporalia illa solum, quæ præsentia sunt. Fuit quidem Seneca, qui vocavit (4) *stultum, qui non & in præteritis bonis acquiescit, & ea judicat certiora, quæ abierunt, quia de illis ne desinant, non est timendum.* Verum hæc (5) *declamatorie magis*, inquit Pallavicinus, *quam philosophice loquutus est*. Nam sic dicens si habuit in mente bona præterita tamquam affixa suis durationibus, in quibus fuerunt, jam hoc modo tam certum est præteritum quam præsens; sicuti enim quod fuit, non potest non fuisse, ita quod est, quando est, non potest non esse. Præterea ut idem alibi (6) contra eumdem arguit, præsens bonum temporale se habet ad sensum, sicuti dulce ad palatum, & rursus præteritum sicuti amarum. Certi enim sumus intima experientia bona ipsa, quibus actu jucunde fruimur, aspergi amaritie, si cogitemus, illa caduca esse, & ocius transitura. Tandem si ideo, quæ præterierunt, adhuc bona sunt, quia non timendum ne desinant; ergo bona, quibus in præsenti fruimur, certiora bona sunt, immo unice bona sunt, tum quia sunt, nec de illis dicitur, quod desierint; tum quia timeri potest de illis, ne quod accidit præteritis, desinant.

Omis-

(1) Id. ibid. lib. 2. n. 14.
(2) Id. ibid. lib. 4. n. 25.
(3) Aug. serm. 29. n. 1.
(4) Sen. Consol. ad Polyb. cap. 29.
(5) Pall. in 1. 2. disp. 2. q. 2. art. 3. n. 2.
(6) Id. Bene lib. 1. cap. 16.

55. Omissis bonis æternis, de quibus, quæ humanitus haberi potest enarratio & descriptio videri potest apud S. Thomam (1) & Theologos, & alios sacros Authores, ut Bellarminum, (2) & Annibalem Marchettum (3), bonum temporale proprium homini dividitur in bonum commune, & privatum. Commune est, quod convenit Reipublicæ, seu quod conducit ad illam conservandam & perficiendam: in hujus studio consistit Politica. Rursus bonum privatum est, quod convenit singulis in particulari hominibus. Homo, qui præferat bonum privatum communi deficit ab honestate morali, quando tamen utrumque bonum sit eiusdem saltem ordinis, & multo magis si bonum publicum sit ordinis superioris; Nam (4) *charitas*, ex S. Thoma, *ordinem habet*, *& plus debet diligere bonum commune multorum, quam bonum privatum unius*. Cujus ratio ulterior est, quia bonum commune est bonum totius, privatum vero est bonum partis: ergo sicuti totum est majus sua parte, ita bonum totius majus est bono partis, adeoque præferendum. Hinc statuunt, & suadent Theologi, ut Antoine, (5) etiam leges humanas utpote tendentes essentialiter in bonum commune, *posse per se obligare cum periculo & damno etiam vitæ. Sic Dux potest obligare milites ad servandam stationem, vel irruendum in hostes cum certo mortis periculo*: & Tullius vult (6) *non magis vituperandum esse proditorem patriæ, quam communis utilitatis aut salutis desertorem propter suam utilitatem*. At si bonum privatum sit ordinis superioris illo, quem habet bonum publicum, non solum non deficit ab honestate morali, qui bonum suum præfert bono publico, sed tunc potius deficeret, vel ut melius dicam stulte ageret, quando aliter se gereret.

56. Merito itaque furiosi concluduntur fuisse, qui vitam suam morti exponebant ad barbaram inspectantis populi voluptatem in spectaculis gladiatoriis: quibus tamen homines ita assueverunt ethnicis temporibus, ut frequentissima essent, & in iis viderit Roma agere suosmet Senatores, & etiam Imperatores: & solum relucente Evangelio agnosci clarius potuit ipsorum fœditas, ut publice tandem reprehensa fuerint, & execrata, sed non penitus abolita, nisi per legem primum quidem Constantini Magni summis laudibus exceptam a Patribus, & Scriptoribus, quos citat Ferdinandus a Castro in sua ad hanc legem prælectione inserta tomo secundo

 No-

(1) S. Thom. 1. 2. quæst. 1., & in 4. dist 43. & seq.
(2) Bellar. de æterna felicitate.
(3) March. Terr. Beat. lib. 3. cap. 8. & seq.
(4) S. Thom. in 3. dist. 33. art. 1. ad 4.
(5) Ant. Theol. Moral. de Leg. cap. 2. q. 5. resp. 3.
(6) Tull. de Fin. lib. 3. n. 19.

Novi thesauri Juris Civilis & Canonicis Gerardi Meerman Hagæ editi anni 1751. ; & deinde per legem Honorii, ut docebit distinctius Joannes Clampoli (1), qui sophistas pro eorumdem utilitate arguentes erroris convincit.

ARTICULUS XII.

De bonis homini intrinsecis & extrinsecis.

57. Bonum tam commune, quam privatum dividitur in bonum intrinsecum, cujus duo sunt membra, bonum animæ, & bonum corporis; & bonum extrinsecum, quod etiam dicitur bonum fortunæ. Divisio est communis post Aristotelem (2), & alios, qui a Platone profecti sunt, philosophos, ut ex Tullio (3) intelligitur. Franconi Burgersdicio, qui eam respuit, quia inquit (4) *non satis apparet, quomodo bona corporis distinguantur a bonis fortunæ*, dicam manifestam esse eam distinctionem in iis omnibus, qui optime comparati a bonis intrinsecis corporis ut valetudine & pulchritudine, laborant extrinsecis ut pecunia & honoribus. At inquit: *In bonis corporis etiam fortuna regnat cum a caussis externis pendeant*, respondeo caussas externas, a quibus bona corporis pendent, communiter venire sub nomine naturæ non fortunæ. Retinenda igitur antiqua divisio, quam cadere in triplex boni genus, honestum, delectabile, & utile consideranti patebit.

58. Stoici congruenter ad ea, quæ supra (§.20) etiam dicta sunt, in bonis hominis solos actus virtutis numerabant, reliqua omnia negabant esse bona. Ita horum alumnus Seneca sæpe inculcat. (5) *Nihil est bonum, nisi quod honestum est*, & in eamdem conclusionem desinit decima Iuvenalis Satyra. At melius referente Tullio, (6) *Peripatetici, nec multo veteres Academici*, bona animi vocarunt maxima, illa corporis media, reliqua vero infima. Sic idem laudat Critolaum unum ex Peripateticis, quod (7) *cum in alteram lancem animi bona imponat, in alteram corporis & externa, tantum propendere illam animi putat, ut terram & maria deprimat*. Nec in re sed in verbis tantum dissentiebant Stoici; Nam ut Carneades apud eumdem Tullium arguebat (8) *quæcumque bona Peripateticis, eadem & Stoicis commoda videbantur: neque Peripatetici plus tribuebant divitiis, bonæ valetudini, cæterisque rebus generis ejus-*

(1) Ciam. Prof. disc.10. cap.14. & seq.
(2) Arist. 1. Ethic. cap.8.
(3) Tul. Acad. lib.1. juxta Oliv n.5.
(4) Burg. Metaph. lib.1. cap.20. ch.9.
(5) Sen. epist.120.
(6) Tull. Tusc. lib.4 n.85.
(7) Tull. Tusc. lib.5, n.17.
(8) Id. ibid. in fin.

ejusdem, *quam Stoici*. Quare *causam esse diffidendi negabat*. Porro inter bona animi seu maxima bona sunt ingenium, eruditio, scientia, & omnis virtus moralis. Subtilius Platonici bona animi dividebant in naturalia & moralia: Et in naturalibus hæc duo ponebant (1), *celeritatem ad discendum*, *& memoriam*. In Moralibus vero cujusvis scientiæ acquisitionem, & exercitium virtutum, quæ moralitatis nomen sibi proprium fecerunt, & quæ Aristoteles jure observat (2) esse stabiliora omni scientia, quæ oblivioni subjacet, & propter hanc etiam causam præstantiora.

59. Inter bona corporis Tullius meminit de divisione veterum in ea, quæ sunt totius corporis, & ea, quæ sunt ipsius partium, (3) *Ponebant*, inquit, *valetudinem*, *vires*, *pulchritudinem in toto*, in quibus bonis juxta illud (4) *Non est census supra censum salutis corporis*, eminet valetudo: In partibus autem, *sensus integros*, *& præstantiam aliquarum partium singularem*, *ut in pedibus celeritatem*, *vim in manibus*, *claritatem in voce*, *in lingua etiam explanatam vocum impressionem*. Restat classis quædam bonorum, quæ ad animum & corpus hominis conjunctim pertinent, cujusmodi sunt dicendi festivitas, & eloquentia, quæ per me licet in bonis mediis collocentur. In bonis tandem infimis ex eodem Tullio habent locum, *honos*, *pecunia*, *affinitas*, *genus*, *amici*, *patria*, *potentia*. Hæc certe appellatio, atque partitio opportuna est; Nam ut ait S. Thomas, (5) *exteriora bona ordinantur ad ea*, *quæ sunt corporis*, *ea vero quæ sunt corporis ad ea*, *quæ animæ*, Ergo bona animæ sunt ceu finis, & bona corporis, ceu medium magis immediatum ad hujusmodi finem, quam bona externa, & æstimabilius certe est, quod habet rationem finis, quam id, quod habet rationem medii.

60. S Augustinus simili modo loquutus est (6), sed ipse optimo jure inter bona animæ invenit aliqua, quæ nolit collocari, nisi inter bona media; Nam maxima bona hominis vocat illa, quæ in se considerata inveniuntur esse semper bona moraliter honesta, sive illa, quibus homo recte vivit, & nunquam male. Hujusmodi sunt actus virtutis, quibus insit meritum vitæ æternæ, Media dicit illa, quæ in se considerata inveniuntur solum bona naturaliter honesta, necessaria tamen ad bonum moraliter honestum, sive illa, sine quibus nemo quidem potest recte vivere, sed non semper cum illis recte vivit, tales sunt potentiæ animæ. Prima bona, ut alibi idem

(1) Id. Acad. lib. 1. juxta Oliv. n. 5.
(2) Arist. Ethic. lib. 1. cap. 10. n. 8.
(3) Tull. Acad. lib. 1. n. 5.
(4) Eccles. 10.
(5) S. Th. 2. 2. q. 152. art. 2. O.
(6) S. Aug. Retrac. lib. 1. cap. 9. Id. de lib. arb. lib. 2. cap. 19. n. 50.

idem docet (1) talia sunt, ut faciant hominem bonum formaliter. Secunda vero sunt bona, unde quis fiat sic bonus. Minima tandem dicit illa, quæ in se considerata inveniuntur quidem bona naturaliter honesta, sed nullo modo necessaria ad bonum moraliter honestum. Hujusmodi sunt inter bona animi omnes cognitiones, quæ liberalibus studiis acquiruntur, quod Seneca aggrediens demonstrare sibi statim persuasit, cum ait (2) *An tu quidquam in istis esse credis boni, quorum possessores turpissimos omnium ac flagitiosissimos cernis?* scilicet aliquando. Inter bona autem corporis sunt res omnes nobis externæ, ut pecunia, argentum, aurum, prædia, domus, mancipia, pompa sæculi, honor volaticus, & periturus, (3) *in quibus*, dixit jam Aristoteles, *ut bene vel male vivamus nequaquam situm est*.

61. Hæc proinde esse bona minima, contra illos, qui apud Plutarchum (4) *paupertatem maximum malum esse censent, ut ejus vitandæ gratia de saxis & in mare se præcipitare homo debeat*, non solum plane suadetur ex ratione jam dicta, sed etiam ex eo, quod sint quid prorsus extrinsecum homini, quod satis est ut jure Tullius dixerit, (5) *tantum excellet quod honestum, quod rectum, quod decorum appellamus, ut omnia præterea, quæ bona corporis & fortunæ putantur, perexigua & minuta videantur*. Et iterum ex eo, quod sint quid pertinens ad objectum mali moralis, quoties quis illis abutatur, vel eadem constituat finem ultimum suæ appetitionis, ut jam Plato docuit apud Alcinoum (6), & Theologi Morales plane demonstrant agentes de Vitiis Capitalibus. Quare idem Augustinus dixit, (7) *in illis esse fallacem suavitatem, & infructuosum laborem, & perpetuum timorem, & periculosam sublimitatem*. Quas illorum proprietates opponit Lessius (8) iis, qui in hujusmodi rebus sitam hujus vitæ felicitatem opinati sunt, easdemque eloquenter exponunt Pallavicinus in sua *Arte Perfectionis* (9), & Annibal Marchettus in suo, de *Terrena Beatitudine*, tractatu (10). Deus autem ipse non solum testatur, cum Ecclesiasticus ab ipso libri principio, eo inspirante, omnia hæc bona appellet *Vanitatem vanitatum*, res scilicet otiose se habentes ad finem, qui ab homine quæritur, felicitatem suam, quæ est notio vani observante Melchiore Ca-

(1) S.Aug. ferm.48. in Michæam alias 236. de Tempore n.8.
(2) Sen. epist.88. circa initium.
(3) Arist. Ethic. lib. 1. cap. 10. juxta Maurum n 8.
(4) Plut. de Virtute morali longe post medium.
(5) Tull. Tusc. lib.2. n.13.
(6) Alcin. de Doctr. Platon. cap.30.
(7) S.August. epist.203. alias 83.
(8) Less. de summo bono lib.1. cap.5. & 6.
(9) Pall. lib 4. cap.5. & seq.
(10) March. lib.1. cap.2. & seq.

Cano (1), sed quotidie etiam suadet, cum ea, ut sæpe dicit S. Augustinus, (2) *propterea largiatur etiam malis, ne magnum bonum videantur bonis*. *Oremus* (3) ergo, sic ille alibi, *non ut nobis divitiæ, vel honores, vel hujusmodi res perfluxæ atque nutantes, & quovis resistente transeuntes, sed ut ea proveniant, quæ nos bonos faciant ac beatos*. Ex eo tamen, quod minima esse ea bona inveniamus, non est illis negandum ipsum boni nomen, tum quia communiter sic appellantur, ut ex dictis patet, tum quia in illis semper impletur notio boni vel naturaliter honesti, vel jucundi. Perturbat igitur communes ideas Heineccius (4), dum habens præ oculis dumtaxat rationem boni utilis, quæ aliquando in usu rerum externarum deficit, vult hæc non aliter appellari, quam indifferentia.

ARTICULUS XIII.

De felicitate hominum naturali.

62. BOnum tandem tam commune, quam privatum, & quidem temporale, & rursus de ordine naturali, non enim hic loquar de bono ordinis supernaturalis, dividitur in illud, quod habet rationem medii ad alia bona ulteriora, & illud, quod habet rationem finis omnium bonorum, quod dum possideatur, dicitur felicitas aut beatitudo; Nam ut ait Plato, (5) *possessione sane bonorum beati sunt quicumque beati*: *neque requirere ulterius opus est, ad quid felix esse velit*. *qui felicitatem optat*. Felicitas igitur & beatitudo sumuntur hic in eodem sensu juxta receptum aliorum usum. Cartesius, qui (6) *inter felicitatem & beatitudinem differentiam quamdam intercedere* dixit, *eo quod felicitas pendeat tantum a rebus extra nos*, secus vero beatitudo, quam voluit significare (7) *perfectionum omnium, quarum acquisitio a libero nostro arbitrio pendet, possessionem, & animi tranquillitatem, quæ ex hac acquisitione proficiscitur*, speculationi indulsit, quæ solis Stoicis placere poterit, qui sapientem, etiamsi crudelissime laceraretur, beatum prædicabant.

63. Porro felicitas, aut est privata, hoc est singulorum hominum seorsim ab aliis: aut publica, hoc est plurium simul sumptorum, ut integræ nationis. Apertam utriusque felicitatis signifi-

(1) Can. de Loc. lib. 9. cap. 9.
(2) S. Aug. de Civ. Dei lib. 5. cap. 24.
Id. in Joan. tract. 32. n. 9.
Id. Serm. 19. n. 1.
(3) S. Aug. de Ord. lib. 2. n. 52. col. 352.
(4) Hein. Elem. Philos. Mor. §. 158.
(5) Pla. Convivium in socr. oratione.
(6) Cart Epist. par. 1. ep. 4.
(7) Id. ibid. ep. 8.

ficationem statuere necesse est, ne nobis contingat, quod Senecæ, quem Cartesius reprehendit, quod in integro libro *de beata vita* nullam de ipsa notionem, quæ intelligi possit proposuerit, quod (1) *indicat*, inquit, *non clare intellexisse, quid sibi vellet*. Dico igitur felicitatem privatam definiri possessionem talis bonorum cumuli, qui maxime homini convenit, in eo permanentem pro suæ mortalitatis conditione. Et simili modo definiri potest similis felicitas publica.

64. Alii, ut Pallavicinus (2) illam definiunt esse statum omnium maxime optabilem homini mortali. Sed hæc definitio est per effectum quemdam hujusmodi felicitatis, non per formalem ipsius rationem. Utraque tamen opportuna est ad respuendam tamquam a communi sensu aberrantem definitionem Cartesii (§ 62.) sive Stoicorum. Hobbesium jam audiamus. Ille apud Bruckerum dixit, (3) *Felicitatem esse progressum perpetuum ab una cupiditate ad aliam*. At si in hoc ponit ipse felicitatem, in quonam statuet infelicitatem? sed homini, qui ut infra constabit, bonum dixit malum, & malum bonum, concedi potest, ut etiam de felicitate, sine bonorum loquens, a vera & communi ipsius notione longissime aberret.

65. Alii demum, quin declarent, quam animo informaverint notionem, audito hoc nomine felicitas naturalis hominis in hac vita, nolunt tamquam de re chimærica ullam haberi disquisitionem, (4) *Multi*, sic Plato jam olim testatus est, *prædicant humanum genus felix atque beatum esse non posse*. Atque in his visus est Solon Atheniensis, cujus est celebre effatum, *Nemo beatus ante mortem*, reprehensum jam post Aristotelem a Pallavicino (5). Sed omissis antiquis, de illis, qui in eadem nunc opinione versantur, dici fortasse potest eos nomine felicitatis humanæ intelligere vel Paradisum terrestrem, qui certe semel homini occlusus fuit, vel Paradisum Cælestem, quem Deus post hanc vitam bonis promittit, & repugnat naturaliter convenire homini in hac vita. Quando horum alterutrum non intelligant, consentire debent in hoc, quod sit aliqua felicitas, quam in hac vita consequi homo naturaliter possit, & de qua utiliter quæratur, in quo consistat. Neque enim, si attente se ipsi introspiciant, negare poterunt se naturali quodam impetu in felicitatem etiam huic vitæ convenientem urgeri. (6) *Hoc* inquit S. Augustinus, *& boni volunt & mali. Nec mirum est,*

(1) Cart. Epist. par. 1. ep. 5.
(2) Pall. del Bene lib 4. cap. 3.
(3) Bru. Hist. Phil. tom. 4. de Hobbe. §. 22. n. 67.
(4) Plat. Epinom. sub initium.
(5) Pal. in 1. 2. disp. 2. q. 2. art. 3. n. 2.
(6) S. Aug. in Psal. 118. serm. 1.

est, quod boni propterea sunt boni, sed illud est mirum, quod etiam mali propterea sunt mali, ut sint beati. Et alibi mentionem faciens de mimis quibusdam, qui in se receperant divinare, quid quisque vellet, non errassent, inquit (1) *si dixissent omnes beati esse vultis, miseri esse non vultis*. Illud saltem fateantur oportet, quod ridiculum est, *vanum esse naturæ totius instinctum*, ut contra hujusmodi homines dixit Ficinus in prævio ad Epinomidem Commentario. & iterum Pallavicinus in sua Theologia (2): vel tandem per incredibilem arrogantiam præferre se debent toti Philosophorum omnium temporum frequentissimæ nationi, quæ ad hanc inquirendam tam sollicite incubuit. ut jam olim Marcus Varro octoginta duas supra ducentas distinxerit de ea opiniones teste Sancto Augustino (3), qui eas ad duodecim reduci posse existimavit. Quæ celebriores apud Ethnicos fuerunt, videri possunt apud Tullium in suis de hac re quinque libris, qui *de Finibus bonorum & malorum* inscribuntur.

66. Quoniam autem multitudo bonorum pertinet ad notionem jam positam felicitatis, quorum singula dicuntur ipsius partes vel elementa, dubitari non potest hæc debere esse ex bonis intrinsecis & extrinsecis conjunctim. Atque cum hæc possint esse in gradu majori vel minori, solus enim Deus infinite beatus est, certum etiam est felicitatem nostram; & cujusvis creaturæ suscipere magis & minus. Quæ autem definite bona necessaria omnino sint ad hanc felicitatem, dicam suo loco, & ostendam errasse philosophos, qui non in multis. sed in unico virtutis bono felicitatem hanc nostram mortalem collocatam esse docuerunt.



E SE-

(1) Id. de Trinit. lib 13. cap. 3.
(2) Pall. de Act. hum. lib. 1. cap 3. n. 18.
(3) S. August. de Civit. Dei lib. 19. cap. 1. n. 1.

SECTIO II.

De Bono in genere.

PROPOSITIO

Bonitas in genere non significat idem ac entitas: nec significat aliquid distinctum realiter ab entitate: sed significat convenientiam, quam realiter habet unum alteri, saltem per nostrum modum cogitandi ab illo distinctum.

ARTICULUS I.

Argumenta pro propositione.

67. Robatur prima pars sic I. Bonitas non significat idem ac Entitas, si idea, quæ respondet his vocibus Ens & Entitas, prærequiratur ad ideam, quæ respondet his vocibus Bonum & Bonitas: sed ita est: ergo Bonitas non significat idem ac Entitas. Probatur minor, quia bonum concipitur tamquam attributum entis, & bonitas tamquam forma quædam intrinseca ipsi enti vel entitati, ex quo dici solet proprietas, vel passio entis. Confirmatur ex S. Thoma, qui ait, (1) *Ens secundum rationem est prius quam bonum ... Nam primo in conceptione intellectus cadit ens, quia secundum hoc unumquodque cognoscibile est, in quantum est actu.* Brevi totum argumentum complexus est Durandus his verbis: (2) *Ratio boni differt a ratione entis, alioquin esset negatio dicere ens bonum.*

II. Eadem entitas respectu unius non raro dicitur bona, respectu vero alterius, vel non sic dicitur, vel etiam dicitur mala; Sed si bonitas in genere significaret idem ac entitas, eadem entitas significaret simul bonitatem & malitiam: ergo idem non significat.

68. Secunda propositionis pars, bonitatem in genere non significare aliquid distinctum realiter ab Entitate, est contra Scotum locis citatis a Suarez (3), qui inter bonitatem rei, & entitatem ipsius

(1) S. Thom. 1. p. q. 5. art. 2. O.
(2) Duran. in 2. dist. 33. q. 1. n. 11.
(3) Suar. Met. disp. 10. sect. 1. n 16.

ipsius admittit distinctionem quamdam majorem illa, quæ est per rationem, & minorem illa, quæ est realis, quam dixit distinctionem ex natura rei. Rursus est contra illos, qui ut refert Soncinas (1), bonitatem in genere visi sunt asserere distinctam esse realiter ab entitate, quandoquidem illam dixerunt esse accidens pertinens ad illam accidentis speciem, quæ dicitur qualitas, in qua sententia præter falsitatem habetur etiam abusus hujus nominis bonitas in genere, cui cum communiter tradita sit ea significatio, ut significet proprietatem convenientem omnibus entis speciebus, limitatur deinde ad illam ipsius speciem, quæ dicitur qualitas. Tandem est contra illos, quos distinctim impugnat Suarez (2), qui bonitatem reponebant in ente quodam diminuto, cui nomen relationis vel realis, vel rationis tribuebant. Istos a se repellit Pallavicinus, quasi homines, (3) *qui voluerunt occultare ignorantiam suam monstrosis spectris entium diminutorum & relationum, quibus & similibus Chimæris deceperunt multitudinem, quæ percussa strepitu vocabulorum sensus ignoti iisdem eorum inventoribus, admirata est tamquam Sacerdotes Sapientiæ, hujusmodi Lycei circulatores.*

69. Hæc secunda pars I. probatur sic. Si Bonitas in genere esset aliquid plusquam per rationem distinctum ab entitate rei, per quod entitas redderetur bona, imprimis sine illo entitas rei dicenda esset non bona ulla bonitate, ne generica quidem: ergo dicenda esset mala. Probo consequentiam, quia indifferens, quod dicitur esse medium inter bonum & malum, est medium dumtaxat inter determinatas species boni, scilicet vel moralis vel utilis, non vero inter bonum & malum generice sumpta: ergo malum esset aliquid positivum, quod falso dici ex Dissertatione de Malo patebit. Quin immo quia, quod dicitur universaliter de omni entitate, dicitur etiam de singulis, adeoque de ipsa Deitate, jam si cujusvis rei entitas de se non esset bona, ne ipsa quidem Divinitas esset bona. Quod in mentem sanam certe non cadit. Deinde illud aliquid, quod superadditum entitati reddit illam bonam, vel est bonum per se ipsum, jamque ipsamet entitas poterit esse per se ipsa bona, quin indigeat aliquo a se distincto ad hoc, ut sit bona: sin autem illud non sit per se ipsum bonum, sed bonum fiat per aliud, quod similiter ipsi superaddatur, jam aperitur via ad processum in infinitum: ergo.

70. II. Sunt aliqua, quæ explicant particularem rationem boni, quod dicitur bonum alteri, cujusmodi sunt sanitas, virtus, scientia,

(1) Sonc. Met. q 19.
(2) Suar. Met. disp. 10. sect. 1. n. 16.
(3) Pall. del Bene lib. 1. cap. 21. n. 4.

tia, quæ sunt bona subjectis a se distinctis: Sed hæc non sunt bona suo subjecto per aliquid distinctum plusquam per rationem ab ipsamet illorum essentia; præscindendo enim ab omni hujusmodi modo illis superaddito, per quem reddantur bona, ipsa in se sanitas aut scientia non potest non concipi bona animali, aut intellectui: ergo potest quid esse bonum per aliquid non distinctum plusquam per rationem ab ipsamet sui essentia.

71. Objicitur. Bonitas in genere dicitur etiam de illo, quod est alterius pars, prout pars est: sed bonitas partis distinguitur plusquam per rationem ab entitate totius: ergo saltem aliqua bonitas in genere distinguitur plusquam per rationem ab entitate, cujus est bonitas.

Resp. Conc. maj., & nego min. Nam quemadmodum inter partes & totum non datur nisi distinctio rationis, ut vera sententia docet, ita etiam inter bonitatem partium, & totius sola datur distinctio rationis.

72. Tertia propositionis pars, bonitatem significare convenientiam supra in ejus definitione dictam, probatur I. Significatio communiter attributa vulgatæ illi distinctioni boni in honestum delectabile & utile importat rationem convenientiæ unius alteri. Ita bonum honestum vulgo explicatur per hoc, quod sit bonum per se conveniens naturæ rationali: bonum delectabile per hoc, qbod sit bonum conveniens naturæ sensibili: bonum tandem utile per hoc, quod sit bonum accomodatum ad finem intentum: ergo bonitas in genere significat convenientiam.

II. Omnis bonitas est appetibilis: Ergo omnis bonitas significat convenientiam unius alteri. Probatur consequentia, quia quod appetitur, propter convenientiam cum appetente appetitur. Quis enim adspirat ad id, quod sibi repræsentatur non conveniens?

III. Probatur authoritate plurium, qui idem sentiunt. Præter Durandum, & Polmanum supra (§.6.) citatos est Suarez (1) suse quod asserimus propugnans. Et ex antiquis sunt Stoici, per quos, ut habemus a Tullio, (2) *bonum positum est in eo, quod ipsi ὁμολογίαν, nos appellemus convenientiam*, scilicet cum natura, ut paulo post explicat. Immo idem communem dicit esse hujusmodi notionem boni (3). *Constitit*, inquit, *fere inter omnes id, in quo prudentia versaretur, & quod assequi vellet, aptum & accomodatum naturæ esse oportere*. Sunt & illi, qui, ut refert Seneca, dicebant (4): *Bonum esse, quod secundum naturam est*.

Quar-

(1) Suar. Met. disp. 10. sect. 1. n. 12.
(2) Tull. de Fin. lib. 5. n. 6.
(3) Tull. de Fin. lib. 5. n. 7.
(4) Sen. epist. 118.

73. Quarta propositionis pars, convenientiam, quam significat Bonitas, esse realem, quatenus scilicet vix distincta per rationem sint attributa entis vel entitatis ab ipsa entitate, datur jam sine alia cogitatione ratio convenientiæ inter illa & ipsam entitatem, iis opponitur, qui apud Suarez (1) rationem hujusmodi convenientiæ negant esse realem. Pars hæc sic I. probatur. Quod non est aliquid reale, est in se nihil: Sed bonitas est convenientia quædam unius ad alterum (§. 72.) ergo bonitas est quid reale.

74. II. Bonitas non potest significare aliquid negativum vel privativum, tum quia hoc esset contra communem sensum, qui audita hac voce bonitas intelligit aliquid positivum: tum quia, cum demonstretur, ut suo loco patebit, malitiam esse meram negationem, seu privationem, jam sequitur bonitatem illi oppositam esse quid positivum. Rursus bonitas non potest significare aliquid confictum per intellectum, tum quia repugnat communi rationi, quæ aliud dicit esse bonum verum, aliud bonum apparens, quæ distinctio nulla esset, si nulla bonitas esset in rebus ante intellectum cogitantem: ergo bonitas significat aliquid reale ante omnem intellectum cogitantem: sed bonitas significat convenientiam: ergo significat convenientiam realem.

75. III. S. Scriptura, Patres, Doctores, & Philosophi loquuntur de Bonitate tamquam de aliqua realitate ante omnem intellectum cogitantem: sed Bonitas significat convenientiam: ergo loquuntur de convenientia tamquam de realitate aliqua, quæ sit ante omnem intellectum cogitantem. Majorem probant hæc. In Genesi dicitur de Deo, (2) *Vidit cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*. Augustinus dicit (3) *In quantum sumus, boni sumus*, S. Thomas (4) docet bonum consistere in perfectione, quæ sine realitate aliqua ne intelligi quidem potest. Aristoteles (5) docet bonum esse in rebus, & in hoc distingui a vero.

ARTICULUS II.

Objectiones contra tertiam propositionis partem.

76. I. Obiic. MElius dicitur bonitatem significare appetibilitatem, quam convenientiam. Assumptum probatur I. quia quantum ad convertibilitatem bonitatis cum appetibilitate requisitam ad bonam definitionem, eadem in il-
la

(1) Suar. Metaph. disp. 10. sect. 1. n. 2.
(2) Genes. 1. 3.
(3) S. Aug. lib. 1. de Doctr. Christ. c. 32.
(4) S. Thom. 1. p. q. 48. art. 5.
(5) Arist. 6. Metaph.

la est, ac sit in convenientia; Nam sicuti verum est, omne bonum esse alicui conveniens, & omne alicui conveniens esse bonum, ita verum est omne bonum esse appetibile, & omne appetibile esse bonum. II. quia est juxta communiorem receptionem non solum vulgi, sed etiam Philosophorum, nomine boni intelligere, ut ait Seneca, (1) *id quod animum invitat, & ad se vocat*, vel ut communius dicitur post Aristotelem (2) *id quod omnia appetunt*, qua definitione utitur S. Thomas (3) in singulis sex articulis suæ quæstionis de bono, & alibi sæpe: eamque Pallavicinus, siquidem danda sit boni descriptio aliqua, rei juxta ipsum (§.1.) per se manifestæ, cæteris præfert (4) tamquam exprimentem attributum boni communissimum, nobilissimum, apertissimum, atque primarium: observantque præterea ex appetitione significata per nomen boni factum esse, ut res, cui plus inest boni, appellata fuerit melior, quasi *mavelior*, hoc est quam magis volumus, & illa quæ summe bona creduntur, dicta sint optima, quasi optatissima.

Resp. Nego assumptum. Quod pertinet ad primam probationem, illa pariter negatur. Falsum enim est bonum reciprocari cum appetibili; Nam bonum proprie pertinet etiam ad res inanimes, sed quis sine contradictione dicat ad illas proprie pertinere appetibile? Verum omissa hac ratione, quoniam ei aliquo modo occurrit Aristoteles in Rhetoricis dicens appetibile id, quod, *quæ sensum vel intellectum habent, appetunt, aut appeterent, si haberent*, venio ad aliam cum Jo: Ciampoli (5), scilicet falsum esse, quod omne appetibile sit bonum. Nonne enim multa frequenter appetuntur vel per furorem vel per imprudentiam, quæ mala sunt, & proinde appeti non deberent? Nihil hoc evidentius, quam in ea specie boni, quæ dicitur utile. Nonne communiter homines appetunt redundantes divitias, tamquam medium ad felicitatem terrenam consequendam? Illi ipsi, qui majoris boni caussa maxime de genere supernaturali eas negligunt, vel ab iis se abdicant, hoc ipso ostendunt haberi a se tamquam aliqua bona: At tolle prudentiam ab illo, qui eas possideat, nonne divitiæ idem illi sunt, ac gladius in manu stulti? quippe evadunt instrumentum ad excidium suæ valetudinis, ad hebetudinem mentis, ad odium, ad infamiam, uno verbo ad oppositam infelicitatem.

77. Quod siquis instet: nomine appetibilitatis eam significari, quæ

(1) Sen. epist. 118.
(2) Arist. 1. Ethic. cap. 1., & Rhet. 1. cap. 6.
(3) S. Thom. 1. p. q. 5.
Id. ibid. q. 6.
(4) Pall. del Bene lib. 2. cap. 9. Id. ibid. cap 12.
(5) Ciam. Frammenti del bene cap. 4.

quæ rationalis sit, non irrationalis, & in hoc casu contendat verum esse, quod omne bonum sit appetibile rationaliter, & omne appetibile rationaliter sit bonum, imprimis dico fieri jam transitum a bono in genere, de quod hic agimus, ad speciem boni: deinde ne loquendo quidem de bono proprio naturæ rationalis creatæ verum est, quod omne ab illa appetibile rationaliter sit bonum; Nam cum ratio creaturæ sit errori obnoxia, fieri potest, ut aliquid, quod ab ipsa rationaliter appetitur, non sit bonum, quin immo stultum sit & impossibile: Ut cum filii Adam post diluvium studiose apperiverunt ædificare turrim (1) *cujus culmen pertingeret ad cælum*, quasi vero tota ipsa massa telluris satis illis esset ad solam hujus turris basim conficiendam. Similibus argumentis jampridem definitionem boni per appetitum respuit Plotinus (2). Opus igitur esset adhibere adhuc aliam limitationem, & dicere omne bonum esse appetibile per rationem nullo modo errantem: & omne appetibile per rationem non errantem esse bonum, quod revera intendit jam Pallavicinus aperte concludens, & sæpe repetens, nomine boni venire (3) *id quod sine errore cognitum potest appetitum ciere*. Profecto sic limitata appetibilitas & aliqua bonitatis species reciprocantur, quin tamen ne hæc quidem particularis species boni dici possit bene definiri per appetibilitatem; Neque enim ad bene aliquid definiendum attendi dumtaxat debet hujusmodi reciprocatio, seu ut ajunt conversio, sed multa alia, de quibus Dialectici agunt, Quod convertatur bonum naturæ rationalis cum convenienti, provenit ex eo, quod in hoc, quod est esse conveniens, sit ratio seu caussa formalis boni: quod vero idem bonum convertatur cum appetibili per rationem non errantem, provenit ex eo, quod bonum illud sit fundamentum, vel quasi caussa necessario excitans hujusmodi appetitionem (4). *Omni enim animali*, sic jam olim Tullius, *illud quod appetit, positum est in eo, quod naturæ est accommodatum*. Et apertius Cajetanus dixit (5) *ideo aliquid est appetibile, quia bonum, & non e converso*. Ad bonam autem definitionem rei requiritur, ut ipsa explicetur per id, quod habet de formali, non per id, quod trahit secum de consequenti.

78. Quod pertinet ad Senecam, ille importune citatur, cum referat quidem illam definitionem, sed non approbet, immo rejiciat. Ad Aristotelem autem dico per ipsius verba dari descriptionem

(1) Gen. 16. 4
(2) Plot. Ennead. 6. lib. 7. cap. 19.
(3) Pall. del Bene lib. 1. cap. 13. n. 1. Id. ibid. cap. 40. n. 2. Id. ibid. cap. 47. n. 4.
(4) Tull. de Fin. lib. 5. n. 9.
(5) Cajet. in 1. p. q. 5. art. 1. §. Probatur.

nem quamdam boni ad excitandam aliquam ipsius ideam claram; non vero definitionem, quæ ideam adæquatam ipsiusmet essentiæ boni excitet, vel indicari rationem aliquam dignoscendi, an aliquid sit bonum, qualis habetur in motu appetitus sive rationalis sive sensitivi, qui nequit esse nisi in id, quod est, aut apprehenditur esse bonum aliquod, qua quidem usus est S. Thomas, quia satis ea illi fuit pro iis, de quibus ibi agebat. Ceterum ipse idem alibi animadvertit (1) Aristotelicam definitionem boni sumptam esse a posteriori. Quod tandem pertinet ad originem horum nominum *melius & optimum*, esto sit illa quæ dicitur, non tamen hinc sequitur, ergo melior vel optima est definitio boni per appetitionem. Nunquid quia metallum dictum est, ut aliqui volunt, a μεταλλάω, quod est perscrutor: vel ut Plinio visum est (2) a μετὰ ἄλλα, hoc est post alia, bene illud explicabitur dicendo esse, id quod perscrutatur, vel perscrutamur, vel quod est post alia?

79. II. Objicitur. Bonitas in genere ex hypothesi bene explicatur per convenientiam, quam attributa rei habent secum ipsa, & cum tota re: ergo omne ens existens dici potest esse bonum sibi: Nam ens, cujus attributa invicem conveniunt, & toti, est ens cujus attributa sibi conveniunt. Atqui non omne ens existens, sed illud solum, quod est intellectuale, dicitur esse bonum sibi: ergo Bonitas in genere non bene explicatur per prædictam convenientiam.

Resp. Conc. ant. & permitto conseqm. Minorem autem subsumptam sic distinguo: solum ens intellectuale dicitur bonum sibi juxta unam hujus loquutionis *bonum sibi* acceptionem, conc. min. aliter nego min., & conseqm.. Dico igitur *bonum sibi* in triplici sensu diverso posse sumi. Primus est ille prolatus in adducta probatione, respondens definitioni bonitatis in genere. Alter est, qui denotat conceptum per quem consideratur ens actu exercens suas potentias ad sui commodum & perfectionem, quod exercitium non pertinet ad sui essentiam. In hoc sensu dicimus hunc quidem hominem studiosum & industrium esse bonum sibi, illum vero otiosum, vel sponte, vel coacte, non esse bonum sibi. Tertius sensus est, qui significat ens, cujus natura intellectiva cum gaudio cognoscit se esse. Jam vero bonum sibi in primo sensu utique de omni re dici potest. At in secundo sensu non potest dici de ulla re mere corporea, utpote inerti, nec de qualibet re animata, quæ irrationalis sit, utpote impar ad cognoscendum se esse, & ne de omni quidem re rationali anima prædita, quemadmodum explicat exem-

(1) S. Thom. in 1. Ethic. cap. 1. (2) Plin. lib. 33. cap. 6.

exemplum adductum hominis otiosi, qui negatur esse bonus sibi; & certe dici non potest de Deo, in quo nefas est distinguere naturam ab ipsius actibus, & credere illam ab his perfici; Propter quam caussam permissa dumtaxat fuit, non vero concessa consequentia in objecto argumento.

80. Habita ratione ad secundum hunc sensum satis vulgarem, Deus dicitur communiter bonus in se, non vero bonus sibi, nisi loquendo cum Metaphysicis & Sapientibus, qui norunt nullam aliam importari inter attributa entis & ens ipsum, distinctionem, nisi per nostrum modum cogitandi vel loquendi, & in particulari loquentes de Deo norunt, quod ipse, ut ait Suarez (1) *per summam identitatem & simplicitatem est conveniens sibi ipsi, & natura ejus est conveniens suæ personæ, & personalitas ipsi naturæ*. Tandem *bonum sibi* acceptum in tertio sensu manifestum est dici non posse nisi de natura intellectuali; illa enim sola potest cognoscere se esse, & hoc modo de nullo dici verius potest, esse bonum sibi, quam de Deo. Quod Beati intelligentes erumpunt in actum perfectæ caritatis, per quem verum est, quod ex doctrina S. Thomæ dicit Pallavicinus (2) *ipsis majoris gaudii objectum esse Deum, quatenus est bonus sibi, quam quatenus est bonus ipsis. quia magis amatur a beato bonum Dei, quam bonum proprium*. Atque juxta hunc tertium sensum idem Pallavicinus jure observat celebre Metaphysicorum effatum, (3) *Omne esse est bonum*, verissimum esse, quin tamen inde sequatur, quod semper sit etiam bonum possessoris; De illo enim, qui non cognoscit se esse, ceu lapis vel brutum, vel cognoscens se esse nollet esse, ut est quivis ad æternos cruciatos damnatus, dici non potest, quod esse illi sit bonum. Quare nego, inquit, *omne ens esse bonum sibi*.

81. III. Objicitur. Bonum in genere dividitur in Bonum in se, & Bonum alteri (§.5.): & bonum in se dicitur illud, quod tale est nullo habito respectu ad aliud quicquam extra se, per quem respectum dicitur bonum alteri: ergo bonitas in se non potest dici, quod imbibat significationem convenientiæ unius ad aliud: ergo male explicatur bonitas in genere per convenientiam unius ad alterum.

Resp. cum Suarez (4), dist. ant.. Bonum in se dicitur, quod nullum dicit respectum ad aliud extra se distinctum realiter, conc. antec.: ad aliud distinctum per rationem, nego antec. & conseqm. Ens & Bonum, seu Entitas & Bonitas sunt quidem in re indistincta,

(1) Suar. Metaph. disp. 10. sect. 3. n. 7.
(2) Pall. in 1. 2. disp. 2. q. 2 art. 7. n. 4.
(3) Pall. del Bene lib. 3. cap. 16.
(4) Suar. Metaph. disput. 10. sect. 1. n. 17.

cta, sed secundum modum cogitandi & significandi sunt distincta; Ens enim dicitur ab esse, & bonum dicitur a quadam veluti forma, saltem prout a nobis concipitur, inhærente ipsi enti. Et etiamsi omne Ens, quod reale sit, includat suam entitatem, & Entitas dicatur includere perfectionem, quæ idem est ac bonitas, attamen saltem hæc ipsa bonitas aperte & clare exprimitur cum nominatur, quod non ita fit certe, cum solum dicitur Entitas.

82. IV. Objicitur. Alexander VIII. damnavit ut hæreticam hanc propositionem: *Bonitas objectiva consistit in convenientia objecti cum natura rationali: formalis vero in conformitate actus cum regula morum. Ad hoc sufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretative. Hunc homo non tenetur amare neque in principio, neque in decursu vitæ suæ mortalis.* Ergo bonitas saltem moralis nequit dici, quod consistat in quadam convenientia; Nam hæc definitio, prout statuitur pro definitione rei includitur in allata damnatione.

Resp. Conc. antec., & nego conseqm. Ad rationem adductam dico illam definitionem includi quidem in ea thesi damnata, non tamen damnari. Notum enim est ex Dialectica propositionem, quæ pluribus partibus constet, dici falsam, quoties una etiam tantummodo pars e multis sit falsa, etiamsi cæteræ omnes aliunde veræ sint. Hinc cum Pontifici denuntiata esset tota illa thesis, cujus partes, quæ sunt post definitiones bonitatis objectivæ & formalis, falsæ sunt jamque olim damnatæ ab Alexandro VII. in prima ex thesibus ab illo proscriptis, & ab Innocentio XI. in sexta & septima, pronunciat illam esse falsam, quinimmo declarat esse hæreticam. Res extra omnem controversiam est, quia Pontifex in suo Decreto dicit eam thesim non esse novam, sed *denuo erumpere*. Et certe hæresis intra ipsam contenta oppressa jam fuerat a suis Prædecessoribus. Hinc etiam Auctores de thesibus damnatis agentes, dum ad illam veniunt, dicunt de ea egisse se, *in expositione primæ propositionis ab Alexandro VIII. proscriptæ*, ita Viva (1): & alii eam referunt omissis illis definitionibus, ita Antoine (2).

83. V. Objicitur. Bonitas respectu alterius non consistit in convenientia, seu proportione unius ad alterum: ergo saltem hæc Bonitas male explicatur per hujusmodi convenientiam. Probatur antec. Si Bonitas respectu alterius consisteret in prædicta convenientia, consisteret in ea, vel per modum formæ alicujus, quæ alterum perficeret: vel per modum operationis versantis circa illud: vel per modum objecti, quia scilicet unum est appetibile ab alio:

(1) Viv. Thes. Dam. pag 347.

(2) Antoin. Theolog. Moral. de Virtut. Theolog. part. 3. cap. 2. art. 1. quæst. 1.

alio: ſed non poteſt dici, quod conſiſtat in convenientia unius ad alterum per modum formæ, quia ſequeretur Deum non eſse bonum homini; Nam Deus non ſe habet per modum formæ reſpectu hominis: neque poteſt dici, quod conſiſtat in convenientia reſpiciente operationem, quia ſequeretur integritatem corporis, & virtutes infuſas non eſse bona homini; Nam non ſunt ipſius operationes: Neque poteſt tandem dici, quod conſiſtat in convenientia objectiva, quatenus eſt quid appetibile, quia ſequeretur ideo aliquid eſse bonum, quia eſt appetibile, quod falſum eſt, cum revera, ideo aliquid ſit appetibile, quia eſt bonum (§. 77.): ergo bonitas reſpectu alterius non poteſt dici; quod conſiſtat in convenientia unius ad alterum.

Reſp. Nego antec. Ad probationem, diſt. maj Bonitas ad alterum conſiſteret in aliquo ex illis membris disjunctive propoſitis, ſed non uno eodemque pro omni hujuſmodi bonitate, conc. maj.: uno eodemque, nego maj., & cadunt reliqua; Nam quæ dicuntur in minori patefaciunt, quam neceſſaria ſit hæc diſtinctio, & exempla ibi propoſita oſtendunt aliqua eſse bona ad alterum propter convenientiam per modum formæ, ut ſunt virtutes: alia per modum operationis, ut eſt videre Deum, illoque frui. Itaque generaliter dici debet, bonitatem ad alterum conſiſtere in convenientia quadam ipſi propria, quæ ex parte rei ſic bonæ dicit ipſius perfectionem cum omnibus conditionibus vel phyſicis vel moralibus neceſsariis ad prædictam convenientiam ad alterum. Tertium certe membrum illius disjunctivæ omnino dici non poteſt propter rationem ibidem expoſitam.

ARTICULUS III.

Objectiones contra quartam propoſitionis partem.

84. I. Objicitur. CONvenientia quam ſignificat bonitas non eſt realis, ſi iſta convenientia ſit relatio, quam nos apprehendimus habere unum ad aliud ſemper realiter diſtinctum: ſed ita eſt: Probatur. Convenientia quam dicit bonitas, eſt convenientia alicujus entis ad appetitum: atqui hæc eſt convenientia unius ad alterum diſtinctum realiter, quæ talis eſt ex noſtra apprehenſione ſeu cogitatione: ergo.

Reſp. Conc. maj., & nego min. Ad probationem diſt. maj. Convenientia quam dicit bonitas eſt convenientia ad appetitum de conſequenti, conc. maj., de formali nego maj., & conceſsa minori, nego conſeqm. Planum jam ſupra (§. 76.) factum eſt, quod

quod ratio appetibilis est posterior ratione boni; cum omni enim proprietate dicitur, ideo hoc est appetibile, quia est bonum, & non viceversa.

85. II. Objicitur. Error intellectus, privatio scilicet veri judicii circa propositum objectum, in multis circumstantiis reputatur bonum: ergo saltem error cum reputatur bonum, non habet bonitatem realem, sed solum ex opinione.

Resp. Distin. antec. Error reputatur bonum, quatenus vel bonum primæ apprehensionis, vel bonum plurium veritatum in eo includitur, & quasi immiscetur, vel est occasio alicujus boni, quod ex illo sequitur, vel est argumentum, ex quo inferri potest spes alicujus boni, conc. antec. Error reputatur bonum, qua error est, nego antec., & nego conseqm, vel potius in ea latens suppositum. Dico itaque errorem, qua error est, numquam revera reputari bonum. Adeo ille dedecet naturam rationalem, ut in eo Academici summum constituerint hominis malum, ad quod evitandum inierunt ridiculum illud & impossibile consilium suspendendi omnem assensum. Certe quemque pudet se errasse; quin immo ii, qui minus sui compotes sunt, seu minus honesti, tantum & tam turpe malum credunt errare, ut eligant præ honesta confessione sui erroris turpissimam pervicaciam in eo tamquam in veritate aliqua propugnando. Alio igitur modo de errore dicitur bonum.

86. Ac I. sic dici potest, quia omnis assensio erronea continet necessario apprehensionem objecti, circa quod assentitur, quæ certe est aliquid bonum, quod eligibilius est habere, quamvis immixtum cum malo erroris, quam illo omnino carere, ne hoc erroris malum habeamus; quemadmodum melius est quandoque hallucinari, quam nihil unquam videre: aut jacere in tugurio, quam sub dio: aut habere pannosam vestem, quam nullam.

II. Error dici potest bonus, quia in se continet aliquam singularem veritatem, tamquam aurum reconditum intra lutum. Hoc accidit in illis erroribus, qui sunt conclusiones ex longa ratiocinationum serie deductæ, quæ vitio alicujus intermediæ enunciationis vitiosæ etiam illæ sunt. Interea tamen si aliqua in prævio illo discursu continentur, quæ vera sunt, & vulgo ignorata, jam error ille hoc modo bonus dicitur. Hoc pacto Authores aliqui, etsi erraverint, dum quadraturam circuli, vel motum perpetuum demonstrasse se conclamarunt, nihilominus laudantur, propterea quod hæc inquirentes inciderunt in peregrinas quasdam veritates.

87. III. Error dici potest bonus, quatenus est occasio alicujus magni boni. Ita error Mutii Scævolæ, qui reputans ab habitu pene regio

regio ministrum Porsenæ Romam obsidentis esse regem ipsum Porsenam, illum occidit, libere coram eo profitens sperare se alios ex Romanis, qui idem se tentaturos juraverant, fore feliciores, peperit ipsi quidem Scævolæ gloriam apud suos immortalem, Urbi vero libertatem ab obsidione, quæ fortasse Porsena interfecto, cum remaneret Tarquinius superbus in castris, illius obsidionis fomes & caussa principalis, non fuisset soluta. Quare dixit Martialis in suo de hac re epigrammate (1) loquens de manu Scævolæ.

Si non peccasset, fecerat illa minus.

IV. Error dici potest bonus, quatenus est argumentum ad certo satis inferendum aliquod magni momenti bonum. Hoc modo laudant Præceptores tyronis discipuli elucubrationes, vel demonstrationes ab illo adinventas, etsi veri dumtaxat speciem habeant, & in se sint meri paralogismi, quia palam faciunt inesse illis ingenium non vulgare, quod in Reipublicæ literariæ ornamentum & incrementum olim sit evasurum.

88. III. Objicitur. Aurum, argentum, & gemmæ non habent in se bonitatem majorem illa, quæ est in aliis metallis, & lapidibus, nisi ex arbitraria hominum opinione: ergo datur aliquod saltem bonum, quod non est quicquam intrinsecum ipsi enti, seu reale, sed situm in nostra dumtaxat opinione.

Resp. Nego antec. Illius falsitas declarabitur inferius, ubi opportunius audiemus, quomodo ipsum ab objicientibus probetur. Hoc unum hic animadvertam, accidere quidem posse, ut ens reale non habeat eam in se bonitatem, quam unus & alter apprehendit, non vero quod hanc non habeat illud, de quo communis & constans est opinio hominum eam ipsi inesse, quemadmodum evenit in auro argento gemmis (2) *popularibus*, ut cum Pallavicino loquar *numinibus, quibus tot Oceani conculcationes, tot magnæ matris lacerationes, tot legionum interneciones quotidie litantur*. Primum quidem possibile est, quia in hoc consistit bonum apparens, & error, qui frequens est in judiciis singularium hominum: Secundum vero nequaquam, quia non datur error universalis simul & perpetuus.

89. IV. Objicitur. Bonitas apparens non est bonitas realis: sed bonitas apparens participat rationem bonitatis in genere: ergo non omnis bonitas in genere est bonitas realis.

Resp. dist. maj. Non est bonitas realis, hoc est non est bonitas intrinseca enti, quod tale sit ante omnem nostram cogitationem conc.

(1) Mart. lib. 1. Epigr. 2. juxta Juvencium.
(2) Pall. in 1. 2. S. Thom. in proemio.

conc. maj., non eſt bonitas intrinſeca enti, ſtatim ut illud eſt ens per noſtrum cogitandi modum, nego maj. & conceſsa minori, diſt. eodem modo conſequens, juxta etiam expreſse dicta in ipſa hac propoſitionis parte. Inferius oſtendam ipſas rerum negationes, quatenus concipiuntur a nobis per modum entium habere poſse rationem boni, quod quidem non eſt reale, quatenus ſit ante rationem illam entis, qua ipſæ quodammodo a nobis induuntur: ſed eſt tamen reale, quatenus non opus eſt nova cogitatione intellectus ad rationem hujus bonitatis, quoties illa præextiterit, per quam ſunt Entia.



SE-

SECTIO III.

De Bono in se, & Bono alteri.

PROPOSITIO I.

Bonum in se, & bonum alteri est divisio communis, & per membra, quæ non admittunt aliquid medium.

90. Ropositio est contra Aloysium Vernejum, qui nullum bonum in se admitti posse statuit, sed quodvis, quod dicatur bonum, tale vult esse respectu alterius, (1) *Bonum*, inquit, *finis alicujus respectu vocari solet*: Et infra concludit, (2) *Judicare non possumus, an aliquid sit bonum, quin prius finem, ad quem dicitur bonum, constituamus*. Ante illum similem opinionem Locke sic expressit (3), *Res non dicuntur bonæ aut malæ, nisi quatenus voluptatem aut dolorem in nobis procreant. Bonum itaque appellamus quicquid aut voluptatem nobis creare, vel augere potest, aut dolorem auferre aut minuere*. Invenio etiam Buffierium quærentem, quinam sit sensus illius effati (4) *Omne bonum est relativum*, quod ipse dicit axioma philosophiæ plusquam satis obscurum. Profecto si significat, quod quicquid dicitur bonum dicatur respective ad aliquid aliud ab ipso distinctum, jam excludit bonum in se, & opponitur huic propositioni: sin autem significet omne quod est bonum in se esse etiam bonum respective ad aliud, erit sensus verus, ut inferius dicam.

91. Prima propositionis pars probatur, quia illa divisione utuntur omnes cum S. Augustino (5), & S. Thoma (6). Atque quoniam pulchrum, ut alibi ostendo, est bonum in se, quatenus cognoscibile ut tale, huc etiam facit illud ejusdem Augustini (7), *Videt pulchri aptique distantiam, quisque non negligit intueri; Pulchrum enim per seipsum consideratur, atque laudatur, aptum vero non ex semetipso, sed ex eo, cui connectitur, judicatur*. Quare quæ dicunt

Ad-

(1) Vern. Metaph. lib. 4. cap. 9.
(2) Id. Corol. 2.
(3) Lock. de Mente hum. lib. 2. c. 20. §. 2.
(4) Buff. Societ. Civil. observat. sur Pierre Regis n. 608. col. 1243.
(5) S. August. lib. 8. de Trin. cap. 3.
(6) S. Thom 1. 2. q. 16. art. 4. Id. in 2. disp. 27. q. 1. art. 2. Id. de Virt. q. 1. art 2. ad 1.
(7) S. Aug. Ep. ad Marcellinum 138. alias 5. cap. 1. n. 5.

Adversarii præseferunt non solum recessum a recepta significatione hujus nominis bonum, sed etiam abusum terminorum, dum Verneius quidem bonum sumit pro apto, Locke autem pro caussa delectationis. Quod est etiam reducere significationem boni ad infimam illam boni speciem denotandam, quæ est boni utilis, & quæ minus cæteris appellationem boni meretur, utpote quæ non habet rationem finis.

92. Secunda pars sic probatur cum Suarez (1). Bonum in se, & bonum alteri habent oppositionem contradictionis inter se, vel facile ad illam revocantur, si quoniam primum membrum dicitur bonum in se, bonum alteri dicatur bonum non in se, præcisive quidem, non tamen exclusive; Nam nullum est bonum in se, ut infra patebit, quod non sit etiam bonum alteri: at est aliquid bonum alteri, quod non est ita bonum in se, ut possit habere rationem finis, cujusmodi est medica combustio: ergo.

PROPOSITIO II.

Omne ens est bonum, tam in se quam alteri, & omne bonum, tam in se quam alteri est Ens.

ARTICULUS I.

Argumenta pro propositione:

93. PRima pars, quod omne ens sit bonum in se, opponitur Manichæis, qui dixerunt esse quasdam creaturas in se malas utpote productas a quodam ente a se summo malo, contra quos dico agens de malo. Ea sic probatur. I. Deus est Ens sine controversia bonum in se, & omnes ens extra Deum est in se bonum; Nam in Genesi de singulis Dei operibus dicitur, *Vidit Deus, quod esset bonum*: de omnibus autem simul sumptis subjungitur, *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*. Rursus dicitur, (2) *cuncta fecit bona in tempore suo*. Et alibi (3) *Omnis creatura Dei bona est*: Ergo omne ens etiam extra Deum est bonum in se.

II. Id, quod constituit ens in suo esse, dicitur perfectio entis, quia constitui, & perfici in suo esse idem sunt: Sed nullum ens potest intelligi, quin intelligatur constitutum in suo esse: ergo nul-

(1) Suar. Metaph. disput. 10. sect. 2. num. 5.

(2) Eccles. cap. 3. 11.

(3) Ad Timoth. 1. cap. 4.

nullum ens potest intelligi, quin intelligatur h b ns in se aliquam perfectionem: sed id, quod habet in se aliquam perfectionem, est in se bonum: ergo omne ens est in se bonum.

III. Ita se habet bonum ad Ens, sicut bonitas ad entitatem: sed bonitas non distinguitur realiter ab entitate (§ 69): ergo neque bonum ab Ente.

94. IV. Probatur ab authoritate. Aristoteles dicit. (1) *Bonum totidem modis dicitur, quot illud quod est; Nam & in substantia dicitur & in qualitate, & in eo, quod est ad aliquid, & in tempore, & in ubi, & alia hujusmodi*. Boetius dicit, (2) *quicquid est, in eo quod est, bonum est*. Augustinus (3), *Omne*, inquit, *quod est, in quantum est, bonum est*, & alibi postquam dixit Deum esse, (4) *qui summe est*, ait, *at cætera, quæ sunt, nisi ab illo esse non possunt; & in tantum bona sunt, in quantum acceperunt, ut sint*. S. Thomæ concepta verba sunt, (5) *Bonum convertitur cum ente, sicut & unum*. Idem nuper advertunt etiam Chambers (6) & Galli Encyclopædistæ (7).

95. Durandus longam contexuit disputationem de hoc, quod dicitur, bonum reciprocari cum ente, non tam propositioni, quam loquutioni se opponens, cui inhærendo contendit (8) verius negandum esse, quod ens & bonum convertantur inter se. Ratio ipsius comprehendi potest hoc syllogismo, illa convertuntur inter se, quæ per eamdem notionem explicantur: Sed ens & bonum non explicantur per eamdem notionem: ergo ens & bonum non convertuntur inter se. At respondeo, nego maj.; Ad significationem enim hujus loquutionis unum convertitur cum alio, alienum prorsus est observare, quo illa modo definiantur, cum illius sensus sit, alterum ex illis, quodcumque sit, enunciari de altero, vel inferri posse ex altero.

96. Secunda pars, quod omne ens sit bonum alteri, postquam probata fuerit, apparebit ex ea factum esse, ut illi (§.90), qui minus attenti sunt in subtilitatibus metaphysicis persequendis, cum observaverint omne, quod dicitur bonum, esse bonum alteri, statuerint nihil esse, aut dici bonum, nisi relative ad alterum. Igitur sic arguo. Imprimis Deus est Ens bonum respectu creaturarum omnium in genere caussæ efficientis, & respectu rationalium, etiam in genere causæ finalis; Nam a Deo omnis creaturæ bonitas

 pro-

(1) Arist. 1. Ethic. c.6. juxta Maurum n 3.
(2) Boet. lib. de Hebdom. cap.2.
(3) Aug. lib.1. de Doct. Christ. c.32.
(4) Id. lib.8. de Trin. cap.8.
(5) S.Thom. 1.p. q.6.art.4. O.
(6) Cham. Dictionar. ar.Bene pag.63.
(7) Encyc. art. Bon §.La Bonté d'etre.
(8) Dur. in 2. sen. dist.33. q.1. n.11.

provenit, & continuo dependet, & in Dei consequutione, vel aliquali imitatione summa perfectio creaturæ rationalis consistit. Hinc Augustinus dixit, (1) *Deum esse bonum omnis boni*.

97. Fuerunt quidem aliqui, qui Deum esse bonum respectu creaturarum dixerunt etiam in genere formæ, quod si intelligant in genere formæ intrinsecæ est merus Spinosismus, qui est contra omnem rationem & Religionem: Nam Deus nequit esse forma inhærens creaturis, easque intrinsece componens. De aliquibus, qui olim sic senserint, testis est Suarez (2), quin tamen ullum nominet. Recentius Franciscus Lanovius in epistola ad Mersennum, quæ extat inter opera Gassendi, in qua brevi Philosophiam Roberti Fluddi pessumdat, quod operosius fecerat Gassendus (3) Fluddum hunc accusat, (4) *Quod tribuerit Deo, ut ad modum formæ, quam vocamus informantem in compositionem cum materia veniat*. Sin autem intelligant, Deum esse bonum creaturæ in genere formæ extrinsecæ est contra superius (§.93.) dicta, ubi planum factum est creaturas esse bonas in se, adeoque non esse bonas solum per denominationem extrinsecam ab extrinseca ipsis bonitate.

98. Deinde prosequendo institutum argumentum, supposita in Deo Trinitate Personarum in Unitate Naturæ Divinæ cognita per revelationem, potest per rationem intelligi, quod vere una Persona Divina dicitur bonum alterius, non tantum ratione Naturæ, in qua illæ sunt unum, sed etiam ratione proprietatum personalium, in quibus distinguuntur; Nam etiam ratione hujusmodi proprietatum una Persona Divina est quid conveniens alteri, quia, ut inquit Suarez (5), convenit principium principiato, & terminus relationi, & existentia unius relativi alteri correlativo, & societas plurium Personarum singulis Personis.

Præterea Creaturæ sunt Ens bonum respectu Dei in genere operis consentanei Bonitati & Sapientiæ suæ, sicuti imago probe depicta est bona respectu pictoris. Et in hoc etiam sensu valet illud Geneseos, *Vidit Deus quod esset bonum*: scilicet convenienter dispositum, & fabricatum, prout sibi Artifici conveniebat.

Tandem singulæ creaturæ respectu aliarum sunt bonæ, vel quia aliæ ipsarum aliquo modo conferunt ad esse, vel ad commodum, vel ad perfectionem aliarum, vel saltem ad pulchritudinem & complementum Universi: ergo omne ens est bonum alteri.

(1) S. Aug. lib. 83. quæst. q. 24.
(2) Suar Metaph disp. 10 sect. 3. n. 8.
(3) Gass. Op. tom. 3. Examen Fluddi.
(4) Lanov. Op . Gassendi tom 3.
(5) Suar. Metaph. disp. 10. sect. 3. n. 7.

99. Tertia pars, Omne bonum in se est ens, non patitur controversiam, quia in ipsa notione talis boni illa entis includitur juxta ipsius definitionem (§.5.). Quare solet dici bonum generice sumptum converti cum ente, & tam ens quam bonum esse terminos transcendentales.

100. Quarta pars, omne bonum alteri est ens intelligi debet, quod sit ens ejusdem rationis, ac est bonum, scilicet ens reale, si id quod est bonum alteri, tale sit independenter ab omni cogitandi modo: ens vero per hunc cogitandi modum, si ratio boni ad alterum dependeat ab hoc cogitandi modo, quemadmodum accidit in privationibus & negationibus, quæ prout creduntur convenire alteri, entia quædam reputantur. Hoc pacto nulla est jam difficultas, quod omne etiam bonum alteri sit ens.

Articulus II.

Objectiones.

101. I. Obiicitur. Aurum argentum & gemmæ sunt entia bona alteri supra alia metalla & lapides, quin sint realiter bona in se supra alia metalla & lapides: ergo non omne ens est bonum in se, saltem quantum est bonum alteri. Antecedentis prima pars est evidens. Secunda probatur sic a Derhamo (1) post Tertullianum, qui (2) ex bile concepta ex hujusmodi rerum abusu illarum naturam deprimere conatus est, propterea iracundæ indolis homo appellatus a Daniele Bartolo (3). Aurum, inquiunt, & argentum per se ipsa non præstant usum potiorem cæteris metallis ad usus vitæ humanæ; neque enim meliores, aut plures pisces piscabatur Nero retibus auratis, quibus Suetonio teste (4) utebatur, quam faciant vulgares piscatores cum suis ex lino rudibus retibus, neque velocius currebant equi armati ungues calceis aureis, uti idem Auctor tribuit Poppeæ Neronis uxori, quam ferreis, ut vulgo fit; neque magis sapida evadunt condimenta cocta in vasis argenteis, quod dicit Plinius (5) fecisse Calvum Oratorem, quam in terreis aut æneis, ut communis est mos. Lucretius addidit, quod primis temporibus (6).

... Fuit in pretio magis æs, aurumque jacebat
Propter inutilitatem.

 Quia

(1) Der. Physic. Theol. B.3. cha.9.
(2) Tert. de Habitu Mulieb. cap. 5. & 6.
(3) Bar. Ricrea. del Sav. lib.1. c.12.
(4) Suet. in Neron. cap.30.
(5) Plin. Hist. Nat. lib 53 cap.11.
(6) Lucr. circa finem lib.5.

Quia scilicet aurum & argentum in tela, & instrumenta ad scindendum & dolandum compertum fuit conformari

Nequicquam, quoniam cedebat victa potestas,
Nec poterat pariter durum sufferre laborem,

ad quem nihil aptius est ferro, quod propter suam duritiem, quae etiam augetur, si candens cum est, immergatur in frigidam, non solum bene meretur de exercitio omnium artium, & de custodia vitae & fortunarum nostrarum, sed imperiose etiam sibi subiicit caetera omnia metalla. Quare prudenter Glaucus apud Homerum arma sua licet aurea commutavit cum aeneis Diomedis: ergo argentum, & aurum non sunt bona in se supra alia metalla.

102. Pro gemmis autem similiter sic arguitur. Gemmae non sunt immediati usus neque ad victum, neque ad vestitum, quod commune habent cum caeteris lapidibus, sed ne ad habitationem quidem & tutelam nostram, in quo vincuntur a vulgaribus lapidibus. Fabulosas tandem compertum est esse proprietates quasdam nobis salutares, quae de illis ab aliquibus praedicatae fuerunt, ut quod Adamas arceat venena & pestes, Chrysolitus mutet colorem ad praesentiam veneni, & similia, quae Ludovicus Dolce (1) propugnat, & post multos ab eodem citatos fuse refert, & brevi Joannes Bernardi in adjecta *de gemmis explicatione* ad calcem sui Vocabularii: ergo neque gemmae sunt bonae in se supra alios lapides.

103. Resp. conc. primam partem antec., & nego secundam. Ad ejus probationem conc. antecedentia, & nego consequentias. etiamsi enim aurum argentum & gemmae non praestent immediate per se ipsa usum potiorem ad vitam caeteris lapidibus, & metallis, habent tamen ingenitas quasdam proprietates plane admirabiles. Auro propria sunt insignis densitas ac ductilitas, quibus omne aliud corpus nobis notum excellit, & splendidus color ita aemulans illum solis, ut simul oculos oblectet, non laedat, & firmitudo nulli obnoxia rubigini, & ab ipsa gnis terrestris vi indomabilis, nisi admixtum fuerit Zincum; Uni enim cedit igni solari per specula ustoria collecto, a quo tandem referente Muschenbroekio (2) in vitrum purpureum convertitur: Et his similes dotes sunt in argento; Teste enim Jo: M. de Turre (3) auri certum pondus post duos menses ignis violentissimi idem repertum est, & illud argenti imminutum fuit sola sui parte duodecima. In gemmis vero videas amabiles colores conjunctos cum eximia aptitudine ad lucem emittendam, & reflectendam, ita ut compertum sit juxta Acad. Scient. Parif. ann. 1735. apud Muschenbroekium (4) lucere in ipsis

(1) Dol. delle Gemme lib. 2. cap. 1.
(2) Muff. Introduct. §. 1618.
(3) Tur Ele. Phys. t. 4. § 932. & §. 918.
(4) Muff. Ele. Phys. §. 356. n. 1.

ipsis tenebris adamantes impositos cochleari argenteo aliquantisper calefacto, vel aquæ calidæ injectos, & vividius effulgere, quæ naturales sunt, & non artificiales, dum accensæ faci admoventur. Videas præterea in omnibus exceptis topatio & smaragdo insignem duritiem, quæ limam contemnit, qua etiam ratione authore Ludovico Dolce (1) veræ a falsis distinguuntur. Tam autem in gemmis, quam in auro & argento raritas est & stabilitas singularis; ex quibus semel cognitis ab hominibus, natum necessario est commune judicium de illorum æstimabilitate majori supra omnia alia corpora, quod habebant etiam heroës belli Trojani, quippe idem Homerus dicit arma Glauci valuisse centum boves, & illa Diomedis novem.

104. Quando igitur historice & non poetice eo modo de auro loquutus fuerit Lucretius, inde concluditur non jam rectum eorum hominum judicium, sed sola ignorantia, qualis etiam nostris temporibus reperitur apud aliquos Americæ populos ex testimonio Ivani & Ulloæ (2), & ex illo Trevoltianorum (3) apud Sinenses. Nam ut in objectum Lucretii locum dicit ipsius Commentator Dionysius Lambinus, *Aurum merito cæteris omnibus metallis anteponitur*, propter ejus singulares proprietates ab ipso pariter observatas & enumeratas. Ex prædicto autem prælationis judicio, quantum pertinet ad aurum, argentum, & æs natus est & quidem processu temporis, ut in Digestis (4) exponitur, consensus ille hominum ea assumendi in mensuram expeditam ad commutationes rerum inter diversos homines peragendas cum ea æqualitate, quæ fundatur in indigentia, quæ potest esse major, aut minor pro diversis temporibus, & locis, quemadmodum declarat Aristoteles (5).

105. Atque vetustis quidem temporibus diversa hujusmodi metallorum frusta, alia aliis majora adhibita fuerunt nullo signo distincta: deinde vero iisdem ad certum pondus redactis signum etiam impressum fuit: quod (6) *quando ubi & quis primus effecerit, controvertitur*, inquit Bernardus Davanzati, & Carolus etiam Arbuthnotius (7) de hac re strictim sed erudite disserentes. Romæ quidem sub Servio Tullio numi ærei signati fuerunt pecude, unde pecuniæ nomen; deinde argentei anno Urbis CCCCLXXXV. Q. Fabio Consule, teste Plinio (8): & tamdem aurei post annos duos

(1) Dol. delle Gemme li.1. cap.9.
(2) Ull. Relazion. Historica tom.3.
(3) Trev. an.1750. art.15. p.267.
(4) ff. de Contrahenda Empt L. Origo. juxta Maurum.
(5) Arist. Ethic. lib. 5. cap.5. art. 2.
(6) Davan delle Monete sub initium.
(7) Arb. Tabulæ Nummorum c.1.
(8) Plin. Hist. lib 33. cap.3.

duos supra sexaginta. Atque singulæ paulatim excultæ gentes eumdem morem sequutæ, pro arbitrio modo unam, modo aliam imaginem iisdem metallis impresserunt, De usitatioribus catalogum dedit citatus Arbuthnotius. Nec jam amplius contingit, quod Svecis ære abundantibus multo magis, quam cæteris metallis tribuit Leibnitius (1) *ut pecunia ex venditis in urbe agelli fructibus quæsita, non marsupio, sed carro domum sit referenda*, in quo non haberi hyperbolam, mihi quidem persuadent, quæ apud Franciscum Negri (2) lego de Svecorum monetis.

106. His de causis aurum imprimis, & deinde argentum, cum hujus pondus ut quindecim nunc æquivaleat auri ponderi ut unum, ut docet Hieronymus Belloni scribens *de Commercio* (3) annò 1750., præstant jam talem usum ad vitam, ut merito dicantur esse æquivalenter omnia, quippe tamquam Protei quidam transformantur in omnia, quæ ad ejus vel necessitatem vel oblectationem faciunt. Quare jure, ut habet Aloysius Alamanni (4).

Disse Crasso a Caton, dall' Oro nasce
Quanto adorna, diletta, onora, e pasce.

idemque brevius exprimunt tum Lingua Latina, in qua dives & beatus, tamquam synonima habentur: tum Lingua Græca, in qua *χρήματα* significat tum pecuniam, tum utile.

107. Et vero quid magis necessarium agricultura, & artibus vestiaria, textrina, sutrina, ferraria, aliisque multis etiam nobilioribus, & quæ bona vitæ augent ornant tuentur, Sed per aurum quisque est colonus, textor, faber omnis insignis & optimus, dum hoc illi comparat fructus omnium exquisitissimos, vestes pretiosas, omnem supellectilem, & quævis ad hæc custodienda usque adhuc excogitata propugnacula. Quid magis utile ad bonam valetudinem vel conservandam vel reparandam non dicam auro epoto, ut per quam multi, quos citat & sequitur Vincentius Carellius (5) olim decuerunt, sed opportunis optimorum ciborum vel medicamentorum subsidiis, & benevola aliorum vigilantia, quæ per aurum affluenter acquiruntur. Per aurum non jam a fabuloso Mida sed a vulgaribus fabris tractatum ipsa in se nullius pretii aut speciei corpora, ferrum lignum cæmentum pelles fila, fiunt aurea. Per aurum tandem, qui eo abundet, vitam illam potest vivere, quam Poetæ tribuunt hominibus sæculi, quod confinxerunt aureum, in quo flumina lac, arbores mella, tellus messes, & de-

(1) Ler. Oedipus Chimicus in Miscel. Berol. ann. 1710. pag. 18.
(2) Negr. Viagg. Settentr. letter. 2. p. 89.
(3) Bell. cap. 4.
(4) Alam. Epigr. 50.
(5) Car. de Auri essentia cap. 5.

& delicias omnes ſponte ſua largiebatur, quin ſcilicet ullo ad hæc obtinenda opus eſſet labore.

108. Ex eodem judicio, accedente jam etiam cognitione utilitatis pecuniæ, factum eſt, ut ipſæ gemmæ tanti habeantur, utpote quæ indicant opulentam in earum dominis conditionem; prout enim hæc minuitur, illæ quoque ad alios poſſeſſores diſtrahuntur numerato pretio, quod inſigne plerunque eſt maxime in adamantibus. Duo enim illi omnium celeberrimi, alter Imperatoris Mogolis ponderans ſiliquas Italice *carati* 279., ſeu grana frumenti 1116, nam horum quatuor unius ſiliquæ pondus conficiunt: alter Magni olim Etruriæ Ducis ponderans ſiliquas 139., valent ſupputante Tavernierio apud Hieronymum Chriſtiani (1), & Pluchem (2), primus quidem 1065 752 aureos Venetos, ſecundus vero 237 121, juxta regulam, quam Trevoltiani (3) ex Davide Jeffries aſſignant, quod dati adamantis jam expoliti pretium ſit numerus numorum, qui ſtabilitur pro una hujus gemmæ ſiliqua, multiplicatus per quadratum numeri ſiliquarum duplicati, quibus ipſa hæc gemma conſtet. Quare finge unam ſiliquam valere tres aureos, hunc numerum multiplica per 77284. quadratum numeri 139. duplicati, habebis pretium ſecundi adamantis, quod accedit illi relato. Qui notas adjecit Geographiæ Antonii Friderici Buſching Italice redditæ a Gaudioſo Ingemann juxta editionem primam Venetam, cum velit valere aureos 432 132 800 adamantem ultimis hiſce temporibus a Regibus Luſitaniæ acquiſitum, quem fama eſt periiſſe in incendio excitato in terræmotu Ulyſipponenſi anni 1755. neceſse eſt vel unius ſiliquæ pretium majus conſtituat, vel aliam viam teneat; quoniam ex pondere eidem attributo ſiliquarum 1680. infertur valor aureorum 33 868 800.

109. II. Objicitur. Judicium erroneum, & appetitio perverſa, ſeu contra rectam rationem ſunt aliquod ens: ſed illa non ſunt bonum nec in ſe, nec alteri: ergo non omne ens eſt bonum in ſe aut alteri.

Reſp. diſt. maj. Judicium erroneum, & mala appetitio ſunt ens, ſecundum quod judicium & appetitio ſunt, conc. maj., ſecundum quod privatio ſunt rectitudinis, nego maj. Et diſtinguo primam partem minoris, illa non ſunt bonum in ſe, ſecundum quod privatio ſunt, conc. ſecundum quod ſunt ens, nego hanc partem. Quod vero pertinet ad ſecundam partem, illa abſolute negari poteſt, prout univerſaliter aſſeritur. Dico itaque in judicio erroneo, & ma-

(1) Chriſt. delle miſure cap. 4. n. 153.
(2) Pluch. ſpect. d. natur. tom. 6. en. tre. 3. Les Carrieres.
(3) Trevolt. Ann. 1753. artic. 104. pag. 2342.

& mala appetitione distinguendas esse ipsas quasi entitates hujusmodi actuum ab ipsorum privationibus, propter quas iidem sortiuntur malignas illas appellationes. Entitates actuum sunt quid conveniens suis potentiis, quas reddunt actu operantes, sicuti supra (§.86,) dictum est de errore, adeoque sunt earum bonum: privationes vero scilicet rectitudinis ipsis debitæ, sicut ipsum nomen indicat, non sunt quid illis conveniens, sed ne sunt quidem ens ullum in se. Et quando per nostrum modum concipiendi evadant ens aliquod, certe nequit universaliter asseri, quod error & mala inclinatio aliquando non sint bonum alteri. Sic error Isaaci attulit Jacobo primogenituram, & Invidia Fratrum Josephi extulit illum ad Ægypti gubernationem.

110. III. Objicitur. Relationes seu Personalitates Divinæ sunt Ens reale etsi relativum: sed graves nec pauci Theologi propugnant Relationes Divinas non dicere perfectionem ullam: ergo non omne ens dicit perfectionem: ergo non omne ens est bonum.

Resp. concessis præmissis, distin. consequens: ergo non omne ens dicit perfectionem juxta prædictos Theologos, conc., aliter nego primam consequentiam, & alteram omitto, de qua illi viderint, qui eam sententiam circa Divinas Relationes tenent. Verius enim philosophantur, qui illam impugnant, & contrariam statuunt, ut videre est apud Suarez in libro tertio de Trinitate, & alibi (1).

111. IV. Objicitur. Objecta Matheseos, ut lineæ & superficies, non sunt ullo modo entia bona, sed solum vera: ergo non omne ens est bonum.

Resp. nego maj., cujus tota ratio est Aristoteles, propterea quod dixerit, (2) res mathematicas esse quidem veras, sed non esse bonas. Verum mens ipsius ibidem non est negare illis bonitatem in se, quæ reciprocatur cum ipsarum essentia, sed solum significare, ut declarat cum S. Thoma Suarez (3), per scientiam mathematicam non considerari in quantitate, quæ est objectum Matheseos, rationem boni, aut convenientis.

112. V. Objicitur. Essentiæ possibiles rerum nondum existentium sunt entia realia; nam non sunt ex hypothesi entia impossibilia: sed non sunt bona; nam quod caret existentia, nullam habet perfectionem: ergo non omne ens est bonum.

Resp. dist. antec., sunt entia realia, sed solum possibilia, & non in actu, conc., sunt entia in actu, nego maj., & dist. min. non sunt actu bonæ, conc., non sunt in potentia bonæ, nego min.

& con-

(1) Suar. Met. disp.10. sect.3. n.11.
(2) Arist. 3. Metaph. tex.4.
(3) Suar. Met. disp.10. sect.3. n.19.

& conſeqm. Quod eſt actu ens, eſt etiam actu bonum, & quod non eſt niſi in potentia, ne eſt quidem bonum niſi in potentia. Solum advertit Suarez, (1) quod ex uſu vocatur ens ſine ullo addito etiam id, quod non exiſtit, quando non repugnat ut poſſit exiſtere, non vero ſolet vocari bonum ſimpliciter, niſi quod actu exiſtit, quia nihil appetitur, niſi in ordine ad actualem exiſtentiam, quam actu habeat, vel putatúr habere, vel ſperatur fore, út habeat.

113. VI. Objicitur. Bonum ex S. Auguſtino conſiſtit (2) in modo ſpecie & ordine: ſed multa entia poſitiva carent modo, ſpecie, & ordine naturæ ſuæ debito: ergo multa entia poſitiva non ſunt bona: ergo non omne ens eſt bonum.

Reſp. diſt. maj., & ibi Auguſtinus loquitur de modo ſpecie & ordine intrinſeco & eſſentiali ipſi enti, quod dicatur bonum, ut explicat S. Thomas (3), conc. maj., de modo ſpecie & ordine extrinſeco & accidentali, nego maj., & diſt. min., multa carent modo ſpecie & ordine ſibi extrinſeco & accidentali, conc. min., intrinſeco & eſſentiali, nego min., & diſt. conſequens: multa non ſunt bona in omni ſenſu, qui importat omnem omnino perfectionem, conc. conſeqm.: multa non ſunt bona in ſenſu tranſcendentali, ſive qui convertatur cum ente, nego conſeqm. Dico igitur omne ens poſitivum ea ratione, qua convertitur cum bono, eadem ratione converti etiam cum eo, quod habet illa tria, modum ſpeciem & ordinem, ſed intrinſeca ſibi & eſſentialia. Ita nullum eſt ens, quod non ſit in aliquo genere, in quo conſiſtit modus aliquis ipſius, & eſt vel ſubſtantia vel accidens: & non habeat aliquam entis ſpeciem, ut vel ſpiritus vel corporis: & tandem non habeat aliquem ordinem ad aliquem ſcilicet finem. His tribus habitis, prout ad eſſentiam entis pertinent, non eſt dubium, eadem in alio ſenſu, qui non pertinet ad eſſentiam entis, non reperiri in omnibus, & in aliquibus perfectius, quam in aliis reperiri.



H PRO-

(1) Suar. Metaph. diſp. 10. ſect. 3. n. 25.
(2) S. Aug. de Natura Boni c. 3. & 4.
(3) S. Thom. 1. p. q. 5. art. 5.

PROPOSITIO III.

Bonum in se est semper bonum alteri: & sive sit bonum in se increatum sive creatum, est semper bonum alteri, quod sit ens increatum: non vero alteri determinate sumpto, quod sit ens creatum: at viceversa bonum alteri non est semper bonum in se.

114. PRobatur prima pars. Omne ens eo modo, quo est ens, est bonum tam in se, quam alteri (§. 96.) scilicet si ens sit solum per nostrum modum cogitandi, erit bonum tam in se, quam alteri solum per nostrum modum cogitandi: sin autem ens sit ante omnem modum cogitandi nostrum, erit etiam bonum tam in se, qnam alteri ante omnem modum cogitandi nostrum: ergo omne bonum in se, est semper bonum alteri.

115. Secunda pars, nimirum bonum in se tam increatum, quam creatum, est semper bonum alteri determinate sumpto, quod sit ens increatum, probatur sic. In Divinis singulæ Personæ Divinæ in se bonæ & perfectissimæ, sunt etiam semper, utpote immutabiliter, bonæ sibi invicem ex dictis (§. 98): ergo bonum in se increatum est semper bonum alteri determinate sumpto, quod sit ens increatum. Rursus quævis creatura, utique in se bona, est semper bona Deo Uni & Trino eo modo, quo illi esse potest bona, scilicet prout consentanea semper est ipsius perfectionibus; Nam ipsi semper dat gloriam per suam essentiam, quovis modo hæc sit & existat, sive solum materialis ut res inanimatæ: sive solum immaterialis, ut Angeli: sive composita ex re materiali & re immateriali, ut homo: atque hæ sive sint in statu miseriæ etiam æternæ, ut Angeli mali, & alii reprobi, sive in statu beatitatis, ut Angeli boni, & alii Beati: ergo etiam bonum in se creatum est semper bonum alteri determinate sumpto, quod sit ens increatum.

Quæ contra hanc partem objiciuntur, desumpta a sempiterna reproborum damnatione, tamquam officientia Gloriæ Dei, & præsertim ipsius Bonitati, ubi agitur de Malo, dissolvuntur.

116. Tertia pars, nimirum bonum in se, sive illud sit increatum, sive creatum non est semper bonum alteri determinate sumpto, quod sit ens creatum, probatur. Deus ens increatum, & sum-

summum bonum in se, est quidem bonus omnibus & singulis creaturis, cum dat illis ut sint; at non est bonus illis, quæ damnantur ad æternos cruciatus, cum de his dici possit, quod Christus dixit de Juda (1) *Bonum erat ei, si natus non fuisset*: ergo bonum in se increatum non est semper bonum alteri determinate sumpto. Rursus si percurramus singula rerum creatarum genera, prout ab Aristotelicis distributa sunt in decem quasi cohortes, quas vocant Categorias, de singulis invenimus dici posse, quod non sint bonæ alteri in particulari creaturæ. Ita inter substantias quid utilius aqua igni auro? sed quid noxium magis illis qnos aquæ suffocant, ignis devorat, & opes in vitia præcipitanter impellunt? Inter accidentia quid præstantius scientia aut arte? sed quid turpius harum abusu? Inter qualitates quid horribilius veneno, quod vitam nobis adimat? at quid magis conveniens ipsissimet rebus, quibus proprium est. Nonne serpentes tam bene eo instructi sunt ad se tuendos, quam bene tauri cornibus, & feles unguibus armantur. Inter loca meliora sunt nobiliores Urbes, sed molesta iis, qui mallent in patria licet humili loco vivere. Inter situs commodum est jacere, sed quando fessi sumus, vel infirmi, non vero quando sani, vegeti, & vigiles. Inter habitus bona sunt Sauli bellatori lorica & galea, at non Davidi, qui hæc a se reiicit, tamquam pugnæ impedimenta. Et sic de aliis. Ergo bonum in se creatum non semper est bonum alteri enti creato determinate sumpto.

117. Ex iis, quæ dicta sunt tum in hac, tum in superiori propositione, colligitur, quod sicut vere dici potest omne bonum in se esse bonum alteri, ita dici vere etiam potest omne bonum in se esse malum alteri, quandoquidem utrobique dicitur bonum vel malum alteri indeterminate sumpto. Hoc modo Angeli quibus Deus usus est in puniendis Ægyptiis dicuntur mali a Scriptura (2) *Misit in eos iram indignationis suæ, immissiones per Angelos malos*, non quia essent ex Angelis electione sua malis; sed quia malum illi populo inferebant, ut probabilius censet interpretandum Pererius (3). Porro in hac relatione unius rei ad alias diversas fundantur illæ sophistarum declamationes, quibus quæ communiter magni æstimantur, deprimunt, & quæ rursus vilia vel perniciosa habentur, pretiosa & utilia esse contendunt suadere.

118. Quarta tandem pars propositionis, nimirum bonum alteri non est semper bonum in se, saltem ante omnem modum cogitandi nostrum, probatur; Potest aliqua negatio vel privatio, qua-

(1) Mat. 26.
(2) Psal. 77.
(3) Perer. disp. 12. in cap. 7. Exod. num. 70.

quatenus apprehenditur per modum entis esse bonum alteri. Ipsum non esse, vel non nasci, quatenus conveniens esse potest ad perpetua mala effugienda, bonum appellavit Christus Dominus de Juda loquens ex nuper dictis: & in moralibus omnis omissio operationis vetitæ a lege, bonum aliquod censetur & conveniens homini: sed privatio vel negatio non est bonum in se: ergo bonum alteri non semper est bonum in se.

SECTIO IV.

De Bono honesto delectabili & utili.

PROPOSITIO I.

Divisio boni in honestum, delectabile, & utile est optima divisio boni in genere.

119. 
Ropositio est cum S. Thoma, qui sic statuit (1) *Hæc divisio proprie videtur esse boni humani, si tamen altius & communius rationem boni consideremus, invenitur hæc divisio proprie competere bono secundum quod bonum est*. Equidem pro ea sic arguo. Illa est optima divisio, quæ est adæquata, hoc est complectitur omnes diversas partes alicujus totius, & non potest fieri per pauciores partes: sed talis est prædicta divisio: ergo. Probatur prima minoris pars, quia omne bonum vel est tale in se, vel est tale in ordine ad aliud, quæ est prima & remota divisio boni in genere per membra contradictoria (§. 11.). Rursus prout aliquid est in se bonum, tale est, propterea quod vel est honestum, vel est delectabile, & nihil habetur tertium: prout vero aliquid est bonum alteti, tale est, vel propter honestatem, vel propter delectabilitatem, vel propter utilitatem, & non est excogitabilis alia ratio boni: ergo prædicta divisio est adæquata. Quod autem nequeat fieri per pauciores partes quæ est secunda minoris pars suadetur, quia controversum non est bonum jucundum & delectabile distingui a bono utili. Quis enim non videt pecunias habere quidem rationem boni utilis ad comparandas delectationes sensibiles, non

(1) S. Thom. 1. p. q. 5. art. 6. O.

non tamen reddi ipsas per se delectabiles aut honestas, & medicinam, si tollas ab ea rationem utilis ad sanitatem, esse veram molestiam. Controversia etiam quæ fit circa distinctionem boni honesti a delectabili, quæ sunt duo membra boni in se, dirimitur ostendendo, dari aliquod bonum delectabile, quod non est honestum, quæ est responsio Pallavicini in hac quæstione (1), & dari etiam aliquod bonum honestum, quod non est delectabile saltem delectatione sensibili, ut inferius patebit.

120. Prima iterum & secunda simul minoris pars suadentur percurrendo aliquas boni divisiones, quæ ab aliis, qui ab hac, quæ cæteroquin communis est apud Philosophos, & Theologos recesserunt, factæ sunt, quas patebit non esse opportunas.

I. Divisio boni in communi, cujus meminit Aristoteles (2) in bonum honorabile, & bonum laudabile, manca est. Nam non comprehendit bonum delectabile, quod suadetur. Laus differt ab honore, quatenus honor debetur naturæ rationali propter aliquam excellentiam absolutam, hoc est quam in se habet sine respectu ad alia extra se: laus vero debetur cuivis rei propter excellentiam in ordine ad aliqnem finem. (2) *Videtur*, sic Aristoteles, *omne laudabile propterea laudari, quia qualitate aliqua præditum est, & ad aliquid quodammodo refertur*. Atqui bonum delectabile, præcise ut bonum delectabile, neque est dignum honore; nam ad hoc requiritur, ut sit etiam honestum honestate propria naturæ rationali qua tali, & tunc honorabile erit propter honestatem non vero propter delectationem: neque est dignum laude; nam ad hoc requiritur, ut sit utile, & tunc erit laudabile propter utilitatem, non vero propter delectationem: ergo.

121. Hinc observari potest, argumentum Eudoxi, quo contendebat felicitatem consistere in voluptate, nullum esse, & perperam tamquam bonum laudari ab Aristotele citato loco; Illud enim sic habet. Bonum, quod non laudamus, est majus bonis laudabilibus, & vel est Deus, vel est summum bonum: sed voluptas est bonum, & illam non laudamus: ergo voluptas est bonum majus omnibus bonis, & ipsis virtutibus, & est summum bonum,

Respondetur enim, dist. maj. Bonum, quod non laudamus, sed honoramus, est majus omnibus bonis laudabilibus, transeat major: bonum quod non laudamus, neque honoramus, est majus omnibus bonis, nego maj.: & applicata simili distinctione ad minorem negatur consequentia. Aliter etiam mala ostenditur ea argu-

(1) Pallavicin. in 1. 2. disput.3. artic.3.

(2) Arist. 1.Ethic. cap.12. juxta Maurum.

argumentatio, quia omissâ majori, negari potest minor; Nam voluptas, quo nomine venit delectatio sensibilis, cum sit instituta propter operationes necessarias ad vitam conservandam, habet ordinationem ad aliquem finem: ergo habet id, quod pertinet ad rationem boni laudabilis.

122. II. Divisio boni in metaphysicum, physicum, & morale, quam proponit Leibnitius (1), & habet etiam Chambers (2), est divisio ex multiplici capite imperfecta. Quod ut intelligatur, dico illum nomine boni metaphysici significare perfectionem positivam rei cujuscumque: nomine vero boni physici, commodum substantiæ intellectualis: nomine tandem boni moralis, virtutem propriam voluntatis. Appellatio boni physici, ejusque notio importans commodum naturæ intellectualis, seu determinate magis loquendo, generis humani, non tamen quodcunque, sed illud dumtaxat, quo fruatur independenter a sua industria & electione, jam olim usitata fuit, quin immo communis apud Auctores, ut ait Pallavicinus (3), qui proinde statuunt bonum morale esse sub genere boni physici modo dicto explicati, & constitui in specie boni moralis ab electione libera, qua tale commodum procuratur, tamquam a differentia specifica. Hujusmodi interea divisio ostenditur imperfecta primo, quia non procedit per rationes diversas boni, de cujus generica ratione ne meminit quidem: sed procedit partim per subjecta diversa, quæ bonum aliquod habere possunt, ut sunt entia quævis positiva, & ens determinate intellectuale, partim vero per objecta, ut sunt virtutes morales: secundo, quia non datur locus distinctus bono utili, & bono delectabili, quæ duæ boni species maxime discrepant inter se, sed simul confunduntur sub expressione confusa boni physici explicati per hoc, quod sit commodum substantiæ intellectualis.

123. III. Divisio boni in illud, quod unice gratia sui amatur, ut gaudium & voluptas: & illud, quod amatur in gratiam eorum, quæ ab ipso fluunt, ut medicina & pecunia: & illud quod tum gratia sui, tum gratia eorum, quæ efficit, amatur, ut virtus: est divisio, quam habet Plato (4), cujus etiam sunt exempla allata. Hæc divisio æquivalet divisioni in bonum per se, & bonum alteri & bonum tum per se tum alteri, quæ proinde minus distincta est; utpote quæ mentionem non facit de pervulgatis bonis honesto & delectabili specie diversis, & solum ea relinquit quodammodo expiscanda in horum effectibus, gaudio quod ab honesto, & voluptati

(1) Leib Causa Dei ad finem Theodic. n.29.
(2) Chamb. Dittionar. art. Bene,
(3) Pall. del Bene lib.1. cap 10. n.2.
(4) Plato lib.2. de Rep. a princip.

ptati quæ a delectabili nascitur, quod sit sensibile (§. 51.).

124. IV. Divisio boni in absolutum & utile: & divisio boni utilis in utile per se ipsum, & utile per aliquid a se distinctum: & tandem divisio boni utilis per se ipsum in bonum honestum & delectabile, est divisio boni tradita ab Yvone in Encyclopæd a (1). Rejicitur, quia recepta notio hujus nominis *utile* est, illud dicere ordinem, ut medium ad aliquem finem: ergo ista loquutio *utile per se* in sensu excludente notionem medii ad finem est inaudita. Deinde qui audit *utile per se*, intelligit conducentiam proximam, vel necessariam rei alicujus ad finem, contrapositæ ad illam, quæ mediata est, vel accidentalis, non vero intelligit aliquid, quod congruat appetitui rationali, vel appetitui sensitivo, sicut vult Yvon. Multo autem magis absona est illa loquutio, *utile per aliquid a se distinctum*, loco dicendi utile propter aliquid a se distinctum, in quo habetur sensus, quem ibi intendit Auctor, & qui clarus est, communis, & etiam unicus pro hoc nomine utile. Tandem etsi detur aliquid, quod simul sit honestum & delectabile & utile, nihilominus datur etiam aliquid, quod honestum tantummodo est, & nec delectabile nec utile, ut inferius distincte ostendam: Et similiter datur aliquid delectabile, quod nec honestum est nec utile, ut communiter dicitur de quavis intemperantia, & cujusmodi fuit, quod ex dictis (§. 50.) tot Angelos perdidit: ergo non sunt confundenda hæc nomina utile honestum & delectabile, nec pervertendæ illorum receptæ notiones.

125. V. Divisio boni seu bonitatis in entitativam objectivam physicam & moralem est divisio proposita ab Honorato Fabri (2). Circa notionem bonitatis moralis convenit ille cum communi acceptione: sed bonitas entitativa per ipsum est ea, quæ ab aliis dicitur bonitas transcendentalis: objectivam vero dicit idem esse ac appetibilitatem. Physicam tandem vult esse, qua *aliquid alteri dicitur bonum*. Rejicitur, quia bonitas objectiva includitur in bonitate entitativa: sicuti enim nulla est bonitas, quæ non sit appetibilis, ita neque ulla est bonitas, quæ non sit objectiva, cum hæc idem sit, ac appetibilitas. Præterea quod nomine bonitatis physicæ intelligatur sola bonitas ad alterum: non vero in se, est nimis alienum ab usu recepto hujus nominis physica.

126. Objicitur. Vacuitas doloris, & securitas seu tranquillitas animi sunt aliqua bona: sed hæc bona non reducuntur ad ullam ex tribus prædictis speciebus boni honesti delectabilis & utilis: Quod

(1) Yvon. Encyclop. Art. Bon. §. Un Etre.

(2) Fabr. Summul. Theolog. tract. 3. cap. 14. n. 1

Quod confirmatur, quia teste Tullio (1) pro vacuitate doloris tamquam summo bono Hieronymus antiquus Philosophus pugnavit, quem nuper sequuti sunt Encyclopædistæ in prævio ad suum opus sermone: pro securitate autem Democritus: ergo divisio illa non est adæquata.

Resp. Conc. maj., & nego min. Vacuitas enim doloris, & securitas si appetantur, quia conveniunt naturæ, jam reducuntur ad bonum honestum naturaliter. Quod si non tam negatio doloris & sollicitudinis appetatur, quam jucunditas, quæ est quid positivum, illas negationes secum necessario trahens saltem accedente reflexione, hæ jam ut patet reducuntur ad bonum delectabile, quemadmodum profitetur Torquatus apud Tullium propugnans ante hunc Hieronymum jure (2) *non placuisse Epicuro medium esse quiddam inter dolorem & voluptatem; Illud enim ipsum, quod quibusdam medium videtur omni dolore carere, voluptatem esse*. Quare dum hi Philosophi vacuitatem doloris, aut securitatem inter bona numerant, quamdam dumtaxat enunciant speciem infimam alicujus ex tribus dictis generibus: dum vero ea prædicant esse summum bonum, vel proferunt *enervatam muliebremque sententiam* ut ait Tullius ipse multis Hieronymum impugnans (3), si voluptatem fateantur se tandem per ea nomina significare, vel nesciunt quid dicant, si in sola negatione doloris statuant summum bonum. Nam ut idem iterum iterumque observat, (4) *qui non est in dolore, si malo careat, continuone fruitur summo bono?* Si hoc esset, jam stupiditas dicitur summum bonum. Ad hanc absurdam conclusionem Abrahamus Chaumeix redigit (5) objectos Encyclopædistas, iisdem non solum exprobrans, quod ita citato loco affirmaverint negationem doloris esse summum bonum, ut reprehenderint, qui illud ponerent in voluptate, sed etiam quod deinde in articulo de Felicitate illud in voluptate per apertam contradictionem constituant. Nisi forte quis velit dicere voluptatem constitui ab illis pro summo bono hujus vitæ: vacuitatem vero doloris pro summo bono post hanc vitam mere negativo, negando scilicet cum Materialistis immortalitatem animæ. Quam accusationem contra illos alibi (6) idem auctor de hac opinione iterum loquens non dissimulat.

PRO-

(1) Tull. de Fin. lib. 5. n. 20.
Id. Tusc. l. 5. n. 84.
(2) Tull lib. 1. de Fin. juxta Olivet. n. 11.
Id. ibid. lib. 3. n. 3. & seq.
(3) Id. Tusc. lib. 2. n. 2. pag. 356.
(4) Id. Tusc. lib. 3. n. 18.
Id de Fin. lib. 3. n 3.
(5) Chau. Prejugez contre l' Encycl. lib. 2. sect 2. cha. 1. art. 3.
(6) Id. tom. 8. sect. 2. cha. 2. in notis.

PROPOSITIO II.

Divisio boni in honestum delectabile & utile pertinet ad solam naturam cognoscentem: & quamvis non sit divisio in membra immediate descendentia, nihilominus est opportuna divisio.

126. PRopositio, prout exclusiva est, opponitur Peripateticis, qui, cum materiæ ipsi informi appetitum formarum, & materiæ jam formatæ etiam ii inanimi appetitum quarumdam qualitatum, & determinati alicujus loci tribuerent, consequenter extenderunt hanc divisionem ad naturam quamcunque etiam brutam. Præter S. Thomam, qui systemate Peripatetico usus est, sic affirmantem (1), audiatur Suarez: (2) *Bonum*, inquit, *honestum naturale proprie invenitur in rebus etiam inanimatis; nam in omnibus reperitur perfectio aliqua, quæ per se terminat appetitum naturalem, ut est ipsum esse vel conservari, quod qualibet res appetit. In qualibet etiam re proprie inveniri potest bonum utile per habitudinem ad hoc bonum naturæ. Sic motus deorsum respectu lapidis comparatur ut bonum utile, quia per se non pertinet ad perfectionem ejus, sed solum ut in proprio loco constituatur.* Solam ipse rationem boni delectabilis vere & proprie convenire rebus inanimatis negat, sed *solum per metaphoram & analogiam, in quantum quietem habet unaquæque res in proprio bono consequuto*; quæ expositio mihi videtur importare rationem delectationis, adeoque & boni delectabilis plusquam satis proprii, & non metaphorici etiam relate ad res inanimes, idque congruenter ad appetitum quemdam naturalem semel in ipsis adesse propugnatum, cui quoties non sit satisfactum, dicuntur esse in statu violento.

127. Probatur jam prima propositionis pars. Divisio boni in honestum delectabile & utile habet locum relate ad naturam, quæ æstimare aliquo modo potest objectum sibi propositum, & de illo aliquatenus judicare esse honestum, aut delectabile, aut utile; Nam nomine appetitus venit principium quoddam intrinsecum enti, per quod tendit in objectum præcognitum. Nec quæ dicunt Peripatetici de appetitu materiæ, aut meri corporis, ut lapidis, circa determinatum aliquem locum, subsistunt cum attributo ipsi essentiali, nimirum inertia, quæ ex sua notione exclu-

 dit

(1) S. Thom. 1. p. q. 5. art. 6. O.

(2) Suar. Metaph. disp. 10. sect. 1. n. 16.

dit omnem cognitionem, & admittit solum motum, qui & qualis a caussa ipsis extrinseca efficiatur, ita ut tribuere rebus materialibus appetitus & inclinationes idem sit, inquit Duhamel, ac (1) *rerum maxime disjunctarum attributa confundere*. Atqui natura, quæ potest aliquo modo æstimare objectum, & de illo judicare est solum natura cognoscens: Atque talis sine controversia est natura intellectiva inter cognoscentes potissima, quæ abstractas etiam rationes triplicis prædicti boni sibi efformare potest, & in ipso bono honesto illud etiam discernere, quod præcipuum est, scilicet morale: De natura autem, quæ solum cognoscitiva sit, qualis admittitur communiter in brutis, & quidem objectorum dumtaxat sensibilium, divisio subjacet eidem controversiæ ac illa, quam excitarunt Cartesiani contra Brutorum animam, in qua quidem caussa contra illos est, tum Senatus ut ita dicam, nimirum cæteri omnes Philosophi, tum populus, ipsum scilicet vulgus. Certe S. Thomas tribuit Brutis sensum communem, ad quem dixit, (2) *pertinere discretionis judicium albi a dulci, quod non potest neque visus neque gustus*: & rursus Æstimativam, quia, inquit, *necessarium est animali, ut quærat aliqua vel fugiat, non solum quia sunt convenientia, vel non convenientia ad sentiendum: sed etiam propter aliquas alias commoditates, sive nocumenta. Sicut avis colligit paleam, non quia delectat sensum, sed quia est utilis ad nidificandum*. Et exemplum profecto appetitus circa bonum naturaliter honestum produnt Bruta, dum ea, quæ ad sui conservationem pertinent, sibi procurant, Aliud Tullius satis illustre observat in ipsis, dum (3) *pro suo partu ita propugnant, ut vulnera excipiant, nullos impetus, nullos ictus reformident*. Appetitus autem brutorum circa bonum delectabile, nescio an indigeat exemplo; talia enim argumenta produnt aliqua bruta delectationis in cibo sibi proposito, ut si possent eloqui, credo audiremus identidem exclamare, o dulces epulas! o rem suavem! De Cognitione tandem, & quadam quasi electione boni utilis, exemplum habetur in iis, quæ bruta faciunt, dum nidos sibi condunt, ab hostibus se defendunt, prædam quærunt, & in aliis sexcentis casibus: ergo divisio prædicta habet locum relate ad naturam cognoscentem.

128. Secunda jam pars probatur. Membra immediate dividentia bonum alteri, quod sit natura cognoscens, sunt bonum alteri per se ipsum, & bonum alteri non per se ipsum, sed propter aliud, ad quod est medium: Atque hoc secundum membrum est bonum, quod dicitur utile. Primum autem dividitur in illud, quod

(1) Duh. Philos. Mor. dis. 1. q. 1.
(2) S. Thom. 1. p. q. 78. art. 4. O.
(3) Tull. Tusc. lib. 3. n 79.

quod est per se ipsum bonum naturæ propter delectationem, quam ea inde haurit, quod est bonum delectabile: & illud quod est per se ipsum bonum illi propter suammet perfectionem ipsi convenientem, atque hoc est bonum honestum: ergo bonum alteri non dividitur immediate in bonum honestum delectabile & utile.

129. Tertia tandem pars probatur, quia illa divisio est opportuna, quæ respondet fini, propter quem divisio introducta est, ne quid scilicet in re tractanda effugiat considerationem nostram, & ut habeatur claritas doctrinæ: sed utrique fini respondet allata divisio, etsi non descendens per membra immediata; Nam in ea habentur omnes species boni possibilis, nec claritas in ea divisione certe deest: ergo est opportuna.

PROPOSITIO III.

Idem potest esse simul bonum honestum, delectabile, & utile: non tamen necessario quiquid actu est honestum, actu etiam utile est & delectabile.

ARTICULUS I.

Argumenta pro propositione.

130. PRobatur prima pars. Quod potest habere rationem finis respectu naturæ rationaliter operantis, est bonum vel honestum vel delectabile: quod vero potest habere rationem medii ad finem, est bonum utile: Atqui una eademque res potest habere rationem finis & medii respectu naturæ rationalis, non solum prout est in diversis, sed etiam in uno eodemque subjecto: ergo una eademque res potest habere rationem boni honesti delectabilis & utilis. Minor suadetur aliqua inductione. Imprimis vis intelligendi & volendi non dubitantur esse bona honesta naturaliter, eaque longe præstantiora, quam sint purum esse & vivere; Nam etiam lapides sunt, & etiam bestiæ vivunt: At nec primi vivunt, nec secundæ intelligunt, qui vero intelligit, non solum est & vivit, sed ulteriorem perfectionem honestissimam, & præclarissimam, vim scilicet intelligendi & volendi habet, quæ rursus sunt bona delectabilia. Delectat enim quod intelligimus, & cruciat quicquid sentimus non nisi obscure a nobis cognosci, ut proinde nequeamus cum securitate illud velle, aut recusare. Eadem

dem tandem sunt bona etiam utilia; Nam illis utimur ad omnia, quæ cognoscimus & volumus, (1) *Omnia*, sic S. Augustinus, *quæ ad scientiam cognoscimus, ratione cognoscimus, & tamen etiam ipsa ratio inter illa numeratur, quæ ratione cognoscimus, & si cæteris per liberam voluntatem utimur, etiam ipsa libera voluntate per eam ipsam uti nos possumus.*

131. Rursus præmia, quæ olim Græcia proposuit in tot celeberrimis diversi generis ludis, & quæ præclaris operibus ad aliquam vel scientiam vel artem pertinentibus hoc tempore proponuntur, relate ad illos, qui se exercent, ut illa consequantur, habent rationem alicujus finis, adeoque boni, naturaliter saltem honesti & delectabilis, & utpote conducentia ad eorumdem honorem, etiam boni utilis: quæ utilitatis ratio splendidius etiam apparet relate ad Respublicas vel Principes, qui ea constituerunt conferre ad facilius impetrandum ab hominibus exercitium, quale ad scientiarum & artium incrementum expetunt. Ubi observare est exercitium, quod est finis quidam relate ad principem, sive agens universale & superius, esse medium relate ad homines singulares, sive agentia particularia & inferiora. Nisi placeat dicere exercitium, quod est respectu agentis particularis medium ad unum finem, scilicet præmium, esse respectu agentis universalis medium ad alium finem, felicitatem Reipublicæ. Quod satius est, quia magis convenit finem universalioris agentis esse minus obvium, & quasi longius positum fine particularis agentis, ita ut siquid respectu hujus est medium, multo magis sit respectu alterius.

132. Præterea tolerare labores militiæ, & mortem ipsam in bello contra hostes Reipublicæ, honesta moraliter sunt militibus, & utilia pariter, tum sibi ad gloriam, tum Reipublicæ ad quietem, & quatenus hæc obversari illis animo assidue solent, jucunda etiam sunt. Hinc veluti axioma quoddam habetur illud Horatii, (2) *Dulce & decorum est pro patria mori*. Ubi animadvertere possumus actiones, quæ redundant in communem generis humani utilitatem, generali & constanti ejusdem consensione haberi ut honestas, & experiri homines quasi naturalem inclinationem ad illas exercendas, ut ad liberalitatem, justitiam, fidem, misericordiam, uno verbo amorem proximi: & quando ad Reipublicæ felicitatem tuendam opus sit aggredi aliquid difficile, allicimur etiam ab honoribus, laudibus, gloria, quæ videmus aut novimus hac via aliquando tandem comparari: contra vero quæ communem quietem & securitatem turbarent, vel aliud detrimentum afferrent, simili generali hominum cujuscumque temporis consensu ha-

(1) S. Aug. de lib. arbit. lib. 2. cap. 19. (2) Hor. lib. 3. Carm. ode 2.

habentur pro turpibus: nosque proinde ab illis ut ab avaritia, injustitia, perfidia, crudelitate, impudentia, sola pariter impellente natura abhorremus.

133. Tandem non solum certum est, actum aliquem moraliter honestum esse etiam in se delectabilem, ut patet in delectatione, quam quis de suis bene & præclare gestis suscipiat, quæ non acquirit esse delectabile bonum per aliquam ipsi supervenientem delectationem, sed per se ipsa tale bonum est, nec negari potest esse simul honestam moraliter: sed affirmare fortasse generaliter possumus cum Pallavicino fuse id propugnante (1), omne id, quod sine controversia est bonum moraliter honestum, ut quævis virtutes propriæ vel intellectus vel voluntatis, ceu scientia & pietas, esse etiam bonum delectabile ea delectationis specie, quæ rationalis est, quemadmodum docet experientia illos, qui his student, & vulgus ipsum confirmat adprobans, ut sapienter excogitatam a Prodico fabulam, quam ex parte refert Xenophon (2), & ex hoc Tullius (3) de Hercule, qui in bivio constitutus aggreditur iter per viam ab omni sensibili delectatione vacuam; & oppositam illi, ad quam Voluptas pelliciebat, sed eam tamen, in qua posset lætari de præclare gestis, & cum hominibus honestis versari, & ad lætissimam beatitatem pervenire. Evidentius communis hæc existimatio se manifestat in iis, qui alicujus vitam ad normam virtutis directam contemplantes, illum aut invident, aut laudant sero agnoscentes, & fatentes etiam Sardanapali & Heliogabali adesse delectationem intellectualem potiorem sensili, cujus gratia, cum hanc viderent abesse ab exercitio quarumdam virtutum, ut misericordiæ, temperantiæ, & fortitudinis, has imprudentes contempserunt aut neglexerunt. Quod autem bonum moraliter honestum sit simul etiam utile, non solum quisque jam lumine Fidei illustratus fatetur, agnoscens in hac sola honestate conducentiam ad beatitatem tum naturalem tum supernaturalem, sed multi etiam ex Ethnicis Philosophis palam docuerunt. Sic Panætius apud Tullium, qui eum sequitur. (4) *sæpe testatus est nihil esse utile, quod non idem honestum, nihil honestum, quod non idem utile sit, negavitque ullam pestem majorem in vitam hominum invasisse, quam eorum opinionem, qui ista distraxerint*, quibus similia alibi dixerat. (5)

134. Venio jam ad secundam propositionis partem, quod scilicet possit aliquid esse actu honestum, quin actu sit utile aut delecta-

(1) Pall. del Ben. lib. 1. cap. 9. & seq.

(2) Xenoph. de rebus memorab. Socratis lib. 2. cap. 2. num. 21. & seq.

(3) Tull. de Offic. lib. 1. c. 32. & epist. ad Lucceium.

(4) Tull. de Offic. lib. 3. n. 7.

(5) Tull. de Offic. lib. 2. n. 3.

ctabile. Hæc pars statuitur contra veteres, quos sequutus est Tullius, qui, ut modo audivimus, contrarium docuit. Ex philosophis, qui deinceps extiterunt, plures pariter usque ad nostra hæc tempora adversarios habemus. In his Duhamelius ex professo propugnat (1), *quicquid honestum est, idem esse utile: nec utile quicquam, nisi idem honestum*. Heinecii est hæc propositio (2) *Verum bonum ab apparente in eo differt quod illud simul jucundum, simul honestum, simul utile sit*. S. etiam Thomas, aliquando eamdem doctrinam visus est approbare docens vulgatam divisionem boni in honestum delectabile & utile non esse divisionem totius in partes ut ajunt subjectivas, sive divisionem (3), *per oppositas res, sed per oppositas rationes*, quæ proinde rei convenire possunt.

135. Probatur jam hæc pars. Vivere juxta consilia Evangelica est actu honestum: sed non est actu utile, nec delectabile; Ex spe enim futuræ post hanc vitam utilitatis & delectationis ea vita suscipitur & sustinetur: ergo non omne quod est actu honestum, est etiam actu utile & delectabile.

II. Si omne quod actu moraliter honestum est, utile actu & delectabile etiam esset, plusquam rari essent, qui ab hac honestate discederent; sed contrarium quotidie evidenter constat: ergo.

III. Si nihil est utile, quod idem non sit honestum, jam dicendum erit vel fures mentiri, dum pecuniam per furtum sublatam profitentur sibi utilem esse ad multa vitæ commoda, vel si veraces habeantur, habenda erunt furta inter actiones moraliter honestas: sed hæc sunt contra ipsum communem sensum: ergo.

ARTICULUS II.

Objectiones.

136. Objicitur. PRæmia ab hominibus proposita aliquid præclarum operantibus reducuntur in Gloriam humanam; Sed hæc vel non est bonum, vel certe non est bonum moraliter honestum: ergo probatio ex hujusmodi præmiis petita pro bono, quod habeat conjunctas in se rationes boni honesti delectabilis & utilis nulla est. Minor probatur, & primo quod gloria humana non sit bonum sic suadetur. Aliorum hominum laus, in quo consistit Gloria, est quid nobis prorsus extrinsecum, nec nos intrinsece perficiens: ergo cui bono Gloriam ter-

(1) Duh. Philos. Burg. disp. 1. de Philos. Mor. q. 2. concl 2.

(2) Hein. Philos. Moral Elem. § 206.

(3) S. Thom. 1. p. q. 5. art. 6. ad 2.

terrenam appetere? Verum quod non sit bonum moraliter honestum plane demonstratur, quia operari ex fine acquirendi gloriam est culpa, quam Christus Dominus vehementer reprehendit (1), & ipsi Philosophi contemnunt. Sic Chrysippus & Diogenes Babilonius ejus auditor (2) *detracta utilitate ne digitum quidem bonæ famæ causa porrigendum esse dicebant, quibus ego vehementer assentior*, inquit M. Cato apud Tullium. Sic Tullius ipse dat (3), *nihil in se habere gloriam, cur expetatur*: & hominibus imperfectis tribuit (4) *excitari gloria, quæ habet formam honestatis & similitudinem. Quod si ipsam honestatem undique perfectam & absolutam penitus viderent, quonam gaudio complerentur, cum tantopere ejus adumbrata opinione lætentur*. Idemque narrans Demosthenem testatum fuisse experiri se delectationem quamdam ex susurro mulierculæ in aurem alteri dicentis, hic est ille Demosthenes, ipsum leviculum appellat, & acriter mordet dicens (5), *apud alios loqui videlicet didicerat, non multum ipse secum*.

137. Resp. concedo vel permitto maj.: & nego min. Ad cujus primam probationem dist. antec.; Gloria est quid nobis extrinsecum, secundum quod dicit de laude aliorum, conc antec., secundum quod dicit de possessione hujus laudis per ejus cognitionem, & inde provenientem delectationem; nego antec., & conseqm. Gloria humana considerari potest, tum prout bonum a nobis nondum possessum, & hoc modo est quid nobis extrinsecum, quemadmodum sunt pleraque præmia: tum prout a nobis jam acquisitum, & hoc modo est quid nos magnopere delectans, atque intrinsece proinde perficiens. Atque quia gloria, quæ secundum rationem expeti potest, est quæ habet rationem præmii, quatenus est testificatio nostræ excellentiæ in bene operando, ideo honeste appetitur. Quare quando Tullius visus est sibi videre similitudinem honestatis in gloria, deceptus fuit ex eo, quod non distinxerit gloriam, quæ fundatur in nostra perfectione intrinseca ab alia, quæ hoc fundamento neglecto solis aliorum laudibus contenta est. Hæc quidem similitudinem, sed illa præter rationem boni delectabilis formam etiam habet & realitatem honestatis.

138. Atque si bene omnia pensemus, hujusmodi Gloriam primum dicemus esse ex bonis externis nobis a Deo authore naturæ propositis, & ad incitamentum virtutis ordinatis. Alia profecto externa bona longe minus rationem præmii bonarum actionum habent, quam gloria. Illa enim inveniuntur possideri etiam ab im-

(1) Matt. 6.
(2) Tul. de Finib. lib. 3. n. 17.
(3) Id. Tusc. lib. 1. n. 45.
(4) Id. de Fin. lib. 5. n 24.
(5) Tull. Tusc. 5. n. 103.

immeritis: at hæc ſolos dignos ſedula inquirit & comitatur. Illa pro ſua paucitate non niſi paucis diſtribui poſſunt; & quando uni concedantur, alteri adimuntur: hæc inexhauſtam habet ubertatem ad omnes ditandos. Illa e re communi generis humani non erat haberi a plurimis: hæc quo plures afficit, eo beatiorem reddit humanam Rempublicam. Illa amitti pro rerum humanarum viciſſitudine facile poſſunt: hæc adverſis ipſis fortunæ caſibus amplificatur potius & magis confirmatur. Illa tandem intra anguſtiſſimos hujus vitæ limites coarctantur: hæc vero funeri in memoria hominum ſuperſtes immortalitatem ſuam ſuis poſſeſſoribus communicat: Horum teſtes appello hiſtorias omnes tum fabuloſas, tum profanas, tum ſacras, quæ quicquid fuit hominum virtute præſtantium, etiamſi calamitatibus afflicti fuerint & attriti, repræſentant non ſolum poſt mortem, ſed etiam dum viverent ab omnibus, paucis fortaſſe exceptis, qui illos oppreſſerunt, ampliſſimis laudibus celebratos, ita ut omnino verum ſit, quod habet Tullius (1) *Neceſſario gloria, etiamſi tu id non agas, virtutem conſequitur*.

139. Gloria igitur eſt Bonum in ſe, quod habet rationem finis, cujus cum proprium ſit, ut appetatur propter ſe, & non propter aliud, inepte quæritur de illa, cui bono, ut fuſius declarat Pallavicinus (2), cauſſam gloriæ egregie contra hujuſmodi objectionem propugnans: & jam olim contra citatum Chryſippum alii, de quibus ibi meminit Tullius ſtatuebant, *eſſe hominis ingenui velle bene audire a bonis, idque propter rem ipſam, non propter uſum*. Ad ſecundam vero probationem dico in proſequutione gloriæ humanæ, quæ vel non fundetur in perfectione intrinſeca, nec rationem habeat præmii & meriti, vel quæ non conſtituatur tanquam finis aliquis, ſed tamquam finis ultimus, ſeu non ordinatus ad Deum, habetur culpa & vitium in operatione humana, quæ materialiter etiam bona ſit; quemadmodum propria vita, & ipſa etiam cæleſtis beatitudo, quæ honeſta ſunt ſine controverſia, minori cum honeſtate amantur, etſi ſine peccato, quod Bajani confutati a Viva (3) male admittebant, quando ex motivo noſtri dumtaxat commodi amentur, excludendo illud, quod Deum reſpiciat, cujuſmodi eſt motivum obſequendi Deo auctori naturæ, dum quæ naturæ conveniunt, ſtudemus vel conſequi, vel conſervare. Profecto ſine hoc motivo ea honeſte non amari clarum eſt ex pueris, qui vitam amant; non tamen cum morali honeſtate, quandoquidem hanc nondum cognoſcunt.

De

(1) Tull. Tuſc. lib 1. n.37.
(2) Pall. del Bene lib.1. cap.24.
(3) Viv. ad prepoſ. 10. ab Alex. VIII. damnatam.

140. De iis igitur, quæ fiunt unice propter gloriam terrenam adipiscendam est Evangelica redargutio hypocritarum; in qua tamen contra illos, qui a ratione boni excludunt gloriam humanam, notandum est illam ibi affirmari esse bonum; Nam vocatur merces operum, quæ ex eo fine facta fuerunt, etsi merces unica, quam scilicet non consequetur ulterior merces *apud Patrem, qui in Cælis est*, quia ad illum ordinata non fuerunt. Et hinc Sancti Patres, & alii Perfectionis Magistri, quorum aliquos profert Cornelius a Lapide in citatum locum Matthæi, fugiendam esse docent humanam gloriam, tamquam vanam, hoc est non conducentem ad æternam felicitatem, & etiam perniciosam, si inducat ad actus invidiæ, aliorumque vitiorum. Quoties enim scelera constituantur medium ad gloriæ acquisitionem, dubitari non potest hanc simul cum illis detestabilem esse: si tamen gloria dicenda est quæcumque hominum deceptorum laus, quæ serius ocius non solum conticescet, sed in maledicta & convicia commutabitur ad nominis infamiam sempiternam.

141. Ceterum gloriam, quæ ex virtute provenit esse bonum delectabile verum & stabile, quod licet honestissime exquirere, eosque qui id faciant, magnanimos esse, pluribus demonstrari potest, quæ complexus est libris quinque *de Gloria* inscriptis Hieronymus Osorius Tulliani sermonis celebris imitator, & pressius Layman (1). Brevi dicam id suaderi a sollicitudine communi hominum gentium omnium & ætatum eam acquirendi & conservandi. In quo Buffierius (2) agnoscit effectum quemdam Divinæ Providentiæ, quæ ad peragendas præclaras actiones in bonum generis humani, hunc etiam stimulum adjecit, gustum & desiderium gloriæ apud homines, etiam pro tempore, quo certi sumus amplius nos cum illis non futuros. Quam opinionem iterum deinde propugnavit (3) contra Auctorem Diarii Sapientum, qui de ea ipsum reprehenderat (4). Tullius ipse est ex iis, qui in sua, quæ extat epistola ad L. Lucceium (5) historiarum scriptorem ardere se dicit cupiditate gloriæ incredibili, ita ut audeat ab eo petere, ut in suis gestis vehementius etiam ornandis, quam sentiat, leges ipsas historiæ negligat: quæ quidem petitio iniqua est, non vero confessio illa Demosthenis, utpote ingenua declaratio suæ cujusdam affectionis necessariæ. Melius idem alibi de gloria meditatus, cum viderit eam (6) *esse consentientem laudem bonorum, incorruptam vo-*

 cem

(1) Laym. Theol. Mor. lib. 3. sect. 3. n.13.
(2) Buff. Societ. Civil. lib. 3, cha. 21.
(3) Id. Eclair. sur la Soc. Civ. n. 108.
(4) Iour des Sava. Aoust 1726.
(5) Tull. Famil. lib. 5. epist. 12.
(6) Tull. Tusc. lib. 3. n. 2. juxta Oliv.

cem bene judicantium de excellente virtute, quæ conformis est Dei ipsius judicio rectissimo, concludit, *quia recte factorum plerumque comes est, non esse bonis viris repudiandam*, quin immo ad ejus acquisitionem novos quasi stimulos admovit, ubi dedecus, quod est quid oppositum gloriæ, ostendit longe majus malum esse, quam quemvis dolorem, quem vult (1) *non modo non recusandum, sed ultro appetendum, subeundum, excipiendum* potius quam illud. Idemque plane persuadet ipsos philosophos, qui gloriam contemnendam prædicabant, fuisse ejusdem appetentes, quoniam observat (2) *in his ipsis libris, quos scribunt de contemnenda gloria, sua nomina inscribere*. Suadet rursus singularis admiratio, qua illos suspicimus, qui eam, quæ in terris acquiri potest, ex motivis supernaturalibus aufugiunt: & methodus Ecclesiæ Catholicæ decernendi publicos etiam in terris honores iis, qui beatitudine cælesti jam potiuntur: tandem rem omnino certam facit, quod scriptum est (3) *Curam habe de bono nomine*; & promissio Divina publicæ laudis in universali Judicio, ubi manifestatis ipsis consiliis cordium (4), *Laus erit unicuique a Deo*.

142. Contra secundam partem propositionis I. Obiicitur. Utilitas quam sequuntur male operantes, falsa est & fucata utilitas; Nam utilitas vera est, quæ tendit in finem dignum natura rationali qua tali: ergo turpes operationes ex hoc ipso quod turpes sunt, dici nequeunt vere & proprie utiles.

Resp. nego ans. Notio utilis ex dictis (§.52.) postulat proportionem medii ad finem intentum a natura cognoscente, qui utique debet esse aliquid per se bonum scilicet vel honestum vel delectabile, non vero necesse est ut sit bonum tantummodo honestum.

143. II. Obiicitur. Ratio utilitatis & delectationis sita in animi tranquillitate, testimonio bonæ conscientiæ, & ipsa jucunditate speratæ gloriæ sive terrenæ, sive cælestis nunquam sejungitur ab exercitio virtutum moralium: ergo nihil est honestum moraliter, quod non sit simul utile & jucundum.

Resp. nego ans. Aliud enim est quod exercitium virtutum moralium conducat ad tranquillitatem & jucunditatem: aliud est, quod hujusmodi rationes præsentes sint menti omnibus, qui honeste operantur. Hoc secundum gratis affirmatur pro omni actu virtutis. Certe rigidi Stoici id de se negabant, qui ipsum boni nomen soli honesto concedentes, cætera non curabant: Et qui mallent etiam æternis cruciatibus addici, quam quicquam in Deum peccare nullam ex prædictis rationibus videntur sibi relinquere, quam

(1) Id. ibid. lib. 2. n. 2.
(2) Id. ibid. lib 1. n. 15.
(3) Eccl. 41:
(3) Corinth. 1. c. 4. v. 5.

quam respiciant. Præterea dato, quod hæ utilis & jucundi rationes adsint animo honeste operantium, quæro an adversarii velint iisdem concedatur par vis ad exercitium virtutis, ac habeat ipsa ratio honesti, vel minor: Primum non potest dici, quia jam honesta amplius non esset operatio, quę non fieret, si non appareret par cum honestate utilitas ac delectatio: Dicendum igitur est secundum, jamque hoc satis est ut propter excessum honestatis qui est in mente operantis supra quamcumque rationem delectationis concludi jure possit, quicquid actu honestum est non esse actu utile etiam, & delectabile.

SECTIO V.

De Bono honesto naturali, & de illo morali, quod est objective honestum per se.

PROPOSITIO I.

Sola bonitas honestatis naturalis idem est ac bonitas transcendentalis.

144. Robatur. Bonitas transcendentalis (§. 12) est bonitas intrinseca omni enti, & præscindens a respectu ad naturam cognoscentem: atqui Bonitas tam honestatis moralis, quam delectabilitatis non habet locum, nisi respectu naturæ cognoscentis, quæ sola prædita est appetitu, qui tendat in honestum morale vel delectabile: bonitas vero utilitatis non est intrinseca ulli enti, sed ex extrinseca bonitate finis fit, ut quid bonum utile dicatur: ergo neque bonitas honestatis moralis, neque bonitas delectabilitatis, neque bonitas utilitatis sunt bonitas transcendentalis. Atqui his exclusis nulla alia restat bonitas, nisi honestatis naturalis: ergo sola hæc est bonitas transcendentalis.

145. Aliter idem argumentum sic magis declaratur. Bonitas transcendentalis dicitur illa, quæ convenit omni omnino enti: sed bonitas honestatis naturalis, nec alia bonitas convenit omni omnino enti: ergo. Probatur prima minoris pars. Bonitas honestatis naturalis significat convenientiam, quam habet cum ente aliqua perfectio ab eo distincta per nostrum modum cogitandi, si sermo

Sit

ſit de bonitate, per quam ens eſt bonum in ſe: ſin ſermo ſit de illa, per quam eſt bonum alteri, ſignificat convenientiam, quam unum ens habet naturaliter cum alio, quemadmodum habet cauſſa cum effectu, vel effectus cum cauſſa, & pars cum toto, vel totum cum parte: ſed utraque prædicta convenientia convenit omni omnino enti; nam omne ens eſt bonum tam in ſe, quam alteri (§.93.): ergo bonitas honeſtatis naturalis convenit omni omnino enti. Probatur ſecunda minoris pars. Bonitas honeſtatis moralis dicit reſpectum tantummodo ad ens rationale (§.14.): ſed non omne ens eſt rationale: ergo bonitas honeſtatis moralis non convenit omni enti. Bonitas autem delectabilitatis dicitur ſolum de ente, quod aptum eſt ad producendam delectationem: ſed non omne ens eſt ſic aptum: ergo bonitas delectabilitatis non convenit omni enti. Tandem bonitas utilitatis eſt bonitas medii ad finem: ergo eſt bonitas per denominationem a bono ſibi extrinſeco, honeſto ſcilicet vel delectabili, ad quod aſſequendum detur in aliquo ratio medii: ergo quod non habet rationem medii apti ad bonum vel honeſtum vel delectabile, tamquam finem, non habet bonitatem utilitatis: ſed ſunt, quæ non habent rationem medii ad aliquem finem, quem ſibi proponat natura cognoſcens: ergo ſunt, quæ non habent bonitatem utilitatis: ergo bonitas utilitatis non convenit omni enti.

146. M. Cato apud Tullium credit ſe evincere Stoicam ſententiam, ſolam virtutem eſſe bonum, utens nomine honeſti, & ſic arguens: (1) *Quod eſt bonum, omne laudabile eſt: quod autem laudabile eſt, omne honeſtum eſt: bonum igitur quod eſt, honeſtum eſt*. Sed hujuſmodi argumentatio ſane propoſitum non evincit: Omitto modum, quo Tullius illius impugnationem aggreditur exclamando, (2) *O plumbeum pugionem*! Id ego planum facio rogando primo, an nomine honeſti veniat honeſtum naturaliter, an honeſtum moraliter. Si dicat primum, accipio totum argumentum in confirmationem hujus, de qua ago, propoſitionis. Sin dicat ſecundum, quod conformius eſt Stoicorum doctrinæ, pro qua arguitur, jam ulterius rogo, an laudabile per ipſum ſignificet id, quod habet aliquam excellentiam in ordine ad aliquem finem, ut ſupra (§.120) definitum eſt. Si hoc dicat jam negatur major argumenti, cum enim honeſtum moraliter non ſit bonum ordinatum ad finem, ſed ipſummet ſit finis, non eſt laudabile; adeoque falſum eſt, omne bonum eſſe laudabile. Quod ſi ut Cato paullo infra explicat, laudabile ſignificat idem ac expetendum, aut placens, aut probandum, jam cum argumentum transmutetur in ho

(1) Tull. de Fin. lib.3. n 8. (2) Id. ibid. lib.4.

hoc aliud, omne bonum eſt placens aut expetendum: ſed omne placens aut expetendum eſt honeſtum moraliter: ergo omne bonum eſt honeſtum moraliter, manifeſtum eſt minorem eſſe falſam in voluptate ſumpta propter ſe ipſam, & in bonis omnibus extrinſecis.

PROPOSITIO II.

Datur bonitas moralis per ſe, hoc eſt non dependens a Lege ulla, ne Divina quidem: nec ab hominum opinionibus: nec ab eorumdem conventionibus: nec ab utilitate vel publica vel privata.

147. HÆc propoſitio planum faciet, cur definitio bonitatis moralis objectivæ ſupra (§.22.) tradita ſit bona. Illa in ipſa ſui expoſitione præfefert partes diſtinctim ſuadendas duas, quia dari bonitatem hanc moralem, quæ talis ſit per ſe, & ſimiliter malitiam moralem talem per ſe, duæ Adverſariorum claſſes negant contra communem Theologorum doctrinam duce S. Thoma, quos citat Suarez (1). Altera eorum, qui dicunt bonitatem omnem moralem dependere a Lege Divina: altera eorum, qui dicunt dependere ab humanis opinionibus.

ARTICULUS I.

De adverſantibus primæ propoſitionis parti.

148. EX Adverſariis, qui dicebant, ut ait Suarez (2), omnem malitiam pendere ex prohibitione extrinſeca ſaltem Divina, multos ipſe idem, & Vaſquez (3) citant & impugnant. In his ſunt Gerſon, Occamus, & alii Nominales, qui ut habet Pallavicinus (4) *omnia referunt in liberum arbitrium Dei, ita ut æque potuerit Deus præcipere odium Dei, & prohibere actum charitatis, & ſic facere ut odium Dei eſſet bonum, & charitas mala.* Quibus ipſe Pallavicinus niſi directe contra eos oppoſitas propoſitiones (5) ibidem ſtatuiſset, videri poterat acceſſiſſe in ſuo tractatu *De Bono*, ubi omiſſa definitione honeſti moralis ſupra (§.38.) rela-

(1) Suar. in 1. 2. tr.3. diſ.2. ſec.1.nu.2.
(2) Id. Ibid. diſp.7. ſec. 1. nu. 2.
(3) Vaſq. in 1. 2. diſp.97. cap.1. & 2.
(4) Pall. in 1. 2. diſp. 9. qu. 1. art. 2. num. 2. & art. 5. num. 1.
(5) Id. ibid. ar.5. nu.4. & 5.

relata, aperte docet (1), *formam honestatis vel turpitudinis morum esse Divinæ Voluntatis approbationem vel aversationem*. Quare sicuti hæc propositio, *Id Deo maxime placet, quod illi maxime placet*, semper vera est, quia identica est, ita etiam dicit necessario veram esse hanc, *semper Deo perplacet, quod est honestissimum*, quia quod est honestissimum, & quod perplacet Deo sunt propositiones identicæ. Verum cum idem immediate ante affirmet, esse aliqua *jure naturæ inhonesta, & ideo vetita, quia mala, & alia esse inhonesta jure positivo seu arbitrario, & ideo mala, quia vetita*, quæri potest, quonam modo hæc inter se non repugnent.

149. Modi, quibus illorum concordia creditur demonstrari, varii sunt. Unum refero, quem Viva (2) ad propositionem de peccato Philosophico damnatam ab Alexandro VIII. narrat ab aliquibus proferri, inter quos invenio esse ipsum Pallavicinum in suo de Actibus humanis tractatu (3), ubi eamdem doctrinam apertius exponit. Hi igitur juxta Vivam dicunt; *actus naturæ rationali disconvenientes, ut mendacium, de se esse fundamentaliter & radicaliter inhonestos, ac proinde vetandos a Divina Voluntate, a qua suam formaliter hauriunt inhonestatem: actus vero naturæ rationali conformes esse de se radicaliter honestos, quatenus exigunt præcipi, aut suaderi a Divina Voluntate, reddente illos formaliter honestos*. In hanc opinionem consentit, quod idem Pallavicinus dixit, quod non existente Deo per hypothesim omnium absurdissimam (4) *daretur exigentia, ut aliqua objecta prohiberentur*: interea tamen *per defectum legislatoris remanerent non prohibita*. Quibus in verbis seu doctrina non alium sensum invenio, nisi hunc, quod antecedenter ad omnem voluntatem Dei actus naturæ rationalis ipsi vel convenit vel disconvenit: sed quoniam definitio hujus nominis *Bonitas moralis objectiva* ab ipsis stabilita dicit, bonitatem hanc significare conformitatem actus naturæ rationalis cum Voluntate Divina, & contra definitio hujus nominis *malitia moralis objectiva* dicit illam esse difformitatem actus naturæ rationalis a Voluntate Divina, nondum intellecta hac voluntate, non debet dici inesse actui formaliter bonitatem moralem objectivam, sed solum fundamentaliter. Quo posito, si agnoscant hi suam definitionem esse nominalem, adeoque mutabilem, eamque velint mutare in illam a nobis cum aliis positam, jam nobiscum sentient. Opportune autem illam mutare possunt in nostram ad effugiendam inutilem distinctionem bonitatis moralis objectivæ in fundamentalem & formalem, quæ secunda nihil aliud tandem significat, quam bonita-

(1) Id. Del Bene li. 2. cap. 53. num. 2.
(2) Viv. Thes. Damn. par 3. num. 20.
(3) Pall. de Act. li. 1. ca. 14. nu. 177.
(4) Id. in 1. 2. Disp. 9. qu. 1. art. 7. nu 5.

nitatem moralem objectivam respondentem definitioni cuidam nominali arbitrario positæ, non jam de Cælo delapsæ.

150. Recentius opinionem, quam impugno amplexus est Puffendorfius (1), qui, ut habet Formeyus illum in Historia Academiæ Scientiarum Berolinensis post Cumberlandium (2) confutans, statuit (3), *quod abstrahendo ab omni lege Divina & humana omnis actus humanus sit prorsus indifferens*. Idem etiam sentit Samuel Coccejus (4), conveniuntque uterque in reprehendendo Hugone Grotio, qui jam antea docuerat bonum morale esse ante omnem legem. Vehementius nuper pro adversariis nostris Antonius Genuensis sic loquitur (5): *'Bonum morale est convenientia actionis liberæ cum lege: malum vero morale est discrepantia actionis liberæ a lege. Ex quo patet, nec bonum ullum morale, nec malum sine respectu ad legem intelligi posse. Sunt interea quidam Theologi, qui proverbium illud passim jactant, quædam esse mala, quia prohibita, alia ideo prohibita, quia mala, & hæc intrinsecam habere malitiam docent. Qui nisi malorum intrinsecorum nomine ea significant, quæ legi naturæ adversantur, quæ lex civilibus antiquior est, ii sunt perridiculi & inepti*. Quam loquendi rationem contra proverbium receptum, non jam a quibusdam Theologis, sed communiter a Doctoribus cum Glossa in *cap. Ex parte 1. de Officio & potestate Judicis Deleg.* ne illi quidem probabunt, qui cum Francisco Piro celebrent hæc Genuensis elementa (6) *supra omnia veterum & recentiorum opera metaphysica, quia sine ullo dubio omnia superat*.

Articulus II.

De Adversantibus aliis propositionis partibus.

151. Bonitatem omnem moralem dependere ab humanis opinionibus, neminem dicturum esse supposuit Ægidius Estrix. Postquam enim dixit (7): *Honestas aut inhonestas objectiva, seu ipsarum in se actionum non dependet ab humanis opinionibus de honestate aut inhonestate objectiva*, addit, *non existimo huic veritati, honorem axiomatis a quopiam controversandum*. At sine controversia hoc solum est, esse aliquos, qui non modo dubitant

(1) Puf. De Jure Nat. & Gentium.
(2) Cum. De Legib. naturalibus.
(3) For. an. 1745. art. Sur le juste.
(4) Coc. Diss. proemi. 1. ad Grotium cap. 2. sec. 3.
(5) Genu. Elem. pa. 1. in definit. n. 76.
(6) Pir. Nuova aggiunta all' opera dell' Origine del Male. Disc. prelim.
(7) Est. Logist. probabil. post defin. 7.

bitant de hujusmodi veritate, sed contrarium etiam statuunt. Atque ex his alii dixerunt, bonum morale, sicut etiam oppositum malum dependere ab humanis opinionibus, quæ evaserint communes vel propter consuetudinem, vel propter leges proprias singulis regionibus. Ab his dicunt boni & mali moralis mensuram & rationem repetendam esse, iisque sublatis nullum aliud bonum aut malum haberi in rerum natura nisi physicum.

152. Protagoras, qui ut habetur apud Platonem (1), & Aristotelem (2) suse illum impugnantes, asserebat *omne, quod opinamur & nobis apparet, verum esse*, non male citatur pro hac stultitia. Verum alii sunt, qui directe magis illam ausi sunt propugnare, de quibus idem Plato narrat, quod (3) *dicunt justa natura minime esse. Quæ nuper homines statuerunt, quatenus illis sic placet, eatenus esse justa, non natura quidem, sed arte & legibus constituta*. Tullius etiam de his meminit, illorum impugnationem aggrediens dicendo (4): *Honesta & turpia in opinione existimare, non in natura posita, dementis est*. Atque hos inter alibi nominat Aristonem, Pyrrhonem, & Herillum addens tamen esse (5) *illorum jampridem explosam sententiam*.

153. De Pirrhone refert etiam Laertius, quod aperte (6) *negabat quicquam turpe esse aut honestum, justum vel injustum. Lege atque consuetudine cuncta homines facere*. Et magnus ille Pyrrhonis fautor Sextus Empiricus similiter in hac re dicit (7): *Nihil natura tale est vel tale, sed omnia opinione tenus*. S. Justinus huic Sexto coævus ejusdem erroris coarguit Carpocratianos, contra quos, quoniam gloriabantur se revereri Christum Dn. ut magistrum, dicit (8): *si nihil esset mali, aut rursus boni, opinione autem sola humana quædam quidem injusta, quædam autem justa putarentur, non dixisset* (Christus) *Justi autem fulgebunt sicut sol in Regno Patris eorum, injustos autem, & qui non faciunt opera justitiæ, mittet in ignem æternum*.

154. Sed integra sic opinantium cohors habetur in Epicureis & Incredulis, quos suse nuper coarguit Michael Angelus Marin (9). Ex his est Mettrie, qui apud Episcopum Le Franc dicit (10): *Nihil est quod intrinsece virtus sit aut vitium, bonum aut malum morale, justum aut injustum. Hæc omnia ab hominum arbitrio pen-*

(1) Plat. Theæt.
(2) Arist. Metaph. lib.4 cap.3.
(3) Plat. de Leg. lib. 10. longe ante medium.
(4) Tull. de Leg. lib.1. num.16.
(5) Id. de Offic. lib.1. in proemio.
(6) Laer. Pyrrh. vita.
(7) Sex. Pyrr. Hypoth. lib. 3. cap. 24. sub finem.
(8) Just. contr. hære. li. 3. ca 32. nu.1. juxta Maurin.
(9) Mar. Repub. des Incred. lib.5.
(10) Franc Relig. vendic. par. 3.

pendet. Hi in veris bonis solam ponentes sensuum voluptatem & in veris malis solum dolorem; cetera dicunt esse solum bona vel mala pro cujusque opinione. Certe inquiunt cum Epicuro apud Tullium (1): *Omne animal simul atque natum sit, voluptatem appetit, dolorem aspernatur, & quantum possit a se repellit*: Omnes nemine excepto, qui siti vel fame vexantur, intelligunt malum esse sitire & esurire, & bonum esse bibere & manducare, nec opus habent ulla philosophia, aut ratione, quæ id illis suadeat: at in aliis rebus, ut in secundis vel tristibus eventibus, in hoc vel illo agendi modo, observamus hos summa, illos exigua, alios nulla sive lætitia, sive mæstitia tentari, pro ea scilicet opinione, quæ illorum animis insedit. Quare bene Tullius censuit hujusmodi homines, si interrogarentur, quid intelligant nomine boni, dicturos (2) *quod esset natura appetendum, aut quod prodesset, aut quod juvaret, aut quod liberet*.

155. Illud quidem dicunt, quod cum particulares opiniones quæ huic philosophiæ opponuntur satis sint ad inferendum in animos cruciatum, opus est scientia, quæ ab illis nos liberet, ea scilicet, quæ concludit nullam esse Divinam Providentiam, & nullam animi immortalitatem; atque hanc suam scientiam, scientiam ne dicam an furorem volunt esse bonum quoddam appetendum non quidem tamquam finem, sed tamquam medium. Quandoquidem autem nolunt haberi inter Atheos, palam profitentes dubitandum non esse de existentia Dei, in quo ab Epicureis recedunt, Deistæ nuncupantur. Sed facile est videre, quod fusius ostendunt Clarke (3), & Jo: Baptista Noghera (4) illos nomine tenus Deistas esse; Nam quoniam negant Deo attributa, quæ moralia dicuntur, ut Providentiam, ad Atheistas accedunt. Increduli certe sunt, quo nomine illos iam notavit Apostolus, ubi ut omnes averteret ab immunditia & illicitis voluptatibus dicit (5) *propter quæ venit ira Dei* (Diluvium & Ignis de Cælo) *super filios incredulitatis*.

156 His omissis alii sunt, qui dicunt bonum morale consistere in eo, quod existimatur esse, vel posse esse utile sibi vel saltem Reipublicæ, Horum opinionem Glauco apud Platonem (6) fusa oratione exponit, vehementissime urgens illud istorum argumentum, quod nemo justus esset, nisi in conspectu haberet præmia, quæ ab hominibus, Deoque tribuantur: ex quo infert justitiam, quæ cum proprie sumitur, est species quædam bonitatis moralis,

 gene-

(1) Tull. de Fini. lib. 1. num. 9. per Olivet.

(2) Tull. de Fin. lib. 2. num 2.

(3) Cla. Disc. Of Relig. Introd.

(4) Nog: Filos. del bello spirito par. 1. Rifl. 2.

(5) Ad Colos. cap. 3. v. 16.

(6) Pla. lib. 2. de Rep.

generice vero sumpta est omnis moralis bonitas non esse quicquam in se bonum, & expetibile tamquam finem, sed esse tantummodo bonum ad aliud, & amabile tamquam medium, quam doctrinam complectitur versus ille Epicureis attributus.

Sola est utilitas justi prope mater & aequi.

157. Pallavicinus idem dogma tribuit Aristoteli in Ethica, & Tullio de Legibus. *Hi*, inquit (1) *honestum docent nihil tandem esse, nisi humanae universitatis bonum, populique salutem*. Verum credo equidem hos ibi non definire, in quo consistat honestas moralis, sed vel tradere facilem quamdam rationem dignoscendi, an aliquid sit nec ne honestum, cujusmodi certe est advertere, an illud bono sit Universitati hominum: vel significare bonitatem moralem, prout nobis exercenda proponitur, esse ex illo bonorum genere, quae ut ait Plato citato nuper loco, *ipsorummet gratia*, & *eorum quae ab eo fluunt*, *amamus*: vel docere ab justitia legali, virtute, quae in iis versatur, quae spectant bonum commune, superari ceterarum virtutum actus, quemadmodum Platelius (2) re ipsa interpretatur Aristotelem, ubi virtutem universam dicit sitam in praedicta justitia: vel dicere bonum hujus Universitatis, seu ut generalius dicitur bonum physicum, esse in re prius bono morali, & hoc in eo fundari. Quod concedi utique debet; Prius enim sine controversia est in rerum natura bonum physicum, quam morale, cum hoc utpote situm in operatione entis rationalis praesupponat hujus existentiam.

158. Hos interea confutant Clarke (3), Pictetus (4), & Chambers (5), qui tamen falso dicit *plerosque esse*, *qui statuunt ab utilitate propria*, *seu amore sui habere originem ideas boni moralis*, *& e contrario ideas mali moralis*, quando hoc loquendi modo velit eos denotare, contra quorum opinionem dicit; Pauci enim sunt, qui ita desipiant, saltem comparative ad illos, qui his adversantur; nam plerique omnis aetatis philosophi cum Tullio dicunt (6) *Virtus est affectio animi constans, conveniensque, laudabiles efficiens eos, in quibus est, & ipsa per se sua sponte separata etiam utilitate laudabilis*. Quamobrem ipse idem jam olim illos monuit, ut quoniam quae dicunt (7) *Sapientem nihil facere nisi quod expediat sibi, plausibilia non sint, gloriose loqui desinant*. Quod si velit dicere ascendere nos quodammodo ad ideam abstractam & universalem boni & mali moralis per experimentales cognitiones eorum, quae nobis commoda

(1) Pall. de Bon. lib. 1. cap. 18.
(2) Plat. Theol. par. 3. de Juris natur. n. 518.
(3) Clar. Dis. of relig. prop. 1.
(4) Pict. cont. l' Indiffer. cha. 9.
(5) Cha. Dittio 1. art. male.
(6) Tull. Tusc. lib. 4. n. 15.
(7) Id. ibid. lib. 3. n. 21.

moda vel incommoda accidant ab aliis, fortasse consentient illi, quotquot affirmant omnes nostras ideas originem ducere a sensibus vel mediate vel immediate, & nullas admittunt ideas in sensu Cartesianorum innatas. Atque hoc credo significat Tschirnhausen, dum numerans inter principia (1) *vel rigorosissimo sceptico indubia, me bene a quibusdam, a quibusdam vero male affici, dicit esse principium primum, unde cognitio boni & mali, seu tota doctrina moralis derivatur.*

Articulus III.

De quibusdam recentioribus adversariis.

159. IN numero eorum contra quos hic dicimus, est Thomas Hobbes, qui Malmesburii in Anglia natus ann. 1588., obiit Harvici in Anglia pariter ann. 1679., charus doctis in prima suæ vitæ parte propter eximium ingenium, quod ostendebat in studiis humanioribus philosophicis & mathematicis, in reliqua vero vita plerisque invitus propter insignem iniquitatem & impietatem, quam agens de Politica & de Religione palam professus est, ut docebunt Morerius (2), & qui sub nomine Appii Annei de Faba secundo edidit *Imagines variorum recentiorum* Italicis epigrammatis comprehensas. Hobbesii doctrina fuit hominem spectata ipsius natura eam duntaxat legem habere, quæ respicit conservationem & utilitatem suam. Huic cum pareat, nunquam male operaturum: Quod si sponte vel coacte subjectus sit alteri vel Regi vel Magistratui tunc male operaturum, quando aliter faciat, ac leges ab his indictæ velint. Quamobrem duplex quoddam honestatis moralis genus ab ipso distinguitur, alterum, quod dicam Monasticum, alterum Politicum. Primum quod brutis æque convenit, quæ nihil curant, nisi vitam suam: alterum, quod præsupponit fieri posse ut ipsa injustitia sit honestas moralis.

160. Primum probat illud ipsius dogma apud Bruckerum (3) *Quicquid appetitus in homine objectum est, illud appellatur bonum: quod aversionis objectum est, vocatur malum.* Jamque ex hac prima parte adhæret Hobbes Callicli illi impudentissimo, qui referente Platone aggressus docere, quid sit (4) *natura justum atque pulchrum*, hoc inquit, *audacter dico oportere illum, qui recte vitam acturus sit permittere cupiditates suas summopere augeri, nec eas ullo modo cohibere: atque his quammaximis quicquid petant, subministrare.*

(1) Tsch. Medic. mentis præf.
(2) Morer. Diction. art. Hobbes.
(3) Bruc. Hist. Philos. de Hobb. §.22. n.41.
(4) Plat. Gorgias post medium.

re. Luxuria intemperantia libertas, modo facultas suppetatm virtus est atque felicitas: cætera vero istbæc speciosa præter natura, adinventa, bominum deliramenta sunt; & nugæ penitus contemnendæ. Alterum probant hæc alia ipsius dogmata (1) *Lex publica unicuique civi pro conscientia babenda. Falsum itaque est peccatum esse, quicquid faciat civis contra conscientiam. Virtutum (2) & vitiorum mensura alia esse non potest præter uniuscujusque civitatis leges.* Quare juxta Hobbem ipsa injustitia & impietas dicenda erunt justitia & sanctitas, cum fieri possit, ut aliquid injustum, & etiam impium per modum legis præscribatur. Ex hac secunda parte incidit in aliam opinionem a Platone execratam (3) in Trasymacho qui justum definiebat esse, quod est potentioribus utile, & subditos juste tunc agere, cum illis parent legibus, quæ sunt ad utilitatem constitutæ. Hæc habet Hobbes in libro de Cive locis citatis a Valsecchio (4), & Csapodio (5), qui observat in eodem libro (6) sui immemorem *negare quædam quamvis civili lege præcepta fieri debere.* Idem perversum dogma repetit teste Bruckero (7) in suis de Libertate disputationibus habitis cum Bramhallo, & alibi.

161. His imbutus doctrinis, eodem Bruckero (8) referente, Daniel quidam Scargius Cantabrigiensis Academiæ socius ausus fuit publice exponere & propugnare hanc thesim, *Justitiam moralem dependere a civilibus institutis: supremi magistratus jussis & Legibus Divinis quæ de moribus latæ sunt contrariis obtemperandum esse*, qua sibi expulsionem ex Academia, & alias infamiæ notas comparavit. Contra hæc Hobbesiana dogmata disertus est Gauchatus in centesima sua epistola critica, & Trevoltiani (9) laudant ejusdem impugnationem insertam a Martino Hubner in sua *Historia juris naturalis*. Mihi occurrit laudanda illa Josaphat Massarii (10), qui ex parte sua eas commendat, quas habent Samuel Parckerus in prima de Deo dissertatione, & Richardus Comberlandius in suo *de Lege naturæ tractatu*.

162. Pro Hobbesio est Locke in libro *de Intellectu humano*, ut suadet Abrahamus de Chaumeix (11), citans etiam Lovvdem, qui jam olim contra eundem invectus fuerat hac ipsa de caussa (12) in sua, *de Natura hominis* dissertatione.

Est

(1) Bruc. ubi supra §.23. n.34.
(2) Ibidem §.21. n.79.
(3) Plat. de Rep. lib.1. ante medium.
(4) Vals. Fond. d. Relig. lib.3 part.1. cap.4. n.2. in notis.
(5) Csap. Relig. revel lib. 1. n. 4. in notis.
(6) Hobb. de Cive cap.6.
(7) Bruc. Hist. Philos. tom 4. par.2. lib.1. cap 6. § 8. & 14.
(8) Id ibid. cap.16. §.11.
(9) Trev ann.1759. art.40. pag 196.
(10) Mass. Relig. nat. n.454. & seq.
(11) Chau. Preing. to.6. art.1. cha.3.
(12) Id. ibid. to.7. art.3. cha.7. §.2.

Est Helvetius, qui Lockes discipulum se profitetur in libro *de Spiritu*, in quo referente & impugnante Massario (1) post eumdem Chaumeixium (2) statuit, *Philosophi esse ædificare virtutem supra basim proprii commodi*, & referens historiolam vel parabolam Ethnici cujusdam Regis, qui legibus obsequentes populos reddidit, fingens illas sibi missas a filio Solis, concludit *mendacium tam utile huic nascenti Reip. habendum esse tamquam moraliter honestum*.

163. Est Maupertuisius, sive Author *systematis naturæ*, qui ut habet unus ex suis impugnatoribus Le Franc (3), legem naturalem constituens in inclinatione cuivis homini indita ad feliciter traducendam vitam suam mortalem, quam unice attendere debet, remota cogitatione immortalis tamquam fictitiæ & imaginariæ, & quam non potest non videre indigere hominum opera & societate, vult bonum dici quod hanc felicitatem juvet ac promoveat, & malum quod eamdem perturbet & impediat. Quare vir probus juxta ipsum est, qui novit bene rationes subducere circa fructum & damnum, quæ ex suis actionibus proveniant.

164 Est auctore Valsecchio (4) post alios Michael Montagne, nobilis Gallus, cujus specimina Ethices Gallice primo edita ann. 1580 impense placuerunt iis, qui concinnis acutisque sententiis tantummodo delectantur, quibus suas propinat narratiunculas qua veras, qua fabulosas, non raro obscoenas & impias, sub certis titulis tam inepte distributas, ut sit apud Buffierium qui dixerit (5) *id de quo minus agitur in capitibus librorum Montagnes esse id, de quo juxta titulum debuisset agi*. Non injuria igitur Malebranchius in examine, quod de hoc auctore protulit, censuit illum esse (6) *judicii adhuc debilioris memoria*, qua ipse se debilem dixit, quippe *qui perpetuis implicatur contradictionibus & in eodem capite*.

Auctor Anonymus libri de Distinctione boni & mali apud Trevoltianos (7), & Jo: Christophorum Vvolfium (8) conjungit huic Montagne ejus amicum Petrum Charronum, qui ethicum tractatum edidit *de Sapientia*, cujus quamdam epitomam exibens Buffierius (9) notat eas opiniones de probitate, & religione ab illo insinuari, propter quas suo jam tempore anno circiter 1569., quo ea perscripsit, male audiebat.

Ali-

(1) Maff. Relig. nat. n.448.
(2) Chau. Prejug. to.4. divis. 1. cha.2. & 4.
(3) Fran. Relig. vendit. par.3. p.214.
(4) Valf. Fond. d. Relig. lib.3. par 1. cap 4 n.7.
(5) Buff. Prem. Log. lett.1. n.2.
(6) Mal. Inquis. verit. part.3. lib. 2. cap.5.
(7) Trev. ann.1704. art 48. pag 539.
(8) Vvol. Manich. sec.3. n 10.
(9) Buff. Soc. Civil. num.588.

165. Aliqui ex his perversis hominibus in suæ opinionis præsidium quoddam vocant veteres Academicos, quorum dogma cum esset, de omnibus dubitandum, consequenter nihil affirmabant esse in se vel bonum vel malum in nulla linea nec physica nec morali. Dixerunt sic de illis Tullius in Academicis *nihil oportere neque profiteri, neque affirmare quemquam, neque assertione approbare*. Sed si illi hoc non affirmabant, hi qui hoc faciunt, pejores jam illis sunt. Quare si illorum doctrina, quæ quantum pertinet ad mores, eo tandem deveniebat, ut dicerent, quicquid esset appetibile, illud æqua cum laude amplecti unumquemque posse, dummodo caveret ab assertione circa apparentem ipsius, vel honestatem vel inhonestatem, tam stulta & execrabilis visa fuit S. Augustino, ut de ea iterum iterumque, & quidem ex professo (1) agens dicat putare se nunquam homines illos, quos vocat *doctissimos & acutissimos* tenuisse reipsa nihil nobis esse certum, quidnam dicendum est de his, qui statuentes certum esse, quod nihil sit in se bonum vel malum morale, via omnium brevissima ad omne flagitium contendunt?

166. Quam horrenda in ista suppositione dicant, & inferant, audivimus jam (§.160.) ex Callicle, & execrantes referunt Hooke (2), & Guyonus in suo anonymo libro contra Voltairem scripto, cujus titulus, *L' Oracle des neuvaux Philosophes*, ibidem accusans Rousseavium (3), quod Hobbesii vestigia sequutus sit in commentario *de Origine & fundamentis inæqualitatis inter homines*. Sed imprimis quis curet de hac opella, quæ est de subjecto ut ajunt non supponente homine chimærico, siquidem agit de homine, qui nec homo sit nec bellua, qui naturaliter careat reflexione, naturaliter *erret* (4) *per sylvas sine industria sine loquela sine domicilio sine litibus sine mutua communicatione sine indigentia alterius in sua specie sine desiderio &c.* & tam multis redundat falsis & absurdis assertionibus, ut hac de caussa impar sit sustinendæ censuræ, quæ lecta placeat, quemadmodum observant Trevoltiani (5) de ea loquentes, quam protulit Vincentius Martinelli. Deinde quamvis ex solo illius compendio, quod post Gauchatum in quinto tomo suarum Literarum iidem Trevoltiani (6), & Valsecchius (7) protulerunt, plane appareat illum jure hujus etiam Hob-

(1) S. Aug. cont. Acad. lib. 3. a c. 17. usque ad finem libri. Et Epist. olim 215. nunc 1.

(2) Hoo Princ. Relig. tom. 1. sect. 1. propos. 2.

(3) Guy. Conv. 2. pag. 45. & 66.

(4) Rou. Oevr. tom. 1. de l'inegalitè par. 1. circa finem §. Concluons.

(5) Trev. ann. 1758. art. 94. pag. 2270.

(6) Trev. ann 1757. art. 93.

(7) Val. Fond. d. Relig. lib. 3. par. 3. cap. 3. n 4.

Hobbesiani erroris insimulari, nihilominus hunc a se depulit, dum eum directe impugnat in quadam ad Dalembertium epistola, quam ex parte refert Chaumeixius (1), qui serio de eo reprehendit Diderotium, prolatis in medium (2) ex ejus articulo *Droit naturel* inserto in Encyclopædia iis testimoniis, quæ legitimam esse hanc accusationem videntur suadere.

ARTICULUS IV.

Argumenta pro prima propositionis parte.

167. PRima propositionis pars dari bonitatem moralem, quæ a nullius lege seu voluntate, ne Dei quidem dependeat I. sic probatur. Si loqui vera, stare promissis, & similia non essent bonum aliquod morale ante omnem voluntatem hæc jubentem, & contraria prohibentem, Deus absolute posset velle mentiri, & nolle stare promissis: sed hoc dici non potest: ergo neque quod loqui vera & stare promissis & similia non sint bonum aliquod morale ante omnem voluntatem hæc jubentem. Pallavicinus (3) cum Victoria negat majorem hujus argumenti dicens Deum quidem non posse mentiri, non tamen quia mendacium esset malum morale Dei, sed quia esset ipsius malum physicum. Responsio cohæret quidem cum definitione, quæ explicat malitiam actus per aversationem Voluntatis Divinæ: sed hinc iterum reiicitur ea definitio, utpote perturbans communes ideas atque sermones; Nam sicuti loqui veraciter dicitur nullo contradicente esse bonum morale etiam in Deo, ita de opposito mendacio conveniens est ut dicatur oppositum.

168. II. Si omne malum morale tale est per relationem ad Legem, jam nullum erit peccatum in desideriis de quovis opere, quod post Legem Decalogi non controvertitur esse malum, quoties ea habeant conditionem, quod quis hoc vel illud faceret, si lex illa non adesset. Ita nullum esset peccatum in hoc desiderio conditionato, Vellem furari, ni Deus prohiberet; Nam sicuti nemo agnoscit peccatum in hoc desiderio, comederem carnes die Veneris, si Ecclesia non vetuisset, quia comestio induit rationem peccati unice ex Lege, ita si etiam furari ideo est peccatum, quia est contra Legem, jam voluntas furandi sub ea condtione non esset peccatum: Atqui hoc falsum esse plane demonstratur a Theologis,

(1) Chaum. Exam. de l' espit. to. 3. prejug. lib. 2. sect. 1. cha. 5. artic. 4.

(2) Idem prejug. lib. 2. sect 2. par. 2. cha. 3.

(3) Pall. in 1. 2. disp. 9. q. 1. art. 1.

logis, ut Antoine (1): ergo non omne malum morale tale est per relationem ad Legem.

169. III. Communis sententia, quam probant Theologi, ut citatus Antoine (2), quod lex naturalis sit immutabilis, & ne Deus quidem directe & proprie dispensare ab illa possit, quemadmodum statuit S. Thomas (3), in eo fundatur, quod actus respondentes ipsius præceptis negativis sint intrinsece mali, & alii rursus sint intrinsece boni. Ita nequit fieri, ut illicitum unquam sit amare Deum, ipsum colere, veritatem fateri, & similia, quia hi actus sunt intrinsece boni: & contra fieri nequit, ut licitum unquam sit odium Dei, Idololatria, Perjurium, quia hi actus sunt intrinsece mali. Similiter S. Thomas docet, (4) quod *quædam actiones humanæ habent deformitatem inseparabiliter adnexam, ut fornicatio, adulterium, quæ nullo modo fieri possunt*: & S. Augustinus rogans Evodium, (5) *cur adulterium male fieri putet, an quia id facere lex vetat?* approbat hanc ipsius responsionem: *Non sane ideo malum est, quia vetatur lege, sed ideo vetatur lege, quia malum est*: ergo communis sententia est, dari ante omnem legem actus intrinsece bonos, & actus intrinsece malos: ergo aliquod bonum morale, & aliquod malum morale non dependent a Lege, primum per convenientiam cum illa, secundum per discrepantiam ab illa.

170. Ex hac argumentatione, quæ concludit assertam propositionem ex eo, quod extra potentiam Dei sit facere, ut aliquis actus liber non sit bonum morale in se, & contra ut aliquis actus liber non sit in se malum morale, infertur haberi in hoc aliquam contradictionem; Nam Deo impossibile non est, nisi id, quod involvit contradictionem. Hæc autem contradictio in eo sita est, quod cognita vel creata a Deo natura rationali, repugnet, perseverante ista natura, ipsi tollere ea, quæ sunt necessariæ consequentiæ illius constitutionis, cujusmodi est ipsius actus convenire, vel non convenire suæmet naturæ rationali. In qua proinde convenientia actionis liberæ cum hac natura consistit bonum morale, & in opposita disconvenientia malum morale. Eamdem hanc rationem attulit S. Thomas in hac ipsa re per hæc verba (6) *Quorumcumque est natura determinata, oportet esse operationes determinatas: oportet igitur operationes esse aliquas secundum se homini convenientes.* Eamdem exornat Josaphat Massarius (7) qui observat contrariam opi-

(1) Ant. Theol. Mor. de Pecc. cap. 6. q. 3.
(2) Id. ibid. de Legib. sect. 2. q. 4. & 5.
(3) S. Thom. 1. 2. q. 100. art. 8.
(4) Id. Quodlib. 9. ar. 15. O.
(5) S. Aug. de Lib. arbr. lib. 1. cap. 3. n. 6.
(6) S. Thom. lib. 3. cont. gent. c. 129, n. 3.
(7) Mass. Relig. nat. n. 441.

opinionem videri fundatam in falsa suppositione, quod non solum rerum existentia, sed earum etiam ideæ sint objectum Voluntatis Divinæ, cum sint objectum solius intellectus. Quamobrem etsi quæ dependent a Voluntate Dei, possint esse vel non esse, quæ tamen sunt obiectum Divini Intellectus, sunt immutabiliter quicquid sunt.

171. IV. Ad hominem contra Adversarios. Dato, quod bonum morale bene definiatur convenientia actionis liberæ cum lege, tantum abest, ut sequatur bonum morale intelligi non posse sine respectu ad legem, ut potius sequatur intelligi debere esse bonum morale ante omnem legem: ergo illegitima & mala est illorum illatio. Antec. probatur, quia de ratione omnis legis est, quod sit justa, adeoque quod sit relate ad Legislatorem actus moraliter bonus: ergo ante omnem Legem datur actus moraliter bonus. Hoc argumento utitur etiam Clarke (1), eosque, qui forte a notione legis respuerent notam justitiæ, alibi cogit fateri hanc stultitiam, scilicet (2) leges omnes esse arbitrarias aut tyrannicas, certe frivolas nec necessarias, & quæ poterant æquali ratione præscribere opposita.

172. V. Datur bonitas moralis in omnibus actibus, qui per rationem nostram distinguuntur in Voluntate Dei: Sed hæc bonitas dici non potest dependere a Lege Divina; Nam nemo sui ipsius subditus, & superior esse potest, (3) *neque imperare sibi, nec se prohibere quisquam potest*. Rursus ipsa hæc lex Divina, quæ aliquo modo fingeretur ad propugnandam bonitatem actuum Voluntatis Divinæ consistere in convenientia ipsorum cum lege, ipsa, inquam, hæc lex est aliquis actus Divinus moraliter bonus independenter a Lege Divina, nisi procedamus in infinitum in fictione Legum divinarum: ergo datur aliqua Bonitas moralis, quæ talis est independenter a Lege Divina.

173. VI. Actum esse conformem Legi Divinæ, est esse actum conformem præcepto Dei moraliter bono; Nam de notione Legis est esse præceptum honestum ex dictis supra (§.41.), quod idem est, ac esse moraliter bonum: sed præceptum Dei dici non potest habere bonitatem moralem per convenientiam sui cum præcepto aliquo, cui Deus subjectus sit: Nam hoc repugnat dicere de Deo ente independente: & rursus nisi aperiatur processus in infinitum præceptorum, sistendum est in aliquo præcepto moraliter bono per se: ergo dici non potest omnem bonitatem moralem consistere in convenientia cum Lege Divina.

(1) Cla. A demonst. of God. propos. 12. corol. ult.

(2) Id. A disc. of Relig. prop. 1.

(3) ff. de Receptis arbitris L. 51.

174. VII. Nomine Legis Divinæ, cum qua, quando conveniunt actiones liberæ, dicuntur per Adversarios bonæ moraliter, vel intelligunt illam, quæ dicitur lex æterna, vel illam, quæ dicitur lex naturalis, vel illam, quæ dicitur lex positiva: Atqui non poteſt dici, quod omnes actiones liberæ ſint, ſeu conſtituantur moraliter bonæ per convenientiam cum lege æterna; Nam vel nomine legis æternæ venit juxta iteratam S. Auguſtini definitionem, (1) *Ratio Divina, vel Voluntas Dei ordinem naturalem conſervari jubens, perturbari vetans*, jamque antecedenter ad hanc voluntatem datur ordo naturalis, objectum hujus voluntatis, qui poteſt per actiones liberas conſervari aut perturbari, quatenus ſcilicet non ideo hæ actiones liberæ ſpectant ad ordinem naturalem, ſeu moraliter bonæ ſunt: illæ vero ſunt contra ordinem, ſeu moraliter malæ, quia Deus voluit, ſeu ſancivit has eſſe bonas, & illas malas: ſed contrario modo ideo ſancivit has eſſe bonas, & illas malas, quia hæ in ſe, ſeu intrinſece bonæ ſunt, & illæ malæ: ergo antecedenter ad Legem æternam ex actionibus liberis aliæ ſunt in ſe moraliter bonæ, & aliæ moraliter malæ. Simile argumentum adhibuit jam olim Suarez (2) non ſemel.

Vel nomine legis æternæ intelligitur cum aliis, ut Polmano, (3) *Intellectus Divini dictamen judicans aliquid eſſe conveniens, vel diſconveniens naturæ intellectuali, qua tali*; jamque ſicuti affirmare aliquid ita eſſe, præſupponit rem ita eſſe, non facit; ideo enim affirmatur aliquid tali modo eſſe, quia ante omnem affirmationem tali modo eſt, & non viceverſa, ideo aliquid hoc modo eſt, uti affirmatur, quia affirmatur: Ita pariter dictare & judicare aliquid eſſe conveniens vel non conveniens naturæ præſupponit, non facit, illud eſſe ſic conveniens, vel non conveniens.

175. Neque dici poteſt, quod omnes actiones liberæ ſint moraliter bonæ per convenientiam cum lege naturali; Nam cum lex naturalis definiatur a Theologis, ut Antoine (4), Lex Divina impreſſa creaturæ rationali, præcipiens quicquid eſt conveniens naturæ rationali qua tali, & prohibens quicquid eſt eidem non conveniens jamque, omiſſo quod eodem modo ac dictum eſt de lege æterna concluditur, antecedenter ad legem naturalem dari aliquid conveniens naturæ rationali qua tali, aut diſcordans, hoc inquam omiſſo, ſequeretur non eſſe bona moraliter opera conſilii, & actiones etiam heroicas virtutum; Hæc enim lex naturalis certe

(1) S. Auguſt. contra Fauſtum lib. 22. cap 27. & c. 30. & c. 61. & c. 73.

(2) Suar. in 1. 2. tract. 3. diſp. 2. n. 4. Id. ibid. diſp. 3. ſect. 3. n. 5.

(3) Polm Brev. Theol. par. 1. 2. n. 314.

(4) Ant. Theol. Mor. de Leg. ſect. 2. q. 2.

certe non præcipit: & contra sequeretur esse bonum moraliter, habere ignorantiam voluntariam multarum rerum; Nam lex naturalis hanc non prohibet, quæ omnia dictu ridicula sunt & absurda. Usus sum definitione legis naturalis communi & nota apud illos, cum quibus disputo, qui profecto non habent in hac quæstione pro synonimis legem naturalem & rectam rationem juxta illud Tullii (1) *ipsa natura ratio est lex Divina cui omnes parebunt, qui secundum naturam volent vivere*, quibus simil a alibi repetit(2). In hac enim acceptione legis nulla esset inter nos dissensio, siquidem illi propugnantes bonitatem moralem esse convenientiam cum lege, idem jam tandem affirmarent ac nos, qui dicimus esse convenientiam cum natura rationali, sive cum recta ratione.

176. Neque tandem dici potest, quod omnes actiones liberæ sint moraliter bonæ per convenientiam cum lege positiva, quæ sic vocatur illa, quæ lata & aliter nobis indicta est, quam per lumen naturale, videlicet aliquo signo externo, ut voce vel scripto. Nam tunc pariter sequeretur opera consilii non esse bona moraliter, cum circa illa non sit lex positiva, seu præceptum: & rursus sequeretur ante legem scriptam nullum hominum peccasse, quod est contra illud Apostoli, (3) *Quicumque sine lege peccaverunt, sine lege peribunt*: nec ullum ex Ethnicis quicquam boni moralis fecisse, quod iterum est contra illud (4) *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt, faciunt*: ergo nequit dici omne bonum morale esse convenientiam, & oppositum malum discrepantiam actionis liberæ a lege; Quibus positis concludam cum Honorato Fabri, (5) *Non est dubium, quin aliquid bonum sit independenter ab omni lege.*

Articulus V.

Objectiones contra primam partem.

177. I. OBiicit Puffendorfius (6). *Qui extra impositionem Divinam moralitatis actionum humanarum æternam aliquam statuunt regulam, Deo adjungunt principium aliquod coæternum extrinsecum, quod ipse in assignandis rerum formis sequi necessum habeat*: Sed hoc repugnat omni Religioni, & Philosophiæ: ergo. Eamdem objectionem doluit Samuel Clarke

(1) Tull. de Offic. lib.3. n 5.
(2) Id. de Leg. lib.1. Fragm. & lib.2.
(3) Ad Rom. cap.2. v.12.
(4) Ad Rom.2. v.14.
(5) Fab. Summ. Theolog. tract.3. c.14. n.3.
(6) Puff. lib 1. de Jure natur. & gent. cap.11. §.6.

ke (1) sibi intentatam ab eo, qui contra suam *de existentia Dei dissertationem scripsit*, quam vehementer a se repulit, dicens continere argumentum extremæ ignorantiæ obiicientis.

Mitius respondeo cum Valsecchio (2) nego maj. Deus enim sequitur in assignandis rerum formis suasmet illarum ideas, quæ a Deo ipso realiter non distinguuntur: has utique necesse est sequatur, quoties formam aliquam velit extra se existere; quandoquidem semel distincto per nostrum modum cogitandi Divino intellectu ab ejus voluntate, actus intellectus prælucent illis voluntatis.

178. II. Obiicit Pallavicinus (3). *Nemo male agit, nisi faciat contra id, quod debet: sed nemo debet, nisi superiori prohibenti oppositum*: Ergo nemo male agit, nisi faciat contra superiorem, sive legem illud prohibentem. Atque alibi vehementius (4) urgens hoc argumentum subsumit: sed hic superior nequit esse ulla creatura utpote superiori potestati subdita: ergo est Deus, & omnis qui male agit, facit contra Deum illud prohibentem.

Resp. dist. maj. nemo male agit nisi faciat contra id quod debet, hoc est decet ipsum, vel quia rationalis est, vel quia alteri subjectus est, conc. maj. solum quia alteri subjectus est, nego maj. Et dist. min. nemo debet nisi superiori, si sumatur *debet* dumtaxat pro esse subjectum alteri, conc. min., si sumatur *debet*, pro decet, nego min., & conseqm, & cadunt reliqua.

179. III. Objicitur. (5) *Communius*, inquit Viva, *cum Angelico Theologi docent primam ac formalem regulam honestatis objectivæ esse Divinam Voluntatem*: ergo nulla est bonitas moralis objectiva independenter a Lege Divina.

Resp. permitto ans, & nego consqm, quæ non potest sic absolute inferri, sed solum disjunctive, scilicet, ergo vel nulla est bonitas moralis objectiva independenter a Lege Divina, vel etiamsi sit, ea detegitur communiter per comparationem cum Lege Divina: cujus consequentiæ secunda dumtaxat pars accipitur; Nam certum est posita a Deo creatione naturæ rationalis, poni etiam Voluntatem Dei circa omnes ipsius actus, quorum illos, qui ipsi conveniunt, præcipit vel suadet, illos vero, qui ab ea discrepant prohibet. Quare non potest quivis actus creaturæ rationalis non habere aut conformitatem, aut discrepantiam a Voluntate Dei. Theologi autem volentes tribuere regulam facilem, atque communi-

(1) Clar. A disc. of Relig. Preface circa finem.

(2) Vals. Fond. della Relig. lib. 1. c. 7. n. 7.

(3) Pall. de Act. hum. lib. 1. n. 160.

(4) Pall. in 1. 2. disp. 9. art. 5. n. 9.

(5) Viv. Thes. Damn. par. 3. n. 20.

manem pro omnibus hominibus dignoſcendi bonitatem moralem eorum, quæ ſibi proponant facienda vel non facienda, provocant ad Voluntatem Divinam, quæ per dictamen conſcientiæ clarius reſonat auribus etiam rudium, quam illa remotior, quæ nititur in convenientia vel non convenientia actus cum natura rationali, quæ ſunt voces cognitæ ſolis fortaſſe Philoſophis. Neque ex eo, quod Voluntatem Divinam vocent aliqui, non vero communius, ut dicit objectio, regulam formalem honeſtatis, inferri poteſt ab illis credi per Voluntatem Dei tamquam per formam conſtitui aliquid in ratione honeſti; Præter enim illa, quæ ſupra (§. 147.) adverti de mente Theologorum & S. Thomæ huic interpretationi repugnantia, ipſum nomen regulæ, quæ eſt quid extrinſecum illi, cui aptatur, ſatis eſt ad intelligendum illos alienos eſſe ab hujuſmodi opinione. Regulæ igitur formalis nomine intelligunt rationem obviam facilem infallibilem, & adæquatam agnoſcendi, ſit nec ne aliquid honeſtum, & nihil aliud.

180. IV. Objicitur. Peccatum juxta celebrem S. Auguſtini definitionem eſt, (1) *Dictum factum concupitum contra Legem æternam*: quam quanto jure Theologi poſt S Thomam, qui illam integro articulo propugnavit (2), magno applauſu acceperint, exponit Bellarminus (3): ergo nullum malum morale, neque illi oppoſitum bonum intelligitur ſine reſpectu ad Legem Dei.

Reſp, I. conc. antec. & diſt. conſequens: Neque bonum, neque malum morale objectivum intelligitur ſine reſpectu ad Legem Dei univerſaliter loquendo, nego conſeqm: neque bonum neque malum morale actuale intelligitur ſine reſpectu ad Legem Dei, ſubdiſt. quatenus hæc ſemper reipſa adeſt circa actus quoſcunque creaturæ rationalis pro quavis differentia temporis exiſtentis, & eſt facilior regula illud dignoſcendi, conc. conſeqm: non intelligitur ſine reſpectu ad Legem Dei, quatenus antecedenter ad Legem Dei in ſenſu ſupra (§. 174.) expoſito aliqui actus creaturæ rationalis non ſint neque boni, neque mali moraliter, nego conſeqm.. Sanctus Auguſtinus ibi loquitur de peccato, ſeu malo morali actuali, ſive ut advertit citato loco S. Thomas, prout contingit in actibus, propter quam cauſſam dicit opportuniſſimam eſſe illam definitionem, cum de omni peccato actuali affirmari revera poſſit, quod ſit malum etiam quia prohibitum; Neceſſario enim repugnat Legi Dei illud vetantis, & quidem cognitæ ab operante; Nam dari peccatum pure Philoſophicum, ſcilicet includens ſolam cognitionem diſcrepantiæ actus a natura rationali, & excludens cognitio-

(1) S. Aug. contra Fauſtum lib. 22.
(2) S. Thom. 1. 2. q. 71. ar. 6.
(3) Bell. de Amiſſ. Gratiæ lib. 1. cap. 1.

tionem de præcepto Dei illud vetantis repugnat, ut ostendit Viva ad propositionem, quæ contrarium de hoc peccato asserit, damnatam ab Alexandro VIII. (1), ut erroneam, cujus argumentis addi possunt ea, quæ protulit Pallavicinus, ut suaderet tam bonum, quam malum morale dependere a Lege Divina. Non loquitur igitur Sanctus Doctor de peccato objective dumtaxat considerato, sive in statu meræ possibilitatis, quæ præscindit vel excludit omnem ipsius pro aliqua differentia temporis existentiam. Hoc profecto intelligitur esse malum morale per hoc solum, quod non sit conveniens naturæ rationali; neque enim pro statu objecti mere possibilis datur lex, seu voluntas aliqua absoluta Dei.

181. Quod autem ea definitio præ cæteris sit a Theologis usitata, congruit duplici illorum fini, quorum alter est de hac re agere, quatenus ad Deum referatur; Hoc enim est Theologum se gerere: Peccatum autem alio modo ad Deum non refertur, nisi consideratum prout est transgressio Legis Divinæ. Alter est ad directionem morum, cui non solum opportuna maxime est definitio peccati desumpta quasi a posteriori ab oppositione contra Legem Dei, sed etiam necessaria, quia sola authoritas legis ab eo sancitæ, qui eam tueri & vindicare possit, inducit obligationem abstinendi a malo morali, non ipsa ipsius discrepantia a natura rationali, quæ motivum dumtaxat aliquod exhibet, quicquid in contrarium dixerit Burlamaquius a Trevoltianis (2), & aliis in hoc confutatus.

182. Resp. II. conc. antec. & dist. alio modo consequens. Malum morale non intelligitur sine respectu ad Legem Dei, stando definitioni ex S. Augustino prolatæ, conc. conseqm, sequendo aliam definitionem, nego conseqm. Augustinus, qui dat ibi illam definitionem peccati, alibi centies habet aliam, quę explicat peccatum per privationem boni, seu perfectionis debitæ actui naturæ rationalis, quæ definitio non meminit de Lege Dei.

183. Instant. Ipsa contra naturam flagitia hominum sunt ex S. Augustino contra Legem æternam: (3) *Flagitia*, inquit, *quæ sunt contra naturam, ubique ac semper detestanda atque punienda sunt, qualia Sodomitarum fuerunt. Quæ si omnes Gentes facerent, eodem criminis reatu Divina Lege tenerentur*: ergo nullum malum morale, & a pari nullum bonum morale intelligi potest sine respectu ad Legem Divinam.

Resp.

(1) Viv. Thes. Damn. par. 3. n. 9.
(2) Trev. ann. 1756. pag. 2506.

(3) S. August. Conf. lib. 3. cap. 8.

Resp. conc. antec. & dist. consequens: nullum malum morale hominum intelligi potest sine respectu ad Legem Divinam, quatenus in hypothesi mali, quod ab illis fit, illa semper adest juxta nuper dicta, conc. conseqm, quatenus præscindendo a Lege nullum sit aut intelligi possit malum morale, nego conseqm.

184. V. Objicitur. Deus jussit Abrahamum occidere filium suum innocentem, & Christus Dominus jubet odisse Patrem etiam & Matrem: atqui si independenter a Voluntate Dei esset malum occidere hominem innocentem, & odisse Parentes, non potuisset Deus hæc jubere: ergo.

Resp. conc. maj., & dist. min. Si independenter a Voluntate Dei esset malum, quod homo etiam ex mandato Dei rerum omnium Domino occidat hominem: & si independenter a Voluntate Dei esset malum odisse Patrem & Matrem in sensu, quo hoc jussit Christus, nimirum non posthabendum Deum, & ipsius legem amori parentum, non potuissent hæc a Deo juberi, conc. min. vel potius permitto; nam involvit quamdam terminorum repugnantiam in prima sui parte. Si independenter a Voluntate Dei esset malum, quod homo propria authoritate occidat hominem, & quod filius oderit patrem & matrem in alio sensu, ac quo usus est Christus, & qui est sensus obvius in eo loco, non potuissent hæc a Deo juberi, nego suppositum; Deus enim nunquam hæc jussit, & nego conseqm. Distinctio clara est, & quod pertinet ad jussionem de Sacrificio Abraham, patet Deum omnium rerum Dominum potuisse vitam quam dedit Isaaco repetere vel per se vel per patrem, vel quovis modo illi libitum fuerit. Quare Abraham, inquit S. Thomas (1). *Non erat homicida, sicut nec Deus*. Adde quod ex facto constat illam jussionem fuisse experimentum obedientiæ & fidei Abrahami. Quod vero pertinet ad odium parentum indictum a Christo, habet in ipso contextu Evangelii claram expositionem sensus jam in distinctione propositi.

Alii similem objectionem urgent ex mendacio, quod dicunt non solum approbatum a Deo, sed etiam præmio affectum in obstetricibus Ægyptiis (2), quæ dixerunt Pharaoni se non interficere mares Hebræorum juxta suum mandatum, qaia mulieres Hebrææ habebant obstetricandi artem. Verum respondetur illas donatas fuisse præmio pro misericordia, qua usæ sunt in nascentes Hebræos, non pro mendacio, quod in hac re adhibuerunt.

ARTI-

(1) S. Thom. 1. 2. q. 100. art. 8. O. (2) Exod. c. 1. v. 20.

ARTICULUS VI.

Argumenta pro secunda propositionis parte.

185. SEcunda propositionis pars, dari bonitatem moralem, quæ non dependet ab hominum opinionibus I. sic probatur. Ad operandum bene moraliter requiritur dictamen conscientiæ, hoc est actus intellectus judicantis aliquid hic & nunc licite agi posse vel debere, tamquam in se seu materialiter honestum, vel licite agi non posse, utpote non sic honestum. Ita enim dictamen conscientiæ passim definitur a Theologis Moralibus agentibus de Conscientia: ergo in priori ad nostras cogitationes datur bonitas moralis in se, vel contraria malitia.

186. II. Si non daretur convenientia inter naturam rationalem, & aliquos actus ab ipsa exercitos, nec daretur ejus oppositum discrepantia ante omnem nostram cogitationem, nulla darentur communia omnibus gentibus principia operandi: Atqui dantur hujusmodi principia operandi, communia omnibus gentibus omnium temporum: ergo datur hujusmodi convenientia, aut opposita discrepantia ante omnem nostram cogitationem. Major facile intelligitur vera esse, quia uniformitas in judiciis humanis non reperitur, nisi circa objecta, quæ evidenter talia sunt in se, qualia judicantur, & ad quæ cognoscenda natura rationalis est ex seipsa intrinsece determinata; in iis enim quæ minus clarum est, qualia sint, tot inveniuntur hominum sententiæ, quot capita.

187. Quod pertinet ad minorem, quæ affirmat dari principia quædam operandi omnibus communia quis neget? Nonne hujusmodi principium est Deum esse rebus omnibus præferendum, cum in Dei existentiam ut entis perfectissimi, & nostri ac rerum omnium auctoris habeatur gentium omnium consensus? Nonne quotidiano, quin immo continuo usu cognita sunt a quibusvis hominibus duo hæc alia, alterum (1), *Omnia quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis*, sæpe usurpatum a S. Augustino (2), eloquenter declaratum a Chrysostomo (3), & appellatum totius justitiæ breviarium a S. Hieronymo, sive ut alii volunt S. Paulino in Epistola ad Celantiam, in quo continetur præceptum affirmativum, quod includit charitas in proximum, per legem deinde & Prophetas omnibus indicta. Alterum, *Quod tibi non vis, alteri ne fece-*

(1) Matth. 7. 12.
(2) S. August. serm. 25. in Psalm. 118. Id. in Psal. 52. & lib. 2. de serm. Domi. cap. 9. & lib. 2. Conf. ca. 4.
(3) Chrys. hom. 13. ad populum circa medium.

feceris, five ut legitur apud Tobiam (1). *Quod ab alio oderis fieri tibi; vide ne tu aliquando alteri feceris*, quod continet præceptum negativum inclusum pariter in charitate, quorum utrumque complexus est Christus Dn. illis verbis (2): *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*.

188. Sed quando opus esset veritatem minoris ostendere, ea probaretur I. quia quorumcumque temporum Scriptores advertunt inesse homini judicem quemdam de iis, quæ agat, qui ipsum protinus laudat vel vituperat, absolvit vel condemnat. Tullii sunt hæc præclare dicta (3), *Nullum theatrum virtuti conscientia majus est*. *Malæ* (4) *cogitationes conscientiæque animi assiduæ domesticaque furiæ*. Et Plutarchus quærens (5), *An Vitiositas ad infelicitatem sufficiat*, ita esse respondet, & multis suadet: quibus addi potest auditos aliquando esse homines nequissimos, qui filios suos propriis manibus se jugulaturos professi sunt, si sibi similes futuros præscirent. Bene Juvenalis dixit (6),

. . . *Prima hæc est ultio, quod se*
Judice, nemo nocens absolvitur.

Et melius S. Augustinus (7), *Jussisti Domine, & sic est, ut pœna sua sibi sit omnis inordinatus animus*. Quod Poetæ altius animo imprimere conati sunt, fingendo Titios in perpetuo cruciatu jecuris a Vulture devorati, & ad continuum cruciatum renascentis, & Historici referendo scelestorum anxietatem & gemitus ab illis quantumvis invitis per solas conscientiæ objurgationes frequenter expressos. Sic Tacitus (8) describit nobis Neronem post interfectam a se matrem, mentis inopem, huc illuc vagantem, insomnem, pavidum, & de die noctem, de nocte diem timentem.

189. II. Quia apud omnes gentes omni tempore inveniuntur aliqua erga Deum Religio, & horror in vitia læsiva honoris vel vitæ alterius, neque ullibi reperitur, qui aut dicat, aut credat blasphemos, parricidas, proditores nihil proprie mali facere, rebus ipsis secundum se spectatis, & æquali loco habendos in re esse, qui Deum blasphement, & Parentes jugulaverint, ac illi, qui Deum colant, & Parentes revereantur.

III. Quia nomen juris naturalis, seu juris gentium, & res significata ab his nominibus in nulla hominum Republica sunt ignota, aut non accepta, sin minus cum eadem ubique amplitudine, saltem cum aliqua. Quis autem non videt hujusmodi jura constitui

N a com-

(1) Tob. 4. 16.
(2) Matt. 22. v. 39.
(3) Tull. lib. 2 Tusc. circa finem.
(4) Id. pro Roscio Amerino cap. 24.
(5) Plutarch. Opusc. an Vitiositas.
(6) Juven. sat. 13.
(7) S Aug Conf lib. 1. cap. 12.
(8) Tac. Annal. lib. 4 cap. 10.

a communibus operandi principiis?

IV. Quia occulta quadam vi homo rapitur in laudem eorum, quæ quis juxta prædicta prima principia gesserit, vel contra in odium & aversationem eorum, quæ contra illa facta sint, ut luculenter ostendunt tot illi Græci, Romani, vel alterius gentis homines etiam barbari, quorum nomina immortalitatem vel honoris vel ignominiæ consequuta sunt apud Historicos cujusvis ætatis, & Authores non ita paucos, qui Valerii Maximi exemplum sequuti eorum hujusmodi facinora in breviores commentarios collegerunt. Hoc argumentum exornat eloquens Yvo Andre (1) percurrens per diversas boni moralis species, quarum pulchritudine trahi naturam humanam luculentis exemplis evincit. Eodem utuntur etiam Michael Marin (2), & Guyonus (3).

Articulus VII.

Objectiones contra secundam partem.

190. I. Objicitur. Principia operandi apud varias gentes ita varia sunt, ut etiam sint inter se prorsus opposita; Nam quæ alicubi habentur tamquam scelera gravissima, alibi reputantur non solum honesta vel licita, sed etiam sacra & religiosa. Ita sunt aliquæ gentes, quæ licitum sibi credunt disponere de vita filiorum, illosque sibi etiam manducare, & sepelire vivos cum Matre, quando hæc in partu perierit: derelinquere infirmos, quorum nulla est spes valetudinis sine cibo, & sine ulla ope: parentes ipsos, cum jam senuerint, occidere. Pro his & similibus moribus longa consuetudine confirmatis testis est Sextus Empiricus (4), & in ejus suffragium citari possunt Alexander Sardus Ferrariensis libro præsertim primo, *de moribus ac ritibus Gentium*, & S. Hieronymus, qui post illorum aliquam enumerationem sic concludit (5), *Fervides igitur, quod non solum in esu, sed & in sepulturis, & in connubiis, & in omni conversatione unaquæque gens suo ritu, & proprietatibus vivitur, & hoc eam naturæ legem putare, quod dicit*. Quin immo insigne exemplum habemus in ipsa Scriptura, ex qua colligitur ante legem scriptam matrimonium habitum tamquam indissolubile, quoniam Moyses legem de libello repudii (6) constituit, quo dissolvi jam fas erat, quod iterum post Evan-

(1) And. le Beau. Nou. Edit. disc. 8 §. Il est vrai. Convers. 2. art. Idee de la Loi.
(2) Mar. Rep. des Incred. lib. 9.
(3) Guy. L'Oracle des Nouv. philos.
(4) Sex. Pyrr. hyp. lib. 3. cap. 24. & 25.
(5) S. Hier. adver. Jovin. lib. 2. cap. 6.
(6) Deut. 24.

Evangelium (1) nefas est. Quod vero pertinet ad illud, quod majus est, habita esse inter sacros cultus ea, quæ communius habentur inter summa flagitia, testes sunt Veterum historiæ ubi agunt de cultu attributo Veneri ab Ethnicis nec jam stolidis aut incultis, sed in Respublicas politiores congregatis, quales jam fuerunt Corinthii, qui illi Idolo tale templum consecrarunt, quale communius Fornix appellatur: ergo falsum est dari operandi principia communia omnibus gentibus: ergo illa illatio bonitatis moralis, quæ detur in re ante omnem nostram cogitationem, innitens suppositioni principiorum operandi communium omnibus gentibus, nulla est.

191. Resp. dist. antec. Principia operandi, sed non primaria apud varias gentes sunt varia, conc. antec. principia operandi primaria sunt varia apud varias gentes, nego antec., & cadunt reliqua. Principia supra (§. 187.) allata sunt ex primariis. Hæc generaliter dici possunt distingui ab aliis, quæ consequenter secundaria principia operandi dicuntur, ex testimonio intimæ conscientiæ, quod qui ex hominibus neget se audire, mentitur. Nam hæc esse eadem apud omnes gentes omnium temporum, fuse declarat Nicolaus Ghezzi (2), & pressius statuunt communiter, ut dicit Viva (3), Patres & Teologi cum S. Thoma (4), qui in hac re utitur authoritate S. Augustini dicentis (5), *Lex tua scripta in cordibus hominum, quam ne ipsa quidem delet iniquitas*. Quare bene appellari etiam solent Principia Juris naturæ. In principiis non primariis statuitur illud de indissolubilitate matrimonii ab iis, qui apud Layman (6): *Ejus dissolutionem proprie non repugnare naturali juri* defendunt.

192. Venio ad alia exempla objecta, quibus primo quidem universim respondeo cum Picteto (7), & Marino, quod illis etiam datis, non sequitur aliquam esse gentem, quæ nihil omnino credat in re esse bonum aut malum, justum aut injustum, nec conveniat cum aliis hominibus in ullo principio operandi, sed sequitur solum posse homines non solum turpiter errare in linea scientiæ & veri, sed etiam in linea morum & boni, & quidem ita, ut non solum habeant, quemadmodum ait Tullius (8) *in figura hominis feritatem, & immanitatem belluæ*, sed etiam superent, quæ omnia

N 2

(1) Matth. cap. 19.

(2) Ghezz. Moral Filos. lib. 1. pa. 1. Dial. 3. num. 11. & seg.

(3) Viv. Thes. damn ad propo. 2. Alexan. VIII.

(4) S. Thom. 1. 2. qu. 94. art. 6.

(5) S. August. 2. Conf. cap. 4.

(6) Lay. Theol. mor. De Matri. par. 3. cap. 6.

(7) Pict. cont. l'Indiff. cha. 9. Mar. Repu. des Incred lib 5. pag. 15.

(8) Tull. de Offic. lib. 3. num 6.

omnia ultro conceduntur. Nonne enim male infertur, nihil in se esse verum vel falsum ex eo, quod aliqui extiterint, etiam Philosophi, qui dubitarunt de ipsis primis principiis scientificis, ut quodlibet est vel non est, de existentia eorum quæ videbant, & suimet corporis, uno verbo de omnibus. Simili igitur modo male infertur, nihil in se esse bonum vel malum morale ex eo, quod revera extiterint, qui aliquid, quod nos malum & execrabile dicimus juxta communem cogitandi & loquendi modum, illi tamquam licitum, honestum, & etiam sanctum habuerint, vel vocaverint, præsertim cùm hi vulgo habeantur pro sceleratis, & generis humani propudio (1): *quorum proinde exemplo, qui conentur rationem humanam infamare, sibimet infamiam conciliant*, jure dicit Muratorius. Atque ex his sunt Bayles (2), & Locke (3), quorum uterque suam symbolam ex nefariis viatorum narrationibus congestam ad amplificandam hanc objectionem contulerunt. In quo non est dissimulanda etiam contradictio, quam Buffierius (4) in Locke observat, quod postquam dixit nullum esse principium practicum, quod communiter sit receptum, deinde dicit, *Præcepta legis naturalis sunt clara, & raro sunt controversa*.

193. Deinde quoniam compertum est, non deesse (5), *qui in eo ipso peccant, cujus profitentur scientiam*, quod evincit Tullius a Grammaticis, qui barbare loquuntur, a canentibus absurde, qui musicam callent, a delinquentibus in vita, qui artem vitæ profitentur, quonam ratiocinio infertur ex morum pravitate opinionum etiam perversitas? Quonam jure, inquit Chaumeixius (6) post Buffierium (7) audet Locke sic arguere: Hi vivunt ex furtis, illi ex latrociniis: ergo neutri operantur contra suam conscientiam. Respondet quidem Locke ita se concludere, *quia semper credidit non posse melius cognosci sensus hominis, quam ex eorum operationibus*. At nullo modo debuit id credere sciens esse voces vulgo notas mentiri simulare & dissimulare: saltem debuit distinguere sensus seu opiniones hominum actuales ab habitualibus; Nam quis aliquando vult, quod solitus est abhorrere: vel distinguere sensum circa unum objecti attributum ut esse delectabile, a sensu circa aliud ut esse licitum. Quotus enim est ex male operantibus, qui non dicat video meliora proboque, deteriora sequor.

194. Tandem in particulari respondeo ex objectis apud aliquas gentes moribus, aliquos quidem non probari de populis, qui in

(1) Mur. Filos. Moral. cap. 7.
(2) Bayl. delle Comete.
(3) Loc. Essai phil. lib. 1. cha. 3. §. 45.
(4) Buff. Prem. veri, num 571. col. 734.
(5) Tull. Tusc. lib. 2. num. 4.
(6) Cha. Prejug. tom. 6. art. 1. cha. 4. & cha. 7. §. 1.
(7) Buff. Prem. Veri, num. 558.

in Rempublicam coaluerint, alios vero non probari fuiſſe ſatis diuturnos. Atque hoc modo intelligi poteſt citatus Sardus, mortuus anno 1588., de cujus Literatura & Religione conſuli poſsunt Ephemerides Literariæ Romanæ anni 1775. ad nu. 30. 31. & 32., ubi loquuntur de alio ejuſdem libro *Numinum & Heroum origines* hoc ipſo anno Romæ edito. Ille enim cum inter populos nullis inſtitutis matrimoniis, beſtiarum inſtar creſcentes, Indos capite primo nominaverit, eoſdem deinde capite ſecundo numerat inter gentes, quæ *habebant in matrimonio matres & ſorores*: ſcilicet prima illa barbaries contingere fortaſse potuit, dum deſcribuntur (1) *ferarum more paſſim vagantes*: ſecunda vero licentia, dum nondum illorum Reſpublica ſufficienter fuerat ſtabilita. De populis, qui cum parentes jam ſenes occiderent, anthropophagi dicti, credunt Jo: Ciampoli (2), Paras (3), & Gallus Anonymus ſcribens *De regulis officiorum a Natura homini ingenitis* apud Trevoltianos (4), factum id ab illis fuiſse cum repugnantia & dolore naturali per malam deductionem ex principio honeſto, quod docet parentes honorandos, & procurandum illis bonum quam poſſumus maximum, cujuſmodi crediderunt eſſe eoſdem per mortem liberare a calamitatibus ſenectutis, & per comeſturam decentiſſime ſepelire.

195. De illis tandem moribus, qui dictu magis horribiles ſunt, utpote qui fœdiſſima vitia dicuntur conſecraſſe, nego populos, apud quos hæc aliquo tempore contigerunt, exiſtimaſſe non eſſe reipſa infanda ſcelera; Nam ea certo quodam dumtaxat tempore & loco non jam jubebantur, ſed tolerabantur: extra vero illud ipſorum templum ac tempus, tamquam quid omnino monſtroſum turpe & indignum natura rationali, prohibitum erat graviſſimis legibus, & nullo modo toleratum. Quare planum eſt, ne tunc quidem cum nominabantur actus Religionis hujuſmodi turpitudines, credebantur tales eſſe, ſed quæ cauſæ reputatæ fuerunt ſufficientes ad eorum permiſſionem, qualis fortaſse fuit ad impediendum majus malum, eædem potuerunt perſuadere abuſum etiam illius appellationis, & ea præterea, quæ magis facit contra objectionem, & verior videtur, ne vulgo ſcilicet nota eſset tanta ſtultitia, vel nequitia.

196. II. Objicitur. Si darentur aliqua principia operandi communia, maxime eſsent, quæ dicuntur præcepta legis naturalis: Sed hæc non ſunt principia communia; Nam admittitur a Theologis dari poſſe ignorantiam invincibilem etiam circa legem naturalem: ergo.

Reſp.

(1) Sardi lib. 1. cap. 1. pag. 1.
(2) Ciam. Frammenti. Del bene ca. 14.
(3) Par. Elem. de metaph. num. 219.
(4) Trevol. an. 1759. art. 1. pag. 9.

Resp. dist. maj. Principia communia essent præcepta legis naturalis, sed ex iis, quæ nullo indigent ratiocinio ad sui cognitionem, conc. maj., quæ hoc indigent ratiocinio, utpote inferenda ex primis cuivis obviis, nego maj., & cum eadem distinctione excepta min. negatur conseq. Quod pertinet ad probationem, dico Theologos, ut Antoinem (1), admittere ignorantiam invincibilem dari posse circa legem naturalem, non quantum ad præcepta præcipua & fundamentalia, quæ prima morum principia appellantur, neque circa illa, quæ facile ex his colliguntur, qualia sunt præcepta Decalogi, sed solum quantum ad illa, quæ sunt satis abstrusæ conclusiones priorum. De his S. Thomas dicit (2), *quædam sunt, ad quorum judicium requiritur multa consideratio diversarum circumstantiarum, quas considerare diligenter non est cujuslibet, sicut considerare particulares conclusiones scientiarum, non pertinet ad omnes*. Hoc modo S. Augustinus conscius utique legis naturalis atque Divinæ dubitat de nonnullis in Lege Dei contentis, ut an uxor dimissa a suo marito committat adulterium, si alteri illo vivente copuletur; Nam inquit (3), *mœchatur quidem, qui eam duxerit secundum Domini sententiam, sed utrum & ipsa tali crimine teneatur, incertum est*, aliasque tum ibi, tum alibi (4), similes dubitationes promovens, se nihil habere, quod de illis statuat, profitetur.

Articulus VIII.

Argumenta pro tertia propositionis parte.

197. Tertia propositionis pars, dari bonitatem moralem, quæ non dependet ab hominum conventionibus sic probatur. Intima experientia conscii sumus determinari nos ad amandos, quos novimus mites fideles gratos, & aversandos crudeles infidos ingratos, sicuti intima experientia conscii sumus necessario delectari nos ab aspectu operis bene dispositi, aut ab artificioso concentu, & contra molestia quadam necessaria affici videntes res incompositas, aut audientes voces inconditas: ergo sicuti delectatio vel molestia sensuum dependet a solis rebus objective delectabilibus vel ingratis, sive congruentibus naturæ animalis, vel illi non congruentibus, quin ulla intercedat conventio, ex qua reddita fuerint delectabilia vel ingrata, ita affectio voluntatis prosequutiva alicu-

(1) Ant. Theo. Mor. tr. de Peccatis cap. 4. qu. 6.
(2) S. Th. 1. 2. qu. 100. art. 1. O.
(3) S Aug. de Serm. Dom. lib. 1. ca. 16. num 48.
(4) Id. Epist. ad Paul. 80. alias 65.

alicujus actionis, & aversiva aliarum dependet a solis rebus objective honestis vel non honestis, sive congruentibus naturæ rationali, vel non congruentibus antecedenter ad omnem legem, aut conventionem. Exemplum est legitimum & urgens, quia utrobique habentur affectiones ita necessariæ, ut in contrarium commutari non possint per quasvis leges, & quacumque proposita vel pœna vel mercede.

198. Ex sola experientia hujus naturalis aversionis in sordidos vanos leves futiles impuros ac flagitiosos concluserat jam olim M. Cato apud Tullium (1) *nihil est, de quo minus dubitari possit, quam & honesta expetenda per se, & eodem modo turpia per se esse fugienda*. Luculentius apud eumdem M. Piso vim hujus argumenti exponit observando ductum naturæ nostræ rationalis per singulas hominis ætates incipiendo ab ipsa pueritia, quando naturam hanc amamus quidem, quia necessario omne animal a primo ortu se ipsum amat, sed illam nondum intelligimus. Jam vero in pueris, in quibus (2) *ut in speculis natura cernitur*, videmus, quod se accusari nolunt, cupiunt laudari, memoriam habent bene de se meritorum & referre gratiam desiderant. In confirmata vero ætate, *quis*, inquit, *est tam dissimilis homini, qui non oderit libidinosam protervam adolescentiam? quis contra illa ætate pudorem, constantiam, etiamsi sua nihil intersit, non tamen diligat? An obliviscimur, quantopere in audiendo in legendove moveamur, cum pie cum amice cum magno animo aliquid factum cognoscimus*. Generalius alibi (3), *Quæ*, rogat, *natio non comitatem, non benignitatem, non gratum animum, & beneficii memorem diligit? Quæ superbos, quæ maleficos, quæ crudeles, quæ ingratos non aspernatur non odit?* Idem ibidem observat (4) *impiorum neminem tam audacem unquam fuisse, quin defensionem facinoris a natura jure aliquo quæreret*, scilicet *nequitiæ fructus concupiscitur, ipsa vero odio pudorique est*, ut ait Seneca (5) in hac observatione diutius immoratus.

199. II. Contra Hobbesium speciatim. Juxta ipsum nihil est natura sua justum vel injustum, nihil per se honestum vel inhonestum, seu bonum aut malum morale, sed omnis actionum humanarum moralitas dependet ex conventionibus & voluntate summi præsertim magistratus: ergo, cum prius sit saltem prioritate naturæ esse hominem, quam esse subditum magistratui, homo attenta sua natura habet jus omne in omnia, & respectu ipsius lex naturalis, quæ quid jubeat præter conservationem suæ vitæ, est no-

(1) Tull. de Fin lib.3. n.11.
(2) Id. ibid. lib.5 n.22.
(3) Id. de Leg. lib.1. cap.9.
(4) Id. ibid. cap.12.
(5) Sen. de Benef. lib.4. cap.15.

nomen sine sensu : ergo quivis hominum potest sine ullius reprehensione se gerere juxta illud (1), *Sit fortitudo nostra lex justitiæ*, quod axioma ex ferarum moribus deductum, quo evadat docebit ipsa Scriptura. Quivis etiam postquam sponte aut vi subjectus sit alterius potestati, poterit pleno jure, quoties ipsi detur occasio, recuperare quovis modo jus plenæ libertatis & excutere jugum magistratus, a quo illud sibi sublatum est. Itaque inter heroas numerandi erunt, qui Catilinæ adhæserunt in tentando patriæ parricidio, in quo perperam proinde S. Augustinus dixit, (2) *contineri omnia scelera*; Nam in hoc ipsi facinus impulsi fuerunt a proposita sibi per Catilinam exlege libertate; Ille enim ut habet Sallustius, postquam odium in leges Romanæ Reip. concitavit, (3) *Quin igitur*, inquit, *expergiscimini. En illa, quam sæpe optastis libertas. Præterea divitiæ decus gloria in oculis sita est: Fortuna ea omnia victoribus præmia ponit. Polliceor novas tabulas, proscriptionem locupletum, magistratus, sacerdotia, rapinas aliaque omnia, quæ bellum atque victorum libido fert*: Atqui hæc omnia sunt dogmata impietatis & horroris plena: ergo. Porro qui contra Hobbesium apud Bruckerum (4) hoc modo arguunt, ostendunt ipsum in suis libris revera concessisse omnia, quæ dicuntur sequi ex eo, quod nihil in re sit bonum & malum: & siquando ea negavit, ostendunt talibus id ipsum verbis fecisse, quæ indicant hominem non solum subdolum, sed etiam sibi contradicentem.

200. III. Si ante conventa nihil esset bonum aut malum moraliter, jam ante illa æquali loco habendi essent, qui sibi divitias compararent per artes aut scientiam, ac illi qui id facerent per furta aut rapinas, nec pluris æstimandi essent, qui servarent aut juvarent homines, quam qui eos læderent aut perderent. Atqui hæc, quæ ceteroqui concedit Hobbes, cujus sunt hæc verba (5) *injuriam nemini fieri posse, nisi ei quocum initur pactum*, repugnant lumini rationis & communi totius generis humani consensui. Quis enim est inquit Tullius (6) *aut avaritia tam ardenti aut tam effrænatis cupiditatibus, ut eamdem illam rem, quam adipisci scelere quovis velit, non multis partibus malit ad se, etiam omni iniquitate proposita sine facinore, quam illo modo pervenire?* ergo ante conventa est aliquid boni aut mali moralis.

IV. Jux-

(1) Sap. 2. v. 11.
(2) S. Augustin. lib. 3. contr. Acad. c. 16.
(3) Sall. Catil. conjurat.
(4) Bru. Hist. Phil. tom. 4. lib. 1. c. 6. § 14.
(5) Hob. de Cive cap. 3. § 4.
(6) Tull. de Fin. lib. 3.

201. IV. Juxta Hobbesium rite instituuntur leges, quia aliter genus humanum servari non posset, & mutuo homines se perderent: ergo antecedenter ad hujusmodi leges bonum est, unum hominem esse alteri utilem, & malum contra unum alteri noxium esse. Hoc argumentum legi potest carminibus alligatum a Card. Polignac (1).

V. Juxta eumdem aliquid est bonum moraliter, quando est secundum stabilitas leges vel conventiones, & malum contra, quando his opponitur: ergo antecedenter ad omnes conventiones datur aliquod bonum aut malum morale, scilicet hoc ipsum quod est stare conventis, aut illis obstare. In hoc enim fundari potest aliquid esse bonum, quod est juxta conventa.

ARTICULUS IX.

Argumenta pro quarta propositionis parte.

202. QUarta propositionis pars dari bonitatem moralem, quæ non dependet ab utilitate vel publica vel privata I. sic probatur. Data tantummodo intrinseca convenientia inter actum, qui a natura rationali peragatur, & ipsam naturam, jam in actu illo habetur aliqua bonitas; Nam habetur aliquid proportionatum huic naturæ, & ab ipsa proinde appetibile: sed illa bonitas sub ea ratione præcisiva, neque est bonitas delectabilitatis, neque bonitas utilitatis; nihil enim horum illa importat, & etiamsi nec delectabilitas nec utilitas adesset, adhuc ex sua prædicta convenientiæ ratione esset quid appetibile. Ita nonne sublevare miseriam pauperis, restituere alienum, parere superiori, & similia objecta sunt bona moraliter, etiamsi nullam illis, qui hæc faciant, afferant nec utilitatem nec voluptatem seu delectationem ab ea distinctam quæ semper habetur in satisfaciendo exigentiæ naturæ rationalis? Et quod illustrius exemplum est, nonne honestissimum & Deo dignum bonum dicimus, ita nostri generis misertum esse, ut Verbum Caro factum fuerit, ex ea profecto ratione, quod id per se decet Divinam magnitudinem? Neque tandem dici potest bonitas solius honestatis naturalis; nam agimus de convenientia actus cum natura non utcunque sed rationali: ergo est bonitas particularis sita in prędicta convenientia, quæ dicitur bonitas moralis. Etsi ex hoc argumento satis apparet, assumptum Glauconis (§.156.), quod omnes sectentur justitiam unice propter spem premiorum externorum, quę illam consequantur, falsum esse & inju-

(1) Polig. Antil. lib. 1. v. 594.

injuriosum iis, qui se Philosophos sine mendacio appellant; nihilominus ex eo etiam deprehenditur falsum, quod longe jucundius accidat premium homini, cum se illo dignum putat, quam cum conscius sibi est eodem se esse indignum: ergo est preter premium virtutis, aliquid in ipsamet natura virtutis, propter quod est ipsa per se amabilis. Id autem quid est aliud, nisi convenientia actus virtutis cum natura rationali, in quo sensu dicit S. Thomas (1) virtutem esse secundum naturam hominis.

203. II. Amare Deum unice, quia est in se bonus, est actus moraliter bonus, & maximus inter hujusmodi actus: Sed hic actus non dicit respectum ad propriam utilitatem: ergo datur actus bonus moraliter sine respectu ad propriam utilitatem. Major videtur evidens, & quando opus sit, suadetur, quia amare summum bonum ex solo motivo suæmet bonitatis, est actus maxime conveniens naturæ rationali, in quo stat notio actus moraliter boni. Nec minor controverti debet, quia est communis Doctorum sententia, satis etiam expressa ab illo Scripturæ (2), *Charitas non quærit, quæ sua sunt*. Fuerunt quidem olim aliqui, quos refellit Scotus (3) *dicentes Deum, in quantum est objectum beatificum, esse objectum charitatis*, idemque recentius dixit Bossuetus junior Episcopus Trecensis, tribuens Charitati, quod ipsius objectum formale sit Deus non solum quia in se bonus, sed etiam quia bonus nobis, ut habet Languetus in ea hujus doctrinæ impugnatione, quam cum esset Archiepiscopus Senonensis ad eumdem Bossuetum direxit per epistolam datam ann. 1753. Verum hi omnes confundunt actum excitantem ad actum charitatis cum hoc ipso actu; Objectum enim actus, quod sit Deus bonus nobis, est, ut ibidem (4) observavit Scotus, actus excitans ad amorem Dei, non vero est amor Dei, qui vulgo dicitur actus Charitatis; Nam hæc virtus, ut verbis utar ejusdem Doctoris (5), *distincta est a Fide, quia actus ejus non est credere: similiter a spe, quia actus ejus non est concupiscere commodum amantis: sed tendere in objectum secundum se, etiamsi per impossibile circumscriberetur ab eo commoditas ejus ad amantem*.

204. III. Necessario quodammodo laudamus & amamus homines præclaris virtutibus præditos, qui in regionibus a nobis remotis, aut anteactis longe temporibus vixerint: sed hujusmodi laus & amor nequit provenire ex eo, quod utiles nobis sint aut esse possint illorum actiones: ergo provenit ex eo, quod illæ sint in se,

& de

(1) S. Thom. 1. 2. qu. 71. art. 1. O.
(2) 1. Corinth. 13. 5.
(3) Sco. in 3. dist. 27. quæst. 1. §. Tertia ratio.
(4) Sco. ibi. §. Quantum ad istum;
(5) Id. ibi. §. Confirmatur, quia.

& de se moraliter honestæ (1). *Quis est*, inquit Tullius, *tam dissimilis homini, qui non moveatur & offensione turpitudinis & comprobatione honestatis? Quis Pullum Numitorem, Fragellanum proditorem, quamquam reipublicæ nostræ profuit, non odit? Quis Urbis conservatorem Codrum, quis Erichthei filias non maxime laudat? Cui Tubuli nomen odio non est? Quis Aristidem mortuum non diligit?*

205. IV. Si omne bonum morale objectivum repetendum esset ab utilitate propria vel publica, sequeretur, quod multi amare parentes, & se ipsi non deberent, quando nihil a parentibus quia senibus & infirmis, vel a seipsis quia ineptis sperare possent commodi nec sibi nec Reipublicæ: quod nulli recipiendi vel retinendi in nosocomiis, quorum conclamata valetudo est, qui Reipublicæ non prosunt, & sibi certe utiles non sunt: quod privari dominio suorum bonorum deberent prodigi & avari, primi quia illis abutuntur, secundi quia illis non utuntur: quod malum non sit immo bonum mentiri, interveniente magna aliorum utilitate, & bonum pariter sit non malum, privata authoritate occidere hominem noxium Reipublicæ suis in aliena bona continuis insidiis. Rursus sequeretur, quod actus indifferentes exerceat qui procul ab omnium oculis Deum vel Idolum colat, & qui voluntarie immoratur in cogitationibus eorum omnium, quæ iniquitates vocantur; Nam hæc in nullius commodum vel incommodum, quod sensibiliter appareat, redundant: contra vero, quod bene operentur tam illi, qui invicem conveniunt ad fruendum inhonesta voluptate, nam serviunt mutuo commodo, quam illi, qui ad consulendum de Republica, vel ad Psalterium recitandum congregantur: Sed hæc omnia absurda sunt dictu & auditu: ergo. Vidit necessitatem hujusmodi illationum jam olim Tullius, qui quando bonum commodis & emolumentis metiri debeamus, aperte profitetur sequi (2) *virum bonum non posse reperiri*. Et vehementius etiam alibi dicit (3), *Si emolumentis virtus expenditur, una erit virtus, quæ malitia rectissime dicetur; Ut enim quisque maxime ad suum commodum refert, quæcumque agit, ita minime est vir bonus*: ergo.

206. V. Dato omne bonum morale objectivum dependere dumtaxat a propria vel publica, suæ scilicet speciei utilitate, jam etiam ad Bruta ipsa vilissima, ut Insecta, pertinet bonum in se morale, eaque paria in hoc dicenda sunt hominibus; Nam singula quærunt suum commodum, & quæ in speciem ordinatæ reipublicæ, ut apes & formicæ, vivunt, quærunt etiam cum sui incommodo utilitatem suæ speciei: sed hæc stulte dicuntur: ergo & illud, unde hæc sequuntur.

O 2 VI. Cum

(1) Tull. de Fini. lib. 5. num. 62.
(2) Tull. de Fini. lib. 2. num. 17.
(3) Tull. de Leg. lib. 1. num. 18.

VI. Cum Tullio (1). Nemo est, qui serio loquens dicat, *in eo adolescente bonam spem esse, & magnam indolem, quem suis commodis inserviturum, & quicquid ipsi expediat, facturum arbitratur*; quin immo ille jam tunc, vel ut ignavus contemnitur, vel ut malæ indolis timetur: ergo nemo esse potest, qui serio loquens dicat bonum morale non discerni a bono sibi utili.

207. VII. Cum eodem (2). Qui magistratum peteret, aut iniret, profitens pro concione omnia in illo utilitatis suæ caussa facturum, is clamorem populi contra se statim concitaret, & spem omnem illius aut obtinendi aut retinendi sibi eriperet: contra vero si diceret se habiturum præ oculis officium, æquitatem, dignitatem, fidem, recta, honesta, digna magistratu, digna populo, audiretur cum approbatione & augurio exequendi, quod dicit: ergo repugnat communi hominum sensui dicere, bonum morale fundari in propria utilitate, sive ut ait Tullius, negare (3) *innatam esse homini probitatem gratuitam, non mutuatam voluptatibus, nec præmiorum mercedibus evocatam*.

VIII. cum eodem ibidem. Epicurus, cujus philosophia saltem scripta, illud solum affirmabat bonum esse, quod ad voluptatem corporis referretur, ad extremum vitæ jam deductus, plura præstitit officia fidei amicitiæ grati animi; & omnes, qui ejus affectant disciplinam, in extremo similiter spiritu plerumque naturaliter ipsum imitari observantur. Sed nemo horum ad ea officia invitatur voluptatibus, aut alia utilitatis spe: ergo invitatur ipsis per se officiis, ex eo scilicet, quod quæ *honesta & recta sunt, ipsa sunt spectabilia per sese*.

208. IX. Actus justitiæ, quæ dicitur esse virtus suum cuique tribuens, & si ablatum fuerit, reddens, tales sunt, ut nemo sit credo adversariorum, qui serio dicat non curare, ut quis erga se hujusmodi actus exerceat, aut eos habeat inter indifferentes, donec nullam afferant utilitatem illos exercenti, & moraliter bonos solum censeat, cum utiles eidem exercenti evaserint: quin immo pro certo habeo omnes approbare illud Tullii (4), *si quis alterum violat, ut ipse aliquid commodi consequatur, & nihil existimat contra naturam facere, quid cum eo disseras, qui omnino hominem ex homine tollat?* ergo datur aliquod bonum morale non dependens ab utilitate propria.

X. Amor amicitiæ dicitur voluntas, qua alterius bonum volumus non propter nostram utilitatem, sed propter illum, quem dili-

(1) Tull. de Fini. lib. 2. in fine.
(2) Id. ibid. num. 23.
(3) Id. ibid. num. 30.
(4) Id. de Offic. lib. 3. num. 6.

diligimus. Est enim amare, ut ait S. Thomas (1) *alicui bonum velle*: amare autem amore amicitiæ addit exclusionem respectus ad commodum amantis juxta illud Tullii ab omnibus probatum (2), *Me ipsum ames oportet, non mea, si veri amici futuri simus*. Quod evidens etiam per se est. Quis enim amicos dicat illos, quos eodem modo amat ac suos greges campos & arbores? Atqui amor amicitiæ est actus moraliter bonus; Nam ab omnibus valde laudatur, impense appetitur, & habetur ut generosæ indolis effectus & argumentum: ergo datur aliquod bonum morale, quod non respicit utilitatem propriam, & ne respicere quidem potest, nisi forte illam, quæ consistit in delectatione interna, quæ conjungi quidem potest cum exercitio cujuscumque virtutis, vel ex eo tamquam fructus colligi, non tamen est virtutum omnium motivum, sicuti contendit Buffierius (3) de Amicitia. Argui similiter potest cum Andre (4) ex actibus animi vel liberalis, vel grati, vel amantis publicum bonum, qui si admittantur dari inter homines, jam non possunt habere pro suo motivo propriam utilitatem.

209. Utrumque ex his ultimis argumentis reperitur a veteribus sæpius usurpatum. Tullii opera Philosophica frequenter illa urgent, in quibus duplex etiam habetur præclarissima eorumdem confirmatio, altera desumpta a suffragio multitudinis, altera ab illo meliorum Philosophorum. Ad primam hæc spectant (5), *Qui clamores vulgi excitantur in theatris, cum illa dicuntur! Ego sum Orestes, contraque ab altero, immo enim vero ego sum inquam Orestes. Quoties hoc agitur, quandove, nisi admirationibus maximis? Nemo est igitur, qui non hanc affectionem animi probet, atque laudet, qua non modo utilitas nulla quæritur, sed contra utilitatem etiam conservatur fides*. Nec vis hujus confirmationis utpote ex consensu populi desumptæ infringitur, etiamsi fabula esset hæc narratio, & aliæ similes, sicuti suspicatur Buffierius. Pro secunda autem confirmatione hæc sunt, melioribus philosophis (6) *minime probatur aut amicitiam aut justitiam propter utilitates adsciscì, aut probari. Eædem enim utilitates poterunt eas labefactare, atque pervertere. Etenim nec justitia nec amicitia esse omnino poterunt, nisi ipsæ per se expetantur*.

210. Objicitur. Vita nostra instituta est a natura sociabilis. Nam ut distincte exponit, acute demonstrat, & eloquenter exornat elegan-

(1) S. Thom. 1. par. qu. 20. art. 1. & alibi sæpe.
(2) Tull. de Fini. lib. 2. num. 26.
(3) Buff. Socie. Civi. lib. 3. cha. 3.
(4) Andr. ubi supra. Disc. 2. Amour desinteressé.
(5) Tull. de Fini. lib. 5. num. 22.
(6) Id. ibid. lib. 3. num. 21.

gantissimus Yvo Andre (1) ea non subsistit sine aliorum ope saltem commode & diu, quam limitationem addo in gratiam Tullii (2), qui parum fidit ei rationi absolute prolatæ, & eam potiorem censet, quæ arguit ex internis affectionibus nobis continua experientia cognitis, quæ nos ad alios factos alte clamant, & ex loquela homini concessa, ut quemadmodum idem ait (3) *profectus a caritate domesticorum ac suorum serpat longius, & se implicet primum civium, deinde omnium mortalium societate*; quod sæpe (4) repetit. Accedit suffragium Patrum, quos Layman citat (5), & Theologorum, qui cum S. Thoma statuunt (6) *esse homini naturale, quod sit animal sociale*. Quare ex hoc etiam capite contemnendus est Commentarius Rousseavii supra (§. 166.) commemoratus utpote de homine qui non sit animal sociale. Ergo bonum est illud tantummodo, quod ad vitam socialem confert: ergo quod nobis & Reipublicæ utile est.

211. Resp. conc. antec., & nego conseqm. Ea enim, quæ adducuntur, probant solum rationem boni in se moraliter honesti conjungi plerumque cum ratione boni etiam utilis & delectabilis, quod optime constitutum est ab Authore naturæ, ut facilius bonum ipsum objectivum morale, quod a sola natura rationali cognosci, & acquiri potest, prosequeremur: sed non probant, ideo dari rationem boni moralis in his vel illis actionibus, quia datur ratio commodi alicujus. Credo equidem, quod sicuti nullum existere actum humanum, de quo non habeatur actu Divinæ Voluntatis adprobatio vel aversatio, induxit aliquos ad statuendum bonum morale dependere a Lege Divina, confundentes hoc modo id quod est concomitans virtutem cum eo, quod est illius forma: ita conjungi bonum utile cum actibus virtutis, qui magis incurrunt in oculos, alios traxit in eam opinionem, quæ virtutem collocat in eorum exercitio, quæ utilia sibi sunt, vel reipublicæ, vel generi humano. Sed hi facilius poterant advertere, se minus recte statuere, quoniam exempla supra (§. 204. & seq.) allata poterant ipsis meditantibus occurrere, quæ plane demonstrant falsam esse hanc propositionem universalem, honestum moraliter est illud solum, quod est conforme utilitati vel sui vel generis humani: & veram solum esse hanc particularem propositionem, quæ conformia sunt publicæ utilitati generis humani, honesta sunt non quidem

(1) Andr. Le Beau ch. 2. §. La più ancienne.
(2) Tull. de Offic. lib. 1. num. 41.
(3) Id. de Fini. lib. 2. num. 14.
(4) Id. ibid. lib. 3. num. 19. & lib. 5. num. 23.
(5) Lay. Theo. mor. lib. 1. tr. 4. cap. 3. num. 1.
(6) S. Th. lib. 3. contr. Gent. cap. 129. num. 4.

dem quia sic utilia sunt, sed quia congruunt naturæ nostræ rationali, quæ habet quoddam innatum quasi civile, ut Tullius dicebat, qui proinde castigate loquens paulo supra dixerat, non quidem omne honestum esse conjunctum cum generis humani utilitate, sed (1) *in omni honesto nihil esse tam illustre, nec quod latius pateat, quam conjunctionem inter homines hominum, & quasi quamdam societatem & communicationem utilitatum, & ipsam caritatem generis humani*. Utilitas igitur, ne in hac quidem specie honesti, quæ respicit alios, & constituit illud quod dicitur ius Gentium, est forma ipsius honestatis, sed solum est regula cognoscendi an & quid pertineat ad hujusmodi jus, ut declarat cum Juristis Franciscus Widmann (2).

SECTIO VI.

De Bono morali objectivo per accidens.

PROPOSITIO.

Datur bonitas moralis per accidens, quæ actibus humanis supervenit ex lege Dei positiva, quæ illos præcipiat, cui obsequi necessarium est ad salutem æternam consequendam.

212 T sensus propositionis planus sit & apertus, dico nomine legis Dei positivæ juxta communem Theologorum acceptionem venire legem a Deo latam per solam sui liberam voluntatem, & promulgatam per Scripturam Sacram, & Sacras Traditiones. Propositio autem est contra illos qui respuunt omnem religionem revelatam, & solam admittunt Religionem naturalem: quo nomine Religionem significant quæ soli innititur lumini rationis humanæ: quæ significatio adverti debet diligenter, utpote nova & adversariis propria; Nam apud Thologos Religio naturalis significat religionem, quæ retinet dogmata revelata, sed non scripta, & servat revelatas etiam ac positivas leges, sed non scriptas. Hujusmodi fuit Religio Patriarcharum, quæ præcessit legem a Mose promulgatam & scriptam; Per revelationem enim notum ipsis fuit peccatum originale, ejus da-

(1) Tull. de Fini. lib. 5. num. 23. (2) Wid. Jus Canon. Proleg.

damna & remedia, quæ ſunt totidem dogmata. Leges etiam iidem ſequebantur circa modum colendi Deum per certa ſacrificia & victimas, & juxta præceptos a Deo ritus, ut luculentis Geneſeos teſtimoniis evincit Ludovicus Cſapodius (1).

213. Qui religionis revelatæ exiſtentiam negant, dividi debent in rigidiores, qui nullam, & in mitiores, qui aliquas admittunt revelationes. Primi nullam agnoſcunt bonitatem aut malitiam moralem per accidens, ſive dependentem ab aliqua lege Dei poſitiva, utpote qui omnes habent pro imaginariis, & imbecillis eſſe dicunt contrarium credere; atque hinc ex adverſo ſpiritus fortes ſe ipſi appellant. Ex primis qui ſint ſecundi, jam patet. De utriſque antequam propoſitionis rationes proferam aliquid ſubiicio.

ARTICULUS I.

De rigidioribus propoſitionis adverſariis.

214. QUI omnino noſtræ propoſitioni contradicunt vocantur Theiſtæ, cujus nominis vis eſt ſignificare homines, qui docent Deum, & quidem unum colendum eſſe, cum ipſius exiſtentiam & unitatem ratio naturalis demonſtret, & tamquam totidem ejus leges habenda eſſe quæcumque lumen rationis indicit nobis facienda, quia intrinſece bona ſunt, vel cavenda, quia intrinſece mala: ſed cætera, quæ divinitus revelata ab his vel illis gentibus creduntur, ut determinatum modum illum colendi, & præcipuas quaſdam virtutes, quæ ad Conſilia evangelica reducuntur, omnia ipſi reſpuunt, tamquam res fictas, vel ſaltem incertas.

215. A Theiſtis diſtinguuntur Deiſtæ. Nam ut obſervat Epiſcopus Le Franc in præfatione ad ſuam *Religionem vindicatam*, quam ex Gallica Italicam edidit Hiacynthus Ceruti Romæ ann. 1773. Deiſtas placuit jam appellare, qui ſolam exiſtentiam Dei agnoſcunt, obligationem autem ipſum colendi, legem naturalem, & immortalitatem animæ, quæ omnia admittuntur a Theiſtis, ipſi inter præjudicia vel errores vel inſolubiles controverſias numerant. Deiſtæ culmen non tam ignorantiæ, quam perverſitatis attingunt. Quis enim non videat ex exiſtentia Dei quam fatentur, inferri ceterarum rerum omnium dependentiam ab ipſo, ejuſdemque bonitatem in creaturas quas condidit hujus cognitionis capaces, adeoque neceſſitatem, ut hæ ipſum colant & revereantur. Qui tales ſunt, non eſt dubitandum ex iis eſſe, qui bonum omne

(1) Cſa. Relig. revel. lib. 1. num. 88.

omne morale a præsentis temporis utilitate metiuntur, contra quos supra (§. 202) disputavi.

216. Sed redeo ad Theistas. Ex his dixerim esse sectam ut ajunt Quaquerorum, hoc est trementium ab Anglico nomine *A Quaker*, tremens, qui nullum publicum Religionis actum ritum ceremoniam, & nullum sacramentum admittunt, ut videre est in eorum historia, quæ anno 1695. Amstelodami prodiit. Auctorem hæc habuit sæculo 17. Georgium Fox calceolarium. Theistæ vocantur etiam Naturalistæ, quia solam rationem naturalem constituunt esse regulam credendi & operandi. Quamobrem citantur *Historia Naturalismi*, & liber *de Naturalismo*, prima Adami Trihechovii, secundus Joannis Diermani. Clarke quidem dicit non posse ita facile credi (1) ullos dari reipsa Naturalistas, sed qui tales se prædicant esse ex illis, qui negant quicquam esse bonum, aut malum, & leges omnes humanas & divinas derident. Sed hanc ipsius opinionem ii refutabunt, qui leges approbant tamquam bonas, sed interea dolent se illis contraire, & dum norunt meliora, sequuntur deteriora.

217. Iidem dicuntur Politici, quia rem generis humani se gerere ajunt, dum ad Deismum omni qua possunt vi ipsum impellunt. Iidem Latitudinarii & Libertini appellantur, quia restringentes boni & mali species amplificant libertatem a præceptis. Tandem Indifferentes & Tolerantes dicuntur, quia nolunt cuiquam creandam esse molestiam, propterea quod hoc potius modo, quam alio Deum colat, cum id cujusque arbitrio omni exclusa revelatione Deus permiserit.

218. In his fuit Rhetorius quidam, qui referente S. Augustino post Philastrium (2) docuit (3) *Deo placere quarumcumque sectarum religionem, quomodo diversis cibis delectantur homines, adeoque liberum cuique pro libito fidem eam amplecti, quæ magis arridet*. Mahometes etiam dicitur a Clapodio (4) docere capite xi. sui Alcorani, *Christianos, Judæos, & cujuslibet alterius sectæ homines salvandos*. Propius nostris temporibus fuit Ulricus Zuinglius, filius terræ Helvetiorum, qui pastoris Catholici munus, quod apud illos exercebat, in immanitatem lupi commutavit, qua ad æmulationem Lutheri sibi coævi, eorumdem animas palam lacerare incœpit ann. 1519. multis & horrendis erroribus, in quibus referente Card. Pallavicino (5) hic pariter erat *necessariam non esse* [illegible] *fidem*

(1) Clar. Disc. of Relig. Introd. p. 17.
(2) Phil. de Hæres. 43.
(3) S. August. hæres. 72.
(4) Csap Relig. revel. lib. 1. n. 161.
(5) Pall. Istor. del Conc. lib. 1. c. 9.

fidem ad salutem æternam, adeoque *beatos esse Ovidium ac Martialem æque ac illos, quos tamquam sanctos veneramur*.

219. Eamdem absurditatem iisdem verbis, ac Rhetorius docuerunt Ræmundo teste (1) qui sequuti sartorem natione Picardum ann. 1525. dogmatizantem in Brabantia nomine Quintinum, Quintinistæ dicti fuerunt. Ex istis fuit execrabilis Auctor libri *de tribus Impostoribus*, in quo æquali modo Judaica Christiana & Mahumetana Religio cum Mose Christo Domino & Mahumeto irridentur, si forte unquam extitit hujusmodi liber, quod plusquam incertum esse plane persuadet Prosper Marchand (2), etsi multi de eo meminerint, quos ex professo refert, quibus addam Ræmundum citatum, qui dicit se illius *exemplar vidisse apud Petrum Ramum* cum puer esset, quod satis est ad dubitandum de vera ejusdem existentia.

220. Iisdem sceleratis authoribus turmatim accesserunt plures Angli, quos Salchlius in suis de *Deismo literis*, de quibus meminerunt Trevoltiani (3) insectatur. Tales sunt Eduardus Herbertus, mortuus ann. 1648 ætatis suæ 67. Hic in suo *de Veritate* libro, de quo extat examen ad eumdem a Gassendo (4) missum omni Religioni suffragatus est, ut Pictetus (5), & Niceron (6) observarunt.

Et Antonius Collins, qui cum dissertationem *de Fundamentis Religionis Christianæ* ad hæc convellenda conscripserit, a multis statim impugnatus fuit, quorum catalogum habet Chaufepieus (7):

Et Jo: Tolandus mortus ann. 1722. ætatis suæ 52., in suo opusculo Anglico, *Christianismus mysterii expers*, quod primo apparuit ann. 1696., & in aliis deinceps huic similibus a Nicerone (8), & citato supra (§ 159.) Faba commemoratis, in quibus homo ceteroquin tam credulus, ut referente & impugnante Thoma Innes (9) propugnaverit ineptissimas fabulas de antiquitate plusquam remota Gentis Hibernæ, e qua ille erat, ausus est tam apertam professionem facere incredulitatis circa Divinas revelationes eorum, quæ sint supra nostram rationem, ut Magistratus ipse Hiberniæ anno insequenti librum illum flammis devoverit, quin hanc ignominiam potuerit effugere per oblatam apologiam, quam

(1) Ræm. de ortu hæres. lib. 2. cap. 16.
(2) March. Dictio. art. Impostoribus pag. 312.
(3) Trev. ann. 1759. art. 24. pag. 581.
(4) Gass. Oper. tom. 3. epist. ad Herbertum.
(5) Pict. contre l' Indiff. cha. 20.
(6) Nic. Memor. tom. 18. pag. 180.
(7) Chau. Nouv. diction. art. Collius.
(8) Nic. Memoſi tom. 1. & 10.
(9) Inn. a critical essai. sec. 2. cha. 1. art. 2.

quam vidi ad calcem novæ ejusdem editionis Londinensis anni 1702.

221. Et Jo: Locke natus ann. 1632 mortuus vero ann. 1704., cuius est illa, quæ latine primo prodiit ann 1690, *Epistola de Tolerantia ad clarissimum virum T. A. R. P. T. O. L. A.*, hoc est Theologiæ apud Remonstratenses professorem, Tyrannidis osorem Limburgium Amstelodamensem, *scripta a P. A. P. O. I. L. A.* hoc est Pacis amico, persequutionis osore, Joanne Locke Anglo. in qua tolerantiam omnis religionis conatur suadere, non solum ex eo, quod non pertineat ad magistratum civilem præscribere ea, quæ sunt Religionis, cum ejus finis sit incumbere ad Reipublicæ temporale dumtaxat bonum, & conservationem, sed etiam ex eo, quod negat (1) haberi modum cognoscendi inter Christianas religiones pro tot jam sectis diversas, quæ vera sit, si forte una sit vera: Propter quam caussam in alio etiam opusculo (2) eos laudat tamquam recti judicii viros, qui circa Religionem ita animo sunt dispositi, ut nulli immutabiliter hæreant. Hæc epistola Anglice deinde prodiit ann 1690., In quo prima extitit editio præcipui Lockes operis *de Intellectu humano*, in quo ad caput nonum libri tertii notarunt jam Trevoltiani (3) Indifferentismum doceri. Eadem epistola Gallice reddita habetur in nova editione ann. 1732. diversorum opusculorum hujus Philosophi. At quoniam illa apud Anglos ipsos eodem anno 1690 invenit impugnatorem, dedit occasionem alteri epistolæ, quam eodem anno Locke promulgavit, quæ cum per eumdem Adversarium refutata fuerit, peperit tertiam pro tolerantiæ caussa epistolam, vel potius librum, contra quem anno solum 1704. apparuit brevior quædam impugnatio, quam non toleravit pacis amicus Locke, sed eidem jam ægrotus opponere cœpit quartam epistolam, quam tamen morte adveniente ad finem non perduxit.

222. Commemorandi etiam sunt Matthias Tindalus mortuus ann. 1733. ex Hæretico Catholicus, & ex Catholico Deista, qualem se satis declaravit in libro cujus titulus, *Christianismus tam antiquus, quam Mundus*, & alter Anglus cognomento Chubb, qui de eadem re ac Leibnitius in sua Theodicæa librum edidit, in quo non solum insanum, sed etiam furiosum se comprobavit, ut dicunt Trevoltiani ad annum 1734. (4). Omitto alios, qui quasi globus canarius e tartaro erumpens suis contra Cælum latratibus

(1) Loc. Oeuvr. diverf. a pag. 46.
(2) Idem Conduite de l'esprit §. 12. pag. 189.
(3) Trev. ann. 1701. Janu. pag. 127.
(4) Trev. art. 92.

Angliam universam perturbavit: qui postquam tandem visus est conquiescere, ecce tibi alius similis per totam Galliam eodem modo vociferatur, quem Episcopus Le Franc (1) legioni Dæmoniorum comparat. Atque in his numerantur (2) Freretus in impiis libellis sub ejus nomine editis. *Examen criticum de Christianæ Religionis Apologistis*: *Et Epistola Trasibuli ad Leucippem*; Et Boulangerus in posthumis scriptis, *Antiquitas detecta a suis moribus*: *Christianismus detectus*: *Despotismus Orientalis*: *Dissertationes de Enoch & Elia*. Trevoltiani ejusdem erroris accusant (3) Panagem auctorem libri *de Moribus*, anno circiter 1745. Gallice editi & a multis confutati: & Helvetium in libro *de Spiritu* (4), & novum scriptorem vitæ Francisci Baconis de Verulamio; qui ausus est dicere (5), *quod videtur Deus electioni uniuscujusque reliquisse religionem*.

223 Idem impietatis dogma in pluribus Voltaires opusculis exagitant Guyonus (6), Nonnote (7), Gauchatus in *Literis Criticis*, *seu Refutatione diversorum opusculorum contra Religionem* (8), & qui apud Trevoltianos (9) opposuit analysim & confutationem *Literarum Philosophicarum*, quæ sunt ipsius Voltaires, & in collectione ejusdem operum Dresdæ facta ann. 1748. habentur sub titulo Gallico *Miscellanea Literaria*. De eodem errore Csapodius (10) accusat Baylem & Marmontelum & Marchionem de Argens in epistolis Caballisticis. Idem reperitur in Montesquii libro *de Spiritu Legum*, ubi præscribit Religionem, quæ apud aliquam gentem jam olim recepta fuit servandam, nec alteri ingressum permittendum. Qua ratione Ethnicis ipsis se adjunxit; Neque enim ut advertunt Trevoltiani, qui iterum iterumque (11) tantum in eo errorem impugnant potest Religionis Christianæ prædicationem apud illos approbare.

224 Famosi pariter sunt ex hac etiam scelerata doctrina alii ex aliis gentibus Scriptores, Joan. Bodinus in libris *De abditis rerum sublimium arcanis*, & in libro *Dæmonomania*, & præ cæteris Jo: Jacobus Rousseau, Philosophus Genevensis olim appellatus, sui æstimator usque ad stomachum aliorum, contra quem Ar-

chie-

(1) Fra Relig. vendic. par. 2. pag. 88., & par. 3. pag. 546.

(2) Id. ibid. par. 1. pag. 61.

(3) Trev. ann. 1758. art 83. p. 1960.

(4) Trev. ann. 1758. art. 111. pag. 2680. ibid ann. 1759. art. 23. pag. 446.

(5) Trev. ann. 1756. art. 7. pag. 164.

(6) Guy, l'Oracle des nouv. Philos.

(7) Non Erreurs de Volt. to. 2. cha. 2. & cha. 27. art 3. & 5.

(8) Gau lettr. 37. & 88.

(9) Trev. ann. 1755. art. 121. p. 2940.

(10) Csap Relig. revel. lib. 1. n. 178. in notis.

(11) Trev. ann 1757. art. 4. pag. 82. & art. 96. pag. 2282.

chiepiscopus Parisiensis Christophorus Baumont pastorale edictum promulgavit ann. 1762., & alii deinde ut Le Franc (1), Clapedius (2), Valsecchius (3) scripserunt. Jubet ille in tertio sui Aemilii libro quemque secum debere esse in ea religione, in qua natus est, praeterquam in Catholica Romana propter maximum, quod in ea detestatur peccatum ipsi proprium, Intolerantiam aliarum religionum, cum quo dogmate nemo quaerat quonam modo cohaereat eloquens oratio, quam inferius in eodem libro contexit, & refert etiam Clapodius (4) in laudem Evangelii, quod fatetur non esse opus hominum, & per illud demonstrari Christum esse verum Deum; Cohaeret enim eo modo, quo ipse putat posse Divinum Evangelium *plenum esse rerum incredibilium, & quae rationi opponuntur, & quibus homo cordatus nequit assentiri*, quae est mera contradictio, quam illi exprobat citatus Le Franc (5).

225. Omnes proinde hujusmodi authores sentiunt Deum daturum caelestem beatitatem omnibus, qui Deum quidem existere fateantur, & eo modo colant, qui singulis videatur opportunior, adeoque Paradisum aperiunt quibusvis haereticis, Judaeis, Turcis, & etiam Idololatris. Contra eosdem Trevoltiani (6) laudant dissertationem adjectam ab Houtevillaeo ad calcem sui operis *de Religione Christiana*, saltem juxta novam ab eo auctam editionem ann. 1749., & aliam (7) Georgii Berkeleii in libro Anglice & etiam Gallice edito, cujus titulus *Alciphron, seu Philosophus ridiculus*.

Articulus II.

De mitioribus propositionis adversarii.

226. Mitius propositioni adversantur, qui Indifferentissimum universalem abhorrentes, particularem cum limitatione ad Christianam Religionem amplectuntur, qua ratione controversam bonitatem moralem agnoscunt in iis solum actibus humanis, sine quibus nemo est Christianus. Ab ipsis fere primis Ecclesiae temporibus hujusmodi indifferentismum complures ausi sunt propugnare. Ab Eusebio habemus Apellem haereti-

(1) Fr. Relig. Vendic.
(2) Clap Relig. revel. lib.1. prop.10.
(3) Val. Fond. della Relig. lib 3. p.2. cap 5. n.8.
(4) Clap. Relig. revel. lib.1. n.188 in notis.
(5) Fr. Relig. vendic. par.1. pag.64.
(6) Trev. ann 1750. art.35. p.658.
(7) Trev. an. 1750. ar.37. pag.675.

ret cum docuisse (1) *non esse inquirendam doctrinam, sed quemque ut credidit manere debere; salvos enim pronuntiabat eos, qui in Crucifixum sperant, modo in operibus bonis inveniantur*. Aliqui ex hæreticis Donatistis teste S. Augustino (2) *nihil interesse credebant, in qua quisque parte Christianus esset*. Generalius alibi idem queritur, quod (3) *hæretici sub vocabulo Christiano doctrinæ resisterent Christianæ, quasi possent indifferenter sine ulla correptione haberi in Civitate Dei*. De eodem errore meminit in libro de Hæresibus, quem (4) *nimium mirabilis vanitatis appellat*.

227 Huic nihilominus plusquam multi postremis his sæculis subscripserunt. In his sunt quotquot cum Luthero, Calvino Melancthone aliisque, quos impugnat Suarez (5) dicunt solam Fidem sufficere ad Justificationem & salutem, Fidem scilicet, quæ se teneat ex parte tum intellectus tum voluntatis in hoc sita, quod quis velit, ut sibi a Deo imputentur justitia & merita Christi, firmiter id ipsum sperans, & cum hac fiducia determinatum conjungens assensum de facta sibi hujusmodi imputatione. In his etiam sunt sequaces Ecclesiæ Anglicanæ, cujus articulus decimus septimus anathema dicit iis, qui dicant posse homines salvari extra Religionem Christianam. Iisdem annumerat Pallavicinus (6) Paulum Soavem, qui occasionem dedit celebri suæ historiæ Concilii Tridentini. Alios nominat & ex professo impugnant Michael de Elizalde (7), & Bossuetus (8), & ante hos copiose Nicolaus Serarius in Oratione, quam habuit in Academia Herbipolitana anno 1584, in qua ostendit, quam falso hæretici sui temporis post accerrimas non solum cum Catholicis, sed etiam secum ipsis pugnas, in eam tandem opinionem, quasi in foedus quoddam conspirare jam coeperint, (9) *quod in sua quisque fide salvari possit*.

228 Huc pertinet Simon Episcopius mortuus ann. 164.. ætatis suæ 60. qui ut Jo: Sianda (10), aliique docent, etsi Arminianæ sectæ addictus, admisit tamen tolerantiam omnium sectarum, quæ Sacram Scripturam recipiunt, quocunque modo illam explicent; saltem in iis, quæ non pertinent ad mores. Nam ejus principium impugnatum a Tournelio apud Trevoltianos (11), fuit Religionem Christianam curare solum de exercitio præceptorum,

(1) Eus. Hist. Eccl. lib 5. cap. 13.
(2) S. Aug. Epist. 48 ad Vincent.
(3) Id. de Civit. lib. 18 cap. 51.
(4) Id. de Her. 72.
(5) Suar. de Grat. lib. 8. c. 17.
(6) Pall. Ist. del Concil. introd. c. 3. n. 1.
(7) Eliz. Form. veræ Relig. n. 632.
(8) Bos. Avertissem. a Protestan. av. 6. par. 3. n. 108.
(9) Ser. Oper. tom. 2. Orationes Luth. orat. 6 pag. 179.
(10) Sim. Lexic. polem. art. Episcopius.
(11) Trev. ann. 1727. art. 84. p. 1663.

rum, non de speculationibus. Et Joannes de Vvitt, celebris politicus Hollandus ab ipsomet populo Hagæ Comitum publica in via trucidatus ann. 1672, qui Tolerantiam Religionum conatus est suadere, non solum conferre ad felicitatem Reipublicæ, sed conformem etiam esse præceptis Evangelii (1), excerpens ex illo aliqua loca, quæ sejunctim ab aliis tolerantiæ favent, juxta eorum morem, qui (2) *depravant scripturas ad suam ipsorum perditionem*, & per ipsam literam occidere se ipsi volunt, quem nuper imitatus est Isaacus de Beausobre Berolini mortuus ann. 1738. pastor ut ajunt eorum, qui ex Gallia propter Calvinismum illuc se receperunt, qui ausus est pro concione Christum Dn., & S. Paulum tolerantes repræsentare, ut videre est apud Trevoltianos (3), qui ipsum confutant.

229. Eamdem de indifferentismo accusationem convenire Jo: Clerico Frainus ostendit in impugnatione hujus erroris inserta in Commentariis Trevoltianis (4). Leibnitius etiam Adiaphoriæ patrocinium ausus fuit suscipere, in quo, vel potius in quadam incredulitatis professione obiisse narrat Auctor ipsius vitæ, qui in prima editione ann. 1734 latuit sub nomine Neuvillæi, quem nominat etiam Bruckerus (5), qui de aliis octo Leibnitianæ vitæ scriptoribus meminit. Sed in secunda editione se prodidit sub vero nomine Jaucourtii apud Trevoltianos (6).

ARTICULUS III.

Argumenta pro propositione.

230. PRimo universaliter contra omnes adversarios sic arguo. Datur bonitas moralis in illis actionibus humanis, quæ intrinsece indifferentes apparent, & ab Adversariis ut tales habentur, ut in susceptione Baptismi Confessione Sacramentali adoratione & usu Eucharistiæ, & aliis omnibus, per quas Catholici distinguuntur a quibusvis non Christianis ac Sectariis, si revera datur lex Dei positiva, has actiones nobis præcipiens, & sit moraliter bonum obsequi huic legi, & contra moraliter malum illi non obsequi: Atqui ita est: ergo. Ex duabus minoris partibus prima solum, scilicet dari hujusmodi legem Dei positivam opus

(1) Vit. The interest of Holla. par. 1. cha. 14.
(2) Petr. epist. 2. cap. 3.
(3) Trev. ann. 1756. art. 50. §. 6. pag. 1104.
(4) Ibid. ann 1702. Avril pag. 117.
(5) Bruc. Hist. Philos. de Leibn. §. 2.
(6) Trev. ann. 1737. art. 1., & ann. 1761. art. 49.

opus est probare, quandoquidem hunc solum Adversarii negant, profitentes, si constaret de hac lege, bonas moraliter fore sine controversia actiones illi conformes, & malas contra, quae ab illa discreparent quantumvis intrinsece indifferentes: cum obedire legibus Regum etiam & Magistratuum hujus terrae bonum dicant, illisque obsistere malum.

231. Ea igitur sic probatur. Habemus evidentia argumenta de existentia legis Dei positivae circa omnes actiones distinguentes Catholicos a non Catholicis: ergo datur hujusmodi lex. Antecedens videri potest passim demonstratum a Theologis Polemicis, ubi agunt de signis credibilitatis Catholicae Religionis. Thomas Bozius in suo opere, *De signis Ecclesiae Dei* centum exponit de hujusmodi signis: Bellarminus (1) quindecim: Csapodius (2) sex: Sex pariter Alphonsus Liguorius (3). Multi satis habent quatuor in Symbolo Constantinopolitano expressa, *Unam Sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam*, quae diligenter exponit citatus Csapodius (4), & ab Adversariorum objectionibus luculenter vindicat. Alii in duobus symboli Apostolici conquiescunt *Sanctam Ecclesiam Catholicam*.

232. Opportuna est etiam eorum partitio in haec quatuor capita. I. Proprietates Catholicae Fidei, scilicet ipsius Sanctitas Unitas Universalitas Visibilitas Indefectibilitas, & Veritas negative sumpta, hoc est nihil in ea esse rectae rationi oppositum. II Qualitas eorum, qui Fidem fundarunt, & modus quo id perfecerunt, scilicet Jesus Christus Dei filius homo factus, ipsiusque Apostoli, qui sine vi & aliis extrinsecis humanis subsidiis illam constituerunt. III. Testimonia, quae pro hac fide habentur, scilicet Prophetiae in sacris Scripturis extantes, earumque jam ex parte impletio: maxima Martyrum multitudo, qui effuso sanguine eamdem attestati sunt, ut luculenter Ruinartus, & Jo: Laurentius Mosheim ostendunt locis a Csapodio (5) citatis contra Doduvellum, qui in Dissertationibus Cyprianicis negavit tantam martyrum multitudinem: innumerabilis Sanctorum numerus, qui in hac Fide admirabili vitae sanctitate floruerunt. affluentissima series miraculorum, quae pro eadem contigerunt: observatio tandem internae turbationis, certe diuturnae, & fortasse etiam perpetuae eorum, qui a Fide Catholica desciscant, ut de Luthero ex suamet confessione compertum est, & contra tranquillitatis & gaudii eorum, qui ad hanc fidem accesserint. IV. Vilitas & Incredibilitas

(1) Bell de Eccles. lib. 4. cap. 5.
(2) Csap. Revel lib. 1. prop. 7. 8. 9.
(3) Lig. Verità della Fede.
(4) Csap. Relig. revel. lib. 1. pros. 17.
(5) Csap. Relig. revel. lib. 1. n. 132.

bilitas omnium aliarum sectarum, quæ Catholicæ Ecclesiæ opponuntur. Ultimum hoc signum diligenter exposuit Csapodius (1) in Ethnica, & Mahumetana Religione.

233. Contra illos, qui Adiaphoriam Religionis limitant ad Christianam I. arguitur. Per ipsos vana est spes salutis extra Religionem Christianam: ergo vana etiam est extra Catholicam. Probatur consequentia. Ideo primum, quia scriptum est (2), *Prædicate evangelium omni creaturæ: qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur*. Atqui scriptum est etiam (3), *Docete omnes gentes servare omnia quæcumque mandavi vobis*: ergo si primum, etiam secundum.

234. II. Sacræ Scripturæ, in quibus fundatur Religio Christiana, reprehendunt & damnant omnes, qui a quovis ex ipsius articulis quovis modo dissentiant: ergo hujusmodi licet limitata indifferentia illicita est. Ans probatur. De iis, qui legalium observantiam cum fide Christi conjungi volebant, scriptum est, esse (4) *operarios subdolos, transfigurantes se in Apostolos Christi, ut Sathanas transfigurat se in Angelum lucis*. In secunda ad Thessalonicenses legitur (5), *Denuntiamus vobis fratres in nomine Dni Jesu Christi, ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate, & non secundum traditionem, quam acceperunt a nobis*. In epistola ad Galatas habemus, (6) *Siquis vobis evangelizaverit præter id, quod accepistis, anathema sit*. In illa ad Titum extat hoc præceptum (7), *Hæreticum hominem post unam & secundam correptionem devita, sciens quia subversus est, qui ejusmodi est & delinquit*.

235. III. Patres sæculorum omnium numquam admiserunt hujusmodi indifferentiam; statim enim conclamarunt contra nova dogmata, sive essent circa articulos, quos dicunt fundamentales, qualia fuerunt Cerinthi, Arrii, Nestorii de mysteriis, sive circa alia quæ in hunc censum non veniunt, qualia Novatianorum & Donatistarum de Sacramentis. Id testantur tum hæreseon Indices, quorum primum sæculo II. protulit Irenæus, & successive Tertullianus (8), Epiphanius, Philastrius Brixiensis, Augustinus, Theodoretus, Damascenus, aliique deinceps: tum operosa volumina contra singulas scripta ab ipso Ecclesiæ initio usque ad hanc diem, quorum auctores dabit Bellarminus in Indice eorum, qui scripserunt adversus hæreticos Chronologice disposito ad finem sui libri *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, & innumeræ Synodi propterea cele-

 bratæ

(1) Csap. Relig. revel. lib.1. prop 16.
(2) Matth. 16. v. 15.
(3) Ibid. 28. v. 19.
(4) 2. ad Corinth. cap. 11. v. 13.
(5) Ad Thes. 2. cap. 3. v.6.
(6) Ad Galat. cap.1. v. 9.
(7) Ad Tit cap 3. v.10.
(8) Tertull. de præscript.

bratæ usque ad postrema hæc tempora. Abundanter hoc argumentum exornatum est a Thomassino in suo Tractatu Dogmatico, de mediis semper adhibitis ad conservationem Ecclesiæ unitatis, cujus compendium tradunt Trevoltiani (1). Illum ipse protulit contra colluviem libellorum, qui ab eo jam tempore prodierunt pro hac tolerantia, sua quidem multitudine pertimescendi, non argumentis. Horum enim futilitas videri potest etiam in Actis Lipsiæ (2), ubi de uno ex his Amstelodami ann. 1684. edito, quem ipsa laudant, loquuntur.

236. IV. Cum Auctore I. K. Libelli *Regula credendorum* ex Anglico Leodii latine edita ann. 1684. Motiva, quibus mitiores Adversarii sibi suadent adiaphoriam universalem esse stultitiam, non erunt, opinor, natos se esse sub Principe Christiano, vel ex parentibus Christianis, vel inter Christianos; Nam his similia proferri possent ab Ethnicis Judæis & Turcis, sed erunt argumenta credibilitatis jam proposita: Atqui eadem evincunt etiam particularem adiaphoriam circa quamcumque Religionem Christianam esse irrationalem; quæ enim persuadent falsam esse omnem Religionem Antichristianam, eadem persuadent solam Catholicam inter Christianas esse veram. Quod non recusabunt concedere, si advertant ea, quæ objiciunt contra motiva credibilitatis, ut applicata Religioni Catholicæ, objecta jam olim fuisse ab hostibus Christianæ generatim sumptæ. Si enim dicunt miracula Catholicorum esse fabulas, idem Pagani dixerunt de iis, quæ nemo Christianorum non credit, utpote in Sacra Scriptura expositis. Si dicant credi in Ecclesia Catholica plura mysteria incredibilia & impossibilia, ut Eucharistiam & Pœnitentiæ Sacramentum: idem dictum est ab Ethnicis contra mysteria Trinitatis, Incarnationis, & Resurrectionis omni Christiano communia. Si dicant laudari a Catholicis, & aliquando etiam præscribi jejunia, coelibatum, aliaque, a quibus natura humana abhorret: nonne idem Antichristiani dixerunt contra præcepta de dilectione inimicorum, de indissolubilitate matrimonii, de prohibitione polygamiæ, quæ omnes vel fere omnes Christiani admittunt? ergo si bonitatem moralem agnoscunt in actionibus humanis, sine quibus nulla est Religio Christiana, eamdem agnoscere debent in omnibus, sine quibus nemo est in Religione Catholica, quin immo habendus est tamquam Ethnicus juxta illud Christi Dn. (3) *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus*. Quod dum negant, evidens reddunt, quod scri-

(1) Trevolt. ann. 1703. artic. 30. 56. & 82.

(2) Act. ann. 1684. Novem. p. 547.

(3) Matth. 18. v. 17.

ſcriptum eſt (1), *Deus hujus ſæculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat illuminatio Evangelii gloriæ Chriſti*.

237. V Cum Cſapodio (2) ſola revelatione decerni poteſt eſſe inter articulos religionis Chriſtianæ alios, quorum fides neceſſaria ſit ad ſalutem, & alios, adiaphoros propter defectum talis neceſſitatis; Nam Religio Chriſtiana a Dei voluntate proficiſcitur: ſed nulla eſt hujuſmodi revelatio: ergo nulli ſunt in Religione Chriſtiana articuli adiaphori, ſive qui poſſint pro libito credi vel non credi.

238. VI. Tolerantiſmus in materia Fidei, ſicuti eſt argumentum vanitatis ejus religionis, quæ hunc admittit; incertus enim neceſſe eſt ſit de ſua fide, qui aliam non reſpuit: ita oppoſita intolerantia eſt unus ex characteribus veritatis Religionis Catholicæ, quæ hanc omnino vult & tuetur, non jam amore diſſenſionis, ſed perſuaſione intellectus de veritate eorum, quæ credit, & conſequenter de errore in omnibus, quæ cum iis non conſentiant. Cum hac tamen intolerantia ut ajunt religioſa optime componitur tolerantia, quam dicunt civilem, quæ reſpicit hominum inter ſe officia ad ſolam vitam civilem pertinentia, non dogmata Fidei.

239. Tolerantiſmum religioſum numquam in Eccleſia Catholica admiſſum fuiſſe, nec admitti poſſe fatentur illi ex adverſariis, qui ipſius patrocinium dicunt ſe ſuſcipere non jam ut Chriſtiani, ſed ut Philoſophi, quos tales non eſſe argumenta contra hujuſmodi indifferentiam evincunt. Qui autem Politici Tolerantiſmum vellent nullo modo limitatum, ii rem prorſus intolerabilem velle demonſtrant, qui de hac re ex profeſſo agunt, ut Petrus Coretus in ſuo *Antipolitico*, Martinus Becanus (3), Antoninus Valſecchi (4), Paras (5), & quem Trevoltiani (6) laudant Pelliſonium; nec contemni prorſus poteſt Benedictus Pictetus auctor multorum librorum, de quibus Niceron (7) meminit, qui tractatum contra Indifferentiam Religionis anno primum 1692. edidit ſine ſuo nomine, quod in alia deinde editione apponitur: in quo habetur etiam brevis, & ſufficiens plerumque ſolutio eorum, quæ Indifferentiſtæ præcipue objiciunt (8), ut Sacræ Scripturæ auctoritatem elevent. Tractatum hunc Antonius Horneck Anglice redditum ann. 1698. oppoſuit incredulis ſupra citatis, qui ibidem eruperunt.

(1) 1. Corinth. 4. 4.
(2) Cſap. Relig. revel. lib. 1. num. 159.
(3) Bec. Contr. lib. 5. cap. 16. & ſeq.
(4) Valſ. Fondam. d. Relig. lib. 3. par. 1. cap. 16. num. 3.
(5) Par. Elem. de Metaph. num. 362.
(6) Trev. ann. 1721. art. 61. pag. 1364.
(7) Nicer. Memoi. des homm. illius. tom. 1. pag. 84.
(8) Pic. contr. l'indiffer. cha. 15.

Articulus IV.

Præcipuæ rigidiorum adversariorum objectiones.

240. I. Objicitur. Colere Deum certis ceremoniis externis non vacat ea superstitionis specie, quæ cultus dicitur falsus ex parte modi. Nam religio vera est mere spiritualis, respondens Deo & animæ, quorum utrumque est spiritus: ergo quævis Religio, quæ hujusmodi certas ceremonias admittat, rejicienda est. Atqui præter religionem naturalem nulla est, quæ certas ceremonias non admittat: ergo omnis religio præter naturalem rejicienda est. Hanc objectionem fecerunt Auctor libri *Les Moeurs*, hoc est ex dictis (§. 222.) Panage, & Auctor libri *Pensées Philosophiques*, Rousseau, Marmontel, & Encyclopædia locis a Csapodio (1) citatis.

Resp. nego ans. Cultus alligatus ceremoniis externis, quas Deus ipse revelavit, propter hoc ipsum sanctissimus est, necessarius, & diligenter custodiendus. Spiritus quidem est anima hominis; sed conjunctus corpori dum homo vivit: Deus proinde ipsius Creator jure exigit cultum, qui respondeat composito humano, externum scilicet & internum.

241. II. Objicitur. Religiones, quæ pro se contendunt habere revelationes & miracula, per totam hanc terram dispersæ, sunt multæ, oppositæ inter se in multis articulis ac præceptis: ergo si non sufficeret ad salutem religio naturalis, opus esset singulas cognoscere & examinare, hoc est plagas omnes hujus terræ circuire, omnium gentium linguas ediscere, & omnium scripta de unaquaque religione intelligere, ut eam, quæ vere revelata sit, sequeremur: Sed hoc est impossibile: ergo sufficit ad salutem religio naturalis.

Resp conc ans, & nego conseqm, & cadunt reliqua. Consequentia falsa est, quia ut quid pro certo habeatur, satis est quævis demonstratio ex illis, quæ non præsupponunt neque itinera, neque cognitionem exterarum linguarum. Ex his demonstrationibus sunt quævis notæ catholicæ religionis, quæ unice vera est, quas Divina Providentia voluit esse perspicuas omnibus, qui sponte sua nolunt oculos aut aures claudere, ne eas videant, aut audiant (2). *Dubitabimus*, dicebat jam S. Augustinus, *nos Ecclesiæ condere gremio, quæ ab Apostolica Sede per successionem Episcoporum, frustra hære-*

(1) Csap. Relig. revel. num. 134. §. Dices. 3.

(2) S. Aug. de Utilit. creden. cap 17.

hæreticis circumlatrantibus, & partim plebis ipsius judicio, partim etiam miraculorum majestate damnatis, culmen authoritatis obtinuit? En obvia ubique demonstratio Catholicæ ac vere revelatæ religionis pro omnibus, & pro iis præsertim, qui otio aut intellectu non abundant ad aliarum inquisitionem vel examen. Qui autem id possint aut velint facere, insignem demonstrationem invenient eam esse, quæ miraculis innititur, de quorum veritate nemo sanus dubitare potest, quia quamvis non sit illorum testis de visu, attamen novit hujusmodi testem fuisse innumerabilem multitudinem, & novit ab eo ipso tempore, quo hæc acciderunt, Christo eodem auctore, qui ea patravit, habuisse initium festos quosdam dies ut Dominicæ & Paschatis, & quasdam ceremonias & ritus, ut Baptismi, Eucharistiæ, aliorumque Sacramentorum; quorum usus apud nos adhuc sancte religioseque servatur. Insignem dico hanc demonstrationem pro Catholica Religione, quia illi soli convenit, ut luculenter exponit Carolus Lesleus in libello *Methodus brevis contra Deistas*, quem Anglice elapso sæculo protulit, & Gallice Parisiis edidit Houbigantius ann. 1770., & ex Gallico Italicum fecit Thomas Soldatus Romæ 1774.

242. Alia etiam insignis demonstratio pro Religione divinitus revelata ad captum cujusque exposita, est insufficientia religionis naturalis ad morum directionem, quam palam facit eorum generalis corruptio apud omnes, qui revelatæ non adhæserunt. Testis est vulgus, & testes ipsi Philosophi, ut Tullius, vix ullum (1) *Philosophorum inveniri, qui sit ita moratus, ita animo ac vita constitutus, ut ratio postulat, qui disciplinam suam, non ostentationem scientiæ, sed legem vitæ putet.*

243. III. Objicitur. Si necessarium esset ad salutem credere mysteria, quæ dicuntur revelata divinitus, dicendum esset damnari omnes, qui moriuntur in infidelitate quantumvis necessaria ex defectu prædicantis evangelium, etiamsi vitam secundum legem naturalem honeste vixerint. Atqui hoc non potest dici; Nam non componitur cum Bonitate & Justitia Divina: ergo.

Resp. Nego suppositum maj, morituros scilicet adultos in infidelitate necessaria, qui vitam duxerint secundum legem naturalem. Doctrina enim est Sancti Thomæ a Theologis communiter admissa, quod (2) *Dominus eis secundum suam misericordiam providisset, mittendo eis prædicatorem fidei sicut Petrum Cornelio* (3), *& Paulum Macedonibus* (4). Idemque S. Doctor alibi hæc habet

(1) Tull. Tusc. lib. 2. num. 11. col. 194.
(2) S. Th. lec. 3. in cap. 10. ad Rom.
(3) Act. 10.
(4) Ibid. 16.

habet (1), *Postquam mysterium Christi completum est & prædicatum, omnes tenentur ad explicite credendum: & si aliquis instructorem non haberet, Deus eis revelaret, nisi ex sua culpa remaneret*. Culpa enim hac accedente pro ea jam merito damnantur, non pro peccato infidelitatis, quod formaliter in illis non est, si infidelitas necessaria ipsis sit, propterea quod Deus impossibilia non præcipit. Qua de causa salvantur pueri, qui ante usum rationis moriuntur suscepto jam baptismo, etsi scriptum sit (2), *Qui non crediderit, condemnabitur*, & ut idem S. Thomas ait (3), *secundum sententiam Domini, quæ habetur Joann. 15. illi, qui loquentem Dominum per se vel per ejus discipulos non audierunt, excusationem habent*.

244. IV. Objicitur. Non habemus rationes, quibus mens acquiescat circa Religionem Catholicam, quod a Deo sit revelata: ergo circa nullam. Antecedens negandum I. probant excludendo rationem, quæ deducitur ex propagatione hujus Religionis per totam terram, quia, sic jam a tempore S. Augustini objiciebatur, (4) *adhuc multi sunt gentium barbararum, qui in Christum nondum crediderunt, vel sub nomine Christi hæreses multæ sunt*. Et (5) *modica pars est in comparatione totius Mundi, in qua sit Fides Christiana*, ita ut dicat nuper, qui notas addidit Geographiæ Buschingii ex prima editione Veneta (6), *Diviso genere humano in partes 30., ad Religionem Christianam pertinent 5. ad Mahumetanam 6. & ad Ethnicismum 19.*

245. Resp. Quod non credant omnes gentes, apud quas prædicatum est Evangelium, imprimis jam probat etiam inter illas propagatam esse Catholicam Religionem juxta illud (7), *In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*, in quo nulla alia Religio est similis; (8) Ubi enim, inquit Augustinus est Religio non Catholica, illic Catholica: non autem ubicumque Catholica est ibi etiam est quælibet ex aliis non Catholicis. Præterea de quavis Religione non Catholica, aut non Christiana, dici non potest, quemadmodum de Catholica, quod teneant dogmata humano intellectui impervia, & morum regulas cupiditatibus opposítas, nec quod auctores immediatos agnoscant homines nec genere nec doctrina nec dignitate nec opibus conspicuos,

(1) S. Thom. in 3. sent. dist. 25. qu. 1. art. 2. qu. 2.
(2) Mar. 16 v. 16.
(3) S. Thom. lec. 3. in cap. 10. ad Rom.
(4) S. August. contra Cresc. lib. 3. cap. 63.
(5) Id. Epist. ad Vincentium olim 48.
(6) Busch Geogr. tom. 1. dell'Europa § 65.
(7) Act. cap 1.
(8) S. August. contra Cresc. lib. 4. cap. 61.

picnos, nec quod ibi sint obsistentibus Principibus, nec quod numerent pro sui tuitione permultos martyres in utroque sexu ex omni ordine nobili & ignobili, rudi & literato, & ex omni ætate a puerili usque ad senilem. Deinde objicientes subjiciunt oculis evenisse, quod Christus prædixerat fore, ut in hac terra, quam agro comparavit, crescerent errores una cum Evangelio, sive ut ipse ait Zizania una cum frumento, de quibus dixit *finite utraque crescere usque ad messem*.

246. Quod objicitur in citata ad Buschingium nota de duabus ferme partibus generis humani Ethnicismo addictis, si sub eo nomine veniat Idololatria, historia ostendit falsum dici: Sin autem veniat Religio nec Christiana, nec Mahumetana equidem omittam: Bayles vero negabit, qui objectionem urget (1) affirmando Religionem Mahumeti tam late dominari, ut videatur posse sibi usurpare prophetias de Universalitate, quas Religio Christiana sibi attribuit, quod refellitur cum Trevoltianis (2), quia universalitas, de qua loquuntur Prophetæ, tamquam de charactere novæ legis, est universalitas relativa ad obligationem, quam de ejus observantia inducit in omnes omnino gentes, quibus innotuit, si salutem æternam consequi velint, per quod differt a Lege Mosaica, quæ ad hanc salutem exposcebatur a solis Judæis, non vero ab aliis populis, quibus liberum erat illam amplecti. Refellitur etiam, quia laborat falso supposito de majori propagatione Legis Mahumetanæ, quam Christianæ, ut jam planum faciam veniens ad examen numeri Mahumetanorum, qui objicitur major esse quam Christianorum.

247. Id quidem confidenter alii etiam affirmant, ut Montesquius (3), D' Argens in Literis Judaicis & Caballisticis, & qui Epistolas scripsit Sinenses. Sed falsum evincitur; Nam Catholici quidem sunt per universum terrarum orbem, at Mahumetani non reperiuntur in America amplissima hujus orbis parte, neque in Europa, nisi in quadam ipsius particula, quæ Turcarum imperio subjacet. Magna pariter Asiæ & Africæ pars ab iis est immunis, & in ipsis regionibus, quæ Ottomanicum imperium componunt, innumeri sunt Christiani, & alterius Religionis aperti sequaces, & inter ipsos Mahumetanismo a nativitate addictos, multos invenias, qui ab eo intrinsecus abhorrent, utpote ab ipso rationis lumine edocti de absurditate turpitudine & superstitione Alcorani.

248. De-

(1) Bay. Diction. art. Muhamed.
(2) Trev. ann. 1758. art. 2. pag. 50.
(3) Mont. Lettr. Persian.

248. Deinde quicumque sit numerus Mahumetanorum, hic alius non est, quam multitudo gentium incultarum, quas in novam religionem sæculo tantummodo post Christum septimo excitatam induxerant arma primum & cædes, deinde licentia vivendi, quam fovent promovent & protegunt dogmata & leges ipsis indictæ a famoso ejus auctore Mahomete. Hinc quoniam nil facilius, quam indulgere sensibus & cupiditatibus, quisnam jure tantum numerum possit admirari? At mirum enim vero est in Catholicam Religionem; quæ exigit fidem de mysteriis, quæ cupiditatibus froenum iniicit, quæ inimicorum amorem præcipit, quæ terrena omnia & præsentia nolit anteponi cælestibus & futuris, potiores generis humani nationes ea ætate, qua literæ florebant, convenisse ad prædicationem piscatorum & idiotarum, & in conspectu persequutionum & cruciatuum, & mortis etiam, quæ omnia iidem Principes intentabant & inferebant.

249. II. Probant excludendo aliam rationem deductam a Prophetiis, quæ in Veteri Testamento habentur de rebus, quæ longe post evenerunt, sicuti prædictæ fuerunt. I. Quia controverti potest existentia ipsorum auctorum, quibus hi libri tribuuntur, quoniam hoc notum nobis esse nequit, nisi ex testimonio hominum, qui nos inter & illos nimis multi inveniuntur. At si imbecillis vel furiosus haberetur, qui dubitaret aut negaret extitisse Homerum Tullium Demosthenem, aliosque primi nominis Authores, multo magis, qui Moysem Davidem Salomonem, & alios veteres Prophetas, & septem novi Testamenti scriptores, quinque scilicet Apostolos, Petrum, Paulum, Matthæum, Joannem, Jacobum, & duos Discipulos Lucam & Marcum. Et ratio est, quia traditio de rebus magni momenti acquirit majus semper pondus, quo diuturnior est, cum habeat suffragium etiam eorum, qui omnibus pensatis eadem negari non posse concluserunt.

250. 2. Quia data horum auctorum existentia controverti potest, an scripserint divinitus inspirati. At quod pertinet ad divinam inspirationem in libris veteris Testamenti hanc constanter agnovit tota Judæorum natio, Hebræi cum Samaritanis in hoc consentientes. Christus deinde & ejus Apostoli eamdem de illis existimationem atque venerationem confirmarunt: qui eorum doctrinam passim citant adhibent interpretantur, & ab eo tempore, quod est Christianæ religionis initium tamquam sacrilegi habiti sunt, qui metu persequutionum sacros libros Ethnicis prodiderunt, & semper inter hæreticos connumerati fuerunt, qui eorumdem vel particulam rejecerint aut corruperint. Quod vero pertinet ad inspiratio-

rationem librorum novi testamenti eam evincit tum nota authorum conditio in nullis exculta Academiis : tum indoles doctrinæ, quam tradunt, longe superans in conformitate cum recta ratione & bono hominis eam, quam omnes veteres philosophi post diligens plurium sæculorum studium tradiderunt : tum eorumdem constans sollicitudo in ea usque ad mortem late disseminanda : tum traditio non interrupta hujus inspirationis, quæ colligitur non solum ex Patribus, qui ab ipso Ecclesiæ exordio vim faciunt in testimoniis novi, eodem modo ac in illis veteris Testamenti, sed etiam ex hæreticis, qui statim abundanter cæperunt, quos novimus aliquos saltem hujusmodi libros tamquam divinos recepisse. Contra utramque hujus objectionis partem videsis dissertationem nonam anonymi, de qua magna cum laude meminerunt Trevoltiani ad ann. 1756 (1).

251. 3. Quia data horum librorum divina inspiratione controverti potest an genuini & incorrupti ad nos pervenerint. At plane evincitur Vetus Testamentum incorruptum perseverasse usque ad ædificationem novæ Christi Ecclesiæ, nec ullus unquam deinde ex adhuc extantibus & late dispersis Judæis suæ legis studiosissimis, & Christiano nomini infensissimis objecit factam esse a Christianis mutationem ullam, aut inserta vaticinia de Christo, quæ olim non essent. Genuinos tandem conservari omnes utriusque testamenti libros usque adhuc persuadet tum studiosa & continua vigilantia in hoc semper adhibita ab Ecclesia : tum uniformitas tot exemplarium, quæ diversam ætatem præseferunt in tam multis & diversis & dissitis locis extantium, per quam distinguuntur ab iis, quæ Hæretici & impii vel corruperunt vel confinxerunt. Quamobrem Augustinus obiicientibus (2) *multa immissa esse Scripturis Divinis a nescio quibus corruptoribus veritatis*, *respondit*, *nihil mihi videtur ab eis impudentius dici*, *vel ut mitius loquar incuriosius*, *& imbecillius*.

252. III. Probant excludendo rationem deductam ex sanctitate doctrinæ saltem prout a Catholicis intelligitur, & in usum deducitur. Ac 1. inquiunt, iniquum est exigere fidem de iis, quæ non intelliguntur, & rationi etiam incredibilia apparent, quod faciunt Catholici. At iniquitas est non credere testimoniis divinis, postquam credibilia facta sunt nimis : & nemo qui ratione utatur non videat, necessarium esse, ut Deus infinitus in omni perfectione infinities superet rationem quamcumque creatam distributive & etiam copulative sumptam : & non intelli-

 gat

(1) Trev. art. 116. pag. 1696.

(2) S. August. de Utilitat. credendi cap. 3.

gat jure imponi nobis præceptum credendi, ut ad ejus sublimitatem adorandam cum nostro merito compellamur. Hinc dum Jo: Jac. Rousseau ex una parte iterum iterumque profitetur se Christianum esse, & sacras literas ut divinas admittere, & ex alia dicit se Scepticorum more suspendere omne judicium circa ea, quæ in Scriptura sunt supra suum captum, concludas ipsum non esse philosophum in antiquo hujus nominis sensu, qui est hominis, qui totas mentis suæ vires in inquisitione veritatis exercet, sed solum in novo sensu ab incredulis derivato hominis temere loquentis, & omnis religionis contemptoris. Ex Augustino enim (1) *qui Christo etiam credendum negant, nisi indubitata ratio reddita fuerit, Christiani non sunt*.

253. 2. Dicunt, Barbarum & impium est velle quemadmodum volunt Catholici, quis credat suos proavos majoresque, qui tales non fuerunt, omnes ad unum propter hoc ipsum æternis cruciatibus addictos. At falsum est Christiano aut Catholico id credendum; Nam si agitur de majoribus, qui Ethnici fuerint, Catholici docent, ut videre est apud Csapodium (2) illos potuisse salutem consequi per religionem primorum patriarcharum non scriptam, etsi revelatam, quæ per legem Moysis non fuit abrogata, & liberum cuique erat eam retinere; cum necessitas amplectendi Judaismum solis Jacobi posteris fuerit imposita. Sin autem sermo sit de majoribus, qui hæretici fuerint, imprimis nota est distinctio inter hæreticos materiales & formales. In materialibus locum habere potest ignorantia invincibilis, quæ excusat a culpa: in aliis quævis culpa intercedens non facit, ut quis pro certo habeat eos usque ad mortem restitisse Divinæ Gratiæ. Quare nemo est, qui teneatur credere ruinam majorum suorum, qui Catholici non fuerint, sed temere si id credat se gerit.

254. 3 Dicunt. Absurdum & incredibile est, Titos, Trajanos, Antoninos, aliosque non Christianos Principes illustria exemplaria mansuetudinis, clementiæ, amoris publici boni, aliarumque moralium virtutum non esse salutem æternam consequutos. Sic Marmontelus (3), & Voltaire (4). At equidem quid de hujusmodi hominibus sit post illorum mortem juxta nuper dicta nihil statuam. Hoc solum cum Csapodio (5) dicam incredibile nullatenus esse, si a salute exciderint. Nam relatæ dotes conjunctæ fuerunt cum multis contra legem naturalem peccatis. De illis

(1) S. August. de Utilitat. credendi cap 14.
(2) Csap. Relig. revel. lib.1. n.10.
(3) Marm. Belisarius.
(4) Volt. sur la Relig. Poeme.
(5) Csap. Relig. revel. lib.1. num 181: dicef.7.

lis Titi testes sunt Suetonius (1) scriptor coævus, & Dio Cassius (2): de illis Trajani idem Cassius eodem loco legendus, & Victor (3), & Lampridius (4): de illis tamdem Antonini testes sunt Capitolinus (5), & Victor (6). Commune omnibus vitium fuit Idolorum cultus in tanta Christianæ Religionis luce, quæ eorum jam temporibus late fulgebat.

255. 4. Dicunt. Durum & illiberale est alias Religiones improbare, nec tolerare, ut quis alterius religionis officia libere exerceat, in quo pariter ostinati sunt Catholici. At ille non improbabit alterius religionem, qui de sua persuasus non sit, ut supra (§. 238.) dixi ostendens quam tolerentiam recusent Catholici, & a qua non abhorreant quando agitur de tolerantia circa homines in alia religione natos, & adultos. Quod si quis, vellet permitti, ut quis repudiata Catholica religione possit sine ullo poenæ metu aut periculo aliam amplecti, is non intelligit Christianæ Religionis principatum in hoc non differre a civili, in quo licite rebellantes subditi, & in excidium reipublicæ conspirantes extremis etiam intentatis suppliciis in officio continentur, vel ad officium revocantur: quæ est etiam doctrina sæpe tradita a S. Augustino (7), & vindicata a Lamindo Pritanio, hoc est Ludovico Muratorio in libro de Ingeniorum moderatione (8) contra Jo: Clerici objurgationem.

256. 5. Dicunt. Crudele & inhumanum est religionis ergo simultates fovere, supplicia decernere, & bella exercere, quæ omnium sævissima novimus fuisse inter Christianos divisos in Catholicos & non Catholicos. At Religio Christiana habet pro præcipuo præcepto charitatem universalem quidem sed ordinatam. Ex quo fit, ut quisque debeat male sentientes de rebus fidei, sive ad dogmata sive ad mores spectantibus, qui sibi sint scandalo vitare, & Magistratus tenentur eos reprimere tamquam Reipublicæ perturbatores, & si aperta vi velint suos errores tueri & disseminare, debent tamquam perduelles habere, & pro merito punire juxta ipsas leges Imperatorias, quæ plurimæ sunt, & fundatæ in Lege Divina, in qua scriptum est jussu Mosis (9) occisa multa Hebræorum millia, qui rejecta fide unius Dei vitulum aureum adoraverunt, & jussu Eliæ comprehensos (10), & interfectos

R 2 pro-

(1) Suet. Vita Titi cap. 6.
(2) Cass. lib. 68. cap. 7.
(3) Vict. epit. 13.
(4) Lamprid. in Alexandr. Severo cap. 39.
(5) Cap. cap 28.
(6) Vic. Cæsar. XV.
(7) S. August. epist. ad Vincentium olim 40., & ad Bonifacium ep. olim 50., & lib. 1. contra epist. Parmeniani.
(8) Prit. lib. 2. cap. 7.
(9) Exod. 32. 2. 7.
(10) 3. Reg. 18.

prophetas Baal, quadringentos & quinquaginta viros, & reliquos deinde ejusdem cultores jussu Jehu (1) similiter in ore gladii percussos.

Adversarii qui in suffragium factae objectionis urgent illud Evangelii, *Non veni pacem mittere sed gladium*, retunduntur ab Episcopo Le Franc (2), qui eos monet ut totum contextum habeant prae oculis, ex quo discent ibi predici persequutiones omnibus, qui pie vivant.

257. 6. Dicunt. Superstitiosum est & generi humano perniciosum consulere & summis laudibus castitatem perpetuam & virginitatem extollere, quod fit a Catholicis. At sic opinari est nolle hominis bonum esse vacare rebus divinis sive contemplandis sive promovendis. Quod idem est ac se vel Materialistam declarare, vel omni expertem Philosophia, quae docet bona animi potiora esse bonis corporis, & penitus ignorantem demonstrationes. quibus haec objectio oppressa jam fuit a SS. Hieronymo (3), & Augustino (4) contra Vigilantium, & Jovinianum primos illius authores, & ab omnibus Theologis cum S. Thoma (5) contra Io: Wiclephum, qui eam renovavit, & a permultis doctissimis Scriptoribus, nominatis a Franc. Ant. Zaccaria (6) contra Lutherum & ejus asseclas, qui pro eadem altius declamarunt; & nuper ann. 1774. ab ipsomet citato auctore contra malos nostrae aetatis philosophos & politicos, qui eamdem cantilenam quotidie canunt.

258. 7. Dicunt. Execrandum est promittere expiationem a peccatis; Hoc enim excitat ad nova pro libito perpetranda. At expiatio non promittitur nisi posita detestatione peccati tamquam offensae Dei, & proposito non peccandi de caetero, adeoque posito impedimento omnium validissimo novi cujusque peccati. Hujusmodi igitur criminatio facta a Bulangero, & aliis incredulis apud Episcopum Le Franc (7) cadit solum in Ethnicismi lustrationes, & Mahumetanismi lotiones, quae nihil curant de interna munditia.

ARTI-

(1) 4. Reg. 18.
(2) Franc Relig. vendic. part. tertia pag. 327.
(3) S. Hier. advers. Jovinianum.
(4) S. August. lib. de Virginit.
(5) S. Thom. lib. 3. contr. Gent. c. 136. Id. 2. 2. q. 152.
(6) Zacc. Storia del Celibato in praefat.
(7) Franc Relig. vendic. par. 3. p. 322.

Articulus V.

Aliæ eorumdem objectiones.

259. I. Objicitur. Deus oblectatur in diversis Religionibus, sicuti nos oblectamur in diversarum creaturarum usu, in Animalibus Plantis Fossilibus diversis, in variis ciborum condimentis, in disparibus officiis & gradibus hominum in Republica, in multi generis armaturis in exercitu, & similibus. Nam aliter Deus Omnipotens omnium Creator dedisset hominibus sicut unam naturam, ita eamdem determinationem ad unum sui cultus exercitium: ergo nulla est Lex Divina, per quam reddatur bonus moraliter, determinatus aliquis cultus ipsi conformis, & malus contra, qui illi sit difformis. Hæc objectio tribuitur a Picteto (1) Regi cuidam Siamensi, & Themistio. Illa certe est Libertinorum ex dictis supra (§.218.) cui suffragati sunt Panage alias citatus, qui Deum dixit (2) indifferenter se habere relate ad quemvis cultum exteriorem & Bayles, qui eam teste Valsecchio (3) sæpius proposuit & amplificavit nulla adhibita solutione.

Resp. nego antec. I. Quia repugnat ipsi rationi, quæ intelligit Deum esse sibi sufficientissimum, & ex se solo beatissimum. Quare de ipsisinet actionibus veræ Religionis dicebat jam olim S. Augustinus, (4) *Falluntur, qui existimant hæc Deum jubere causa suæ utilitatis vel voluptatis. Nihil jubet quod sibi prosit, sed illi cui jubet. Rerum divinitus imperitarum, vel imbuendo virtutibus animo, vel salutis æternæ adipiscendæ quædam signa sunt, quorum functione non Deo, sed nobis utilia pietatis officia exercentur*: & de omni justitia, quam homo exercet, scriptum est (5) *Quid prodest Deo, si justus fueris?* Nego II. Quia evidens rationi est, Deum esse sapientissimum atque sanctissimum: repugnat igitur ipsum approbare aut Idololatriam, quæ absurda credit, & vitia consecrat: aut Mahumetanismum, qui dogmata in fide & moribus sequitur, quæ rationem humanam ad gradum brutorum deprimunt: aut Theismum ac Deismum, qui Deum nihil curantem suas creaturas statuit, nec alia crimina ipsis vetantem nisi civilia & politica: aut Calvinismum, qui Deum blasphemat damnare homines pro

(1) Pict. cont. l'Indiff. chap. 3. p. 33. & cha 27.
(2) Pau. Les Moeurs.
(3) Valf. Foud. d. Relig. lib. 3. par. 1. cap. 5. n. 12.
(4) S. August. epist. ad Marcell. 138: alias 5 cap. 1. num. 6.
(5) Job, 22. v. 3.

pro peccatis, quorum ipse author est, & apologiam suggerit quibusvis scelerosis in Decretis Dei ipsos ad male agendum inevitabiliter inducentibus: aut aliam quamcunque Religionem, quæ errorem & morum corruptelam præseferat.

260. Nego III. Quia cum ex dictis evidenter credibilis sit revelatio Catholicæ Religionis, & cultus Divini, jam sine controversia est Divina aversio ab omni alia, Nego IV. Quia cum Religio significet doctrinam, quæ nos docet quomodo Deum honorare debeamus, & quibus in rebus ei obedire, dicere Deum oblectari in diversis religionibus, idem est ac dicere, Deum oblectari in docendo & præscribendo contradictoria & contraria, quod est impium atque blasphemum. Nego tandem, quia cum scriptum sit, (1) *Unus Dominus una Fides*: & cum Christus oraverit Patrem (2) *Pater sancte serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum sicut & nos*: nec dubium sit, quod (3) *exauditus est pro sua reverentia*, quis jam non videat unam tantummodo religionem præscriptam esse.

261. Probatio pariter continet manifestum errorem. Deus enim cum dederit naturam rationalem hominibus præditam libertate a necessitate, hæc excludit quam Adversarii postulant determinationem ad exercitium sui cultus. Præterea hanc Deus libertatem dedit maxime, ut per ejus usum acquireremus beatitatem sempiternam, tamquam mercedem vel præmium, quæ nova est ratio, ut ingenitæ nulli essent determinatæ inclinationes.

262. Quod siquis instaret, cum determinatione omnium hominum ad eamdem sententiam circa existentiam Dei, stat ipsorum libertas: ergo etiam cum determinatione ad Deum certo modo colendum stare potest hominis libertas.

Resp. conc. antec., & nego conseqm. Ingens & apertum est discrimen inter determinationem, quam habeat intellectus, & illam quam habeat voluntas. Prima utique componitur cum libertate, quæ est proprietas voluntatis, non intellectus: secus vero secunda propter contrariam rationem. Quare si fingatur homo determinatus non solum ad cognoscendum hunc & non alium esse cultum, quem Deus vult, sed etiam determinatus ad exercitium talis cultus, jam actum est de modo ipsi libero colendi Deum.

263 Tota objectio potest etiam in Adversarios retorqueri. Etenim si ideo Deus oblectatur diversis Religionibus, quia non indidit singulis easdem inclinationes in unam eamdemque Religionem, dicen-

(1) Ad Eph. 4. 5.
(2) Jo. 17. 11.
(3) Ad Hebr. 5. 7.

dicendum erit æque delectari piis ac impiis, bonis ac sceleratis, morigeris ac effrœnibus, qui a cum posset, non indidit singulis easdem propensiones in virtutem: ex quo sequitur, quod Adversarii nolunt, nihil esse non solum extrinsece malum moraliter, sed ne intrinsece quidem; Nam quis malum vocet exequi, quod Deo placet? Stet igitur Deum, postquam hominem liberæ naturæ creavit, eique aperte revelavit modum, quo vult ab eo coli, relinquere illum in manu consilii sui usque ad tempus præfinitum ad probationem suæ fidelitatis.

264. Quæ de varietate creaturarum, ciborum, exercitiorum, & similium prolata sunt, tamquam de rebus, quæ nos afficiant voluptate per ipsammet suam varietatem, nihil simile habent cum modo, quo Deus coli debeat. Hic revelatus est, hic per rationis etiam lumen directus, hic post revelationem unicus est, quem Deus vult: illa tum ex revelatione tum ex ratione explicant dumtaxat indifferentiam ad sui usum.

265. II. Objicitur ab Herberto. Actus moraliter boni ad salutem sufficientes, sunt credere existentiam Dei, per bonos mores illum colere, dolere de peccatis, & pro certo habere æterno præmio aut supplicio pro suis operibus post hanc vitam se afficiendum: Sed etiam Ethnicus credit existere Deum, quippe illum mediate saltem colit in suis Idolis, idemque potest bonos mores habere, & si quando peccet dolere, & credere pro vita futura pœnas aut præmia: ergo & Ethnicus facere potest actus sufficientes ad salutem.

Resp. nego maj. Nam cum de Revelatione constet eorum omnium, quæ Deus a nobis jure positivo exigit ad salutem, non licet modo ab illa diverso determinare, quid satis sit ad salutem consequendam. Quare quæ proponuntur, sunt profecto requisita, sed non sufficientia, quandoquidem in illis non fit mentio, ne de iis quidem, quæ Theologi determinant necessaria esse ad salutem necessitate medii. Atque hac ratione, quæ potest luculenter exponi per Scripturas & Patres confutantur a Josepho Acosta quidam, qui suis temporibus, quin tamen quemquam nominet, post detectos innumerabiles Americæ populos cœperunt docere (1) *sine Christi notitia posse aliquem salvum fieri*.

266. Sed non solum falsitas, verum stultitia etiam facti argumenti planius elucet ex minori. Imprimis enim Idola adorare non est credere Deum, & illum aliquo modo colere. Numquid, inquit Pictetus, Rex colitur a subdito, qui coronam illi eripit, eamque ipsius famulis vel equis imponit? Deinde nomine morum,

(1) Aco. de procuranda salute Indorum lib. 5. cap. 3.

rum . quos bonos invenit Adversarius in Ethnico , si intelligat actum aliquem in particulari intrinsece bonum saltem materialiter, vel non malum moraliter , esse utique hi possunt etiam in Infideli, sed aliunde notum est nullum ex hujusmodi actibus, non solum satis esse ad salutem , sed ne conducentem quidem ad illam : sin vero nomine morum intelligat tenorem vitæ , dico , quod sicuti hi termini pia impietas, & sana insania contradictionem, ita etiam isti alii, boni mores conjuncti cum Idololatria. Cæterum boni mores conducentes ad salutem sunt illi, qui conformes sunt toti Legi Divinæ non solum naturali , ad quos solos Adversarius male respicit, sed etiam positivæ . Quod doleat de peccatis, qui actu impie se gerit, & totus versatur in peccatis oppositis ipsi lumini rationis, quæ docet Idola non esse Deum , est nova objicientis contradictio : nisi forte intendat ipse doloris nomine tristitiam animi , quam homo post male facta naturaliter experitur, quam sufficere ad illorum expiationem non venit in mentem hominum ullius ætatis , aliter tot sacrificia & omnis generis satisfactiones non instituissent . Quod tandem Ethnicus credat esse præmia pro bonis & pœnas pro malis, est naturalis quædam cogitatio ex ipsa natura rationali necessario exsurgens , in quam proinde non cadit attributum neque boni neque mali moralis .

267. III. Objiciunt Tyndalus (1) , & Locke (2). Ratio naturalis docet sufficere ad salutem eum dolorem de peccatis, qui sit detestatio illorum prout opponuntur Legi naturali , quæ cognoscitur esse Lex Dei, quando conjuncta sit cum voluntate amplius non peccandi; Nam videmus homines ipsos remittere offensas homini, qui de illis veniam imploret : sed etiam Ethnicus potest habere detestationem peccati conjunctam cum voluntate amplius non peccandi: ergo ratio naturalis, docet etiam Ethnicum posse habere, dolorem de peccatis , qui sufficiat ad salutem .

Resp. cum Valsecchio (3) nego maj. , quam adductum argumentum non suadet ; Imprimis enim hominem ignoscere homini mirum non est , quia ejusdem sunt naturæ : at cum infinite distet natura divina ab humana , jam sola ratio humana intelligit dependere a sola libertate Dei , quod nobis peccantibus velit ignoscere : de qua voluntate nisi certos nos redderet ejusdem revelatio , opus esset semper nos dubitare ; Ratio enim videt esse in Deo plura attributa , quin operationes , quæ singulis per modum nostrum cogitandi propriæ sunt, mutuo opponantur . Quare quis statuat

(1) Tynd. Christ. antiq.
(2) Loc. Christian. raisonable chs.14.
(3) Val. Fondam. lib.2. cap.4. n.5.

statuat Bonitatem Dei, qui nos creavit, & multis bonis ditavit eo extendi, ut parcat etiam peccantibus, cum hæc componi debeat cum Justitia, quæ ordinem Universi omnino vult servari. Profecto nemo in Republica accusat Magistratum severitatis aut immanitatis, qui homicidas, fures, sceleratos perdat, etiamsi videat de suis flagitiis quammaxime dolentes. Et quis igitur per solam rationem poterat inferre provisorem universalem eos, qui suas leges transgrediuntur, impunitos relicturum quoties suæ illos temeritatis pœniteat? Deinde quid clarius, quod ratio naturalis non adæquatur posse per dolorem jam dictum expiari peccata, dum historiæ nunquam mentionem faciunt de gentibus, quæ cum crederent Deum pro suis malefactis sibi iratum confugerint ad hujusmodi dolorem, quo ipsum placarent, sed ad sacrificia diversarum rerum, & alia externa tantummodo placamina, quorum aliqua ipsi iidem aliquando vel deridebant tamquam inutilia, vel detestabantur tamquam sacrilega aut inhumana, cujusmodi erat immolatio hominum, de qua fere omnes Ethnicæ nationes accusantur, ut testatur de Phœnicibus Diodorus (1), de Scythis Herodotus (2), de Gallis Cæsar (3), de Germanis Tacitus (4), de Romanis Eusebius (5), & de aliis alii, quæ obvia cuique sunt, quia passim occurrunt apud veteres poetas atque historicos. Quamobrem non assentiar Huetio, qui conatur suadere (6) *gentium omnium præceptum esse*, requiri pœnitentiam, qualis a Catholicis adhibetur ad impetrandam a Deo veniam peccatorum.

268. Quoniam major objectionis falsa est, de minori non est curandum, quam tamen Valsecchius (7) ibidem gratis & temere affirmari contendit. Equidem hoc unum contra illam dico, quod cum ratio naturalis dictet non solum obedire Legi Dei, quæ indicta est per lumen rationis, sed etiam omni alteri Legi, quam ipse aliomodo præscripserit satis evidenti, judicio eorum qui cum sine controversia sint ingenio doctrina & morum integritate insignes, id a multis jam sæculis continuo profitentur, dici non potest Ethnicum, aut Hæreticum posse jam dolere de peccatis, quantum satis est ad salutem, qui doleat de illis dumtaxat, quæ sunt contra aliquam legem Dei, non vero contra omnem,

S

(1) Diod. lib. 20.
(2) Herod. lib. 4.
(3) Cæs. de Bel. Gall. lib. 6.
(4) Tac. de Mor. German.
(5) Euf. de Præpar. Evang.
(6) Huet. Quæst. Alet. lib. 2. cap. 20. n. 4.
(7) Vals. Fondam. lib. 2. cap. 4. n. 6. & cap. seq.

nem: quemadmodum ne homo quidem recipit in gratiam alium hominem, qui veniam ab eo imploret tantummodo de aliquibus, non vero de omnibus contra illum patratis.

269. IV. Objicitur. (1) *Speramus*, inquit Apostolus, *in Deum vivum, qui est Salvator omnium hominum, maxime fidelium*: ergo etiam illorum, qui dicuntur infideles quicunque, & quocunque modo infideles sint.

Resp nego conseqm. Nam duplex est objectæ scripturæ sensus juxta Patres citatos a Cornelio a Lapide in eum locum. Alter est Deum esse conservatorem corporis & animæ cujuscunque hominis in hac vita sed maxime fidelium, quos etiam amat, & ad vitam æternam conservat. Alter vero est, Deum esse omnium Salvatorem, quantum est ex parte sua, quia omnibus media ad salutem sufficientia tribuit, maxime vero fidelium Salvator est, quibus dat etiam media efficacia. Simili modo intelligenda sunt hæc alia: (2) *Deus omnes homines vult salvos fieri*. *Posuit* (3) *in eo* (hoc est Christo) *iniquitatem omnium nostrum*. *Pro nobis* (4) *omnibus tradidit illum*. Interpretationes istæ confirmantur, quia non minus verbum Dei sunt, quæ Adversarii proferunt, quam hæc alia ibidem apparenter opposita. Illi in quacunque cognitione Dei inveniunt sufficientiam ad salutem. At scriptum est (5) *Disperdam eos, qui adorant & jurant in Domino, & jurant in Melchom*. *Ego* (6) *Dominus gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam sculptilibus*. *Quæ* (7) *immolant Gentes, Dæmoniis immolant non Deo*. Tandem (8) *nolite jugum ducere cum Infidelibus, quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras, aut quæ pars fideli cum infideli?* Hæc satis sunt ut intelligamus inanem omnino esse atque perversam Acatholicorum curam scrutandi Sacras Scripturas, non ut ex Verbo Dei veram religionem addiscant, sed ut illud ad religionem a se arbitrario fictam detorqueant.

ARTI-

(1) 1. Ad Timoth. 4. 10.
(2) Id. ibid. 3. v 4.
(3) Isa. 53. 6.
(4) Ad Rom. 8. 32.
(5) Soph. cap. 1. 5.
(6) Isai. cap 42. 8.
(7) 1. Ad Corinth. cap. 10. 20.
(8) 2. Ad Corinth. cap. 6. 14.

ARTICULUS VI.

Objectiones mitiorum adversariorum.

270. I. Objicitur. AD salutem satis sunt hæc duo, primum est credere Deum juxta notionem ejus consonam rationi & revelationi, quæ excludit Idololatriam, & importat Fidem mysteriorum Christianæ Religionis, unius scilicet Naturæ Divinæ in tribus Personis, & Incarnationis Filii Dei; Nam scriptum est (1), *Qui credit in eum non judicatur, qui autem non credit, jam judicatus est, quia non credit in nomine Unigeniti Filii Dei*. Alterum est, servare præcepta Decalogi, quæ non continent nisi actus intrinsece bonos: Nam scriptum est, (2) *Deum time, & mandata ejus observa, hoc est enim omnis homo*: ergo nihil curandum de iis, quæ propria sunt Religionis Catholicæ. Hanc objectionem fuse promovet Hobbes (3) hoc est innumeris cumulat erroribus & apertis deliramentis.

Resp. nego ans, pro quo non sunt loca ex Scriptura adducta, nisi perperam limitentur ad solam revelationem mysteriorum, & ad sola mandata Decalogi. Numquid alia loca, in quibus aliæ veritates revelantur, non sunt genuina Dei revelatio? Et quonam jure a numero mandatorum excluduntur, quæcumque Deus jussit a nobis fieri, ut susceptionem Baptismi, & alia multa, de quibus nulla est mentio in Decalogo, & par certitudo de illorum revelatione, quibus qui non obsequatur, profecto non est ex ovibus Christi, quæ (4) *illum sequuntur, quia sciunt vocem ejus, alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo*. & proinde ex iis sine dubio sunt, de quibus scriptum est, (5) *Si dixerimus, quoniam societatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus mentimur*.

271. II. Objicitur. Apostolus dicit illos ad Deum habere accessum, cum quo certe conjuncta est salus, qui (6) *credunt quia est, & inquirentibus se remunerator est*.

Resp. Sistere in quavis cognitione Dei, aut Fide in Deum, non est Deum inquirere: nec per qualemcumque cognitionem ad ipsum accedere, est ad ipsum pervenire. Fides igitur in Deum ut existentem & ut remuneratorem est aliquis motus in Deum, sed cum hoc componitur etiam sempiterna infelicitas, ut patet in omnibus damnatis.

 Præ-

(1) Joann 3. v. 18.
(2) Eccle. 12. v 24.
(3) Hobb. Leviathan. cha 43.
(4) Joann. 10 v. 4.
(5) 1. Joann. cap 2. v 6.
(6) Ad Hebr 11.

272. Præterea illa dicta sunt, quia aperte excitant animos ad salutem procurandam, & studiosum ac constans exercitium omnis virtutis, ut notat Theodoretus apud Cornelium a Lapide in objectum locum, non quia sola sufficiant ad salutem. Nam juxta regulam generalem, cujus contra adversarios meminit Segnerius (1), & accurate declarat citatus a Lapide (2), propositiones affirmativæ, quæ continent promissiones, intelliguntur non absolute, sed in sensu accomodo & cum limitatione, si cætera non desint, in quo differunt a negativis, quæ sine alia superaddita conditione accipiuntur. Ita Fidei promittitur salus, si cætera requisita adsint: carentiæ autem fidei prædicitur sequutura condemnatio absolute. Adde quod immediate ante citatum testimonium legitur, *sine Fide impossibile est placere Deo*, quæ est loquutio generica comprehendens omnes articulos fidei tum speculativos, in quibus est mysterium Incarnationis; scriptum enim est, (3) *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum*: tum practicos, in quibus sunt omnia, quæ idem Dominus præscripsit facienda. Hanc interpretationem extra controversiam ponit ipsa Scriptura dicens (4) *Quid proderit, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Nunquid poterit fides salvare eum*. Et Canon Tridentini, (5) *Si quis dixerit nihil præceptum esse in Evangelio præter fidem, cætera esse indifferentia neque præcepta neque prohibita, sed libera, aut decem præcepta nihil pertinere ad Christianos, anathema sit*, quibus alii ibidem consonant oppositi Luthero, qui ut refert Pallavicinus (6) contrarium palam docebat, ut omnem de bono faciendo sollicitudinem, & de malo fugiendo timorem extingueret.

273. III. Objicitur ab Hobbesio (7) Latro credens solum in Christum audivit, (8) *Hodie mecum eris in Paradiso*. Eunuchus Candacis (9) admittitur ad Baptismum post receptam de solo Christo doctrinam: ergo ad salutem satis est Fides in Christum.

Resp. nego ans. Latro enim ita credidit in Christum tamquam filium Dei, ut dispositus esset omnia singillatim credere & exequi, quæ ipsi proponerentur ut credenda. Hinc SS. Augustinus, & Cyprianus agnoverunt in illo etiam baptismum & quidem

(1) Segn. Manna. Ottob 25. n.4.
(2) Lap. Can. in Evan. 11. & seq.
(3) Jo. 17. 3.
(4) Jac. 2. 14.
(5) Trid. sess. 6. can. 19.
(6) Pall. Istor. del Conc. lib. 1. cap. 8. n. 9.
(7) Hob. Leviath. cha. 43.
(8) Luc. 23. 43.
(9) Act. 8. 38.

dem non tantum voti sed sanguinis ob toleratam mortem etiam pro libera Divinitatis Christi confessione. Eunuchum autem Candacis ex tota narratione patet baptizatum fuisse, non quia solum credidit Iesum Christum esse Filium Dei, sed quia cum illo ad omnia explicite credenda & facienda, quae opus erant, animo se paratum ostendit.

274. IV. Obiicitur: Apostolus vocat (1) sanctos Corinthios, quia erant *sanctificati in Christo Jesu*, etiamsi inter illos essent, ut infra dicitur (2) schismata: ergo ad salutem nihil interest, in qua quisque parte Christianus sit.

Resp. conc. ans, & nego conseqm; Nam schismata, quae ibi nominantur, contentiones tantummodo erant de praestantia majori praedicatorum, qui Evangelium ipsis nunciaverant, ut ibidem patet, quin unquam propterea alteri ab alteris recederent, nec adesset pertinacia in hoc ipso eorum dissidio, cum docibiles essent, & veritatis intelligendae cupidi.



SE-

(1) 1. Ad Corinth. 1. 2. (2) Ibid. v. 10.

SECTIO VII.

De Bono morali formaliter tali.

PROPOSITIO.

Bonitas formalis in linea morum præsupponit actum intellectus, quo nihil hæsitans judicat vel cum veritate, vel cum errore invincibili, operationem habere bonitatem objectivam moralem, vel certam vel saltem probabilem: nec bonitas formalis stare potest cum prævio judicio vincibiliter erroneo circa objectivam bonitatem: Stat autem sine actuali Charitate, & etiam sine actuali Fide supernaturali.

275. 

Ropositionis demonstratio planum faciet definitionem supra (§. 35.) allatam bonitatis formalis in linea morum esse legitimam. Probatur prima pars. Actus qui non fiat prælucente ratione, est actus stol de factus, nec dicitur actus humanus: actus vero qui fiat contra prævium lumen rationis, est actus formaliter malus in linea morum: actus tandem qui fiat juxta prævium lumen rationis, quod ostendat illum certo habere bonitatem objectivam moralem, non est actus in multis casibus, pro conditione humana imperfecta in cognoscendo, possibilis, ut est extra controversiam post damnatam ab Alexandro Octavo hanc propositionem. *Non licet sequi opinionem, vel inter probabiles probabilissimam*. Ergo ut actus sit humanus, & formaliter bonus in linea morum requiritur, ut fiat juxta prævium lumen rationis, quale concessum est homini, quod scilicet ostendat cum certitudine, vel saltem cum probabilitate bonitatem moralem objectivam ipsiusmet actus: Sed actum in linea morum esse juxta prævium hoc lumen rationis nostræ, idem est, ac esse juxta actum intellectus judicantis vel cum veritate vel cum errore invincibili illum habere bonitatem objectivam moralem, vel certam vel saltem probabilem; ergo bonitas formalis in linea morum præsupponit

ponit judicium vel verum vel invincibiliter erroneum de bonitate objectiva morali, vel certa vel saltem probabili.

276. II. Operatio facta sine judicio certo de licitate ipsius est operatio peccaminosa, quemadmodum communiter statuitur a Philosophis cum Aristotele, qui juxta interpretationem Sylvestri Mauri sic docet, (1) *qui juste agit, primo debet operari eligens opus bonum, quia bonum est*: Idemque late ostenditur a Theologis, ut Antoine (2): Atqui judicium certum de licitate operationis nequit haberi, quin præluceat persuasio certa de bonitate ipsius objectiva, quæ nobis repræsentetur vel certa vel saltem probabilis, sive quia in re talis est, sive quia per errorem invincibilem talis reputatur: ergo operatio facta, quin præluceat persuasio certa de bonitate ipsius, vel certa vel probabili, est operatio peccaminosa: ergo ut non sit peccaminosa, sed habeat bonitatem formalem in linea morum, prærequirit judicium de bonitate ipsius objectiva vel certa vel probabili.

277. Quoniam fuerunt aliqui, quos confutat S. Thomas (3), qui visi sunt negare adesse bonitatem formalem in eo actu, in quo quis censuerit esse bonitatem materialem, quæ in illo non est, etiamsi error iste fuerit ipsi invincibilis, contra istos sic specialiter arguitur I. Objectum voluntatis non est bonum secundum se dumtaxat, sed secundum quod ipsi proponitur a ratione, seu ut verbis utar S Thomæ, (4) *Ad hoc, quod voluntas in aliquid tendat, non requiritur, quod sit bonum in rei veritate, sed quod apprehendatur in ratione boni*: ergo voluntas tunc bene moraliter agit, quando se exerceat circa id, quod ipsi proponitur, ut in se moraliter bonum: ergo si objectum etiam in se malum moraliter, per errorem invincibilem ratio humana censeat esse in se bonum moraliter, voluntas illud volens agit actum formaliter bonum.

278. II. Voluntas tendens in objectum in se moraliter bonum, sed apprehensum per errorem sub ratione mali in se moralis, est moraliter mala malitia formali, ut docet ex professo S. Thomas (5), & adductis exemplis cum eodem illustrant Theologi communiter, agentes de Conscientia erronea (6). *Hinc*, inquit Antoine, *peccat contra temperantiam, qui falso putans tali die esse jejunium, non jejunat; contra justitiam, qui non restituit id, quod falso putat non esse suum: contra charitatem, qui falso judicans se debere mentiri ad servandam vitam proximi, non mentitur*. Ergo a pari voluntas tendens in

(1) Arist. Ethic. lib. 4. cap. 4. num. 3.
(2) Ant Theo. Mor. de Consc. c. 2. q. 1.
(3) S. Thom. 1. 2. qu. 19. art. 5. O.
(4) Id. Ibid. qu. 8. art. 1. O.
(5) S Thom. 1. 2. qu. 19. art. 5. O.
(6) Antoin. Theol. Moral. de Consc. cap. 1. qu. 2. resp. 2.

in objectum in se moraliter malum, sed apprehensum per errorem sub ratione boni in se moralis, est moraliter bona bonitate formali. & quidem in ea specie bonitatis, quam quis ex errore judicat inesse actioni suæ.

279. Secunda propositionis pars bonitatem formalem non esse in eo quod fiat cum dictamine conscientiæ vincibiliter erroneo, est communis apud Theologos, ubi agunt de Ignorantia invincibili. Eadem probatur cum Picteto (1) sic. Si bona formaliter in linea morum esset operatio ex eo, quod conformaretur dictamini conscientiæ etiam vincibiliter erroneæ, dicendum bene formaliter in linea morum operasse, qui sacrificabant Idolis etiam proprios filios, qui Christum Dominum blasphemarunt, eumque & ipsius Apostolos morti tradiderunt; cum ex testimonio Christi (2) putarent obsequium se præstare Deo: dicendum generaliter falsum esse illud Sacræ Scripturæ, (3) *Est via, quæ videtur homini recta, & novissima ejus ducunt ad mortem*: Sed hæc sunt falsa & absurda usque ad horrorem: ergo.

280. Tertia pars, bonitatem formalem stare posse in actibus humanis etiam sine actuali charitate, probatur. Inter articulos Joannis Hus damnatos in Concilio Constantiensi decimus sextus est, (4) *Si homo est vitiosus, & agit quicquam, tunc agit vitiose, quia vitium, quod crimen dicitur seu mortale peccatum, inficit actus hominis vitiosi*. Inter damnatas a S. Pio V. Gregorio XIII. & Urbano VIII. in Bajo propositiones est illa 38. *Omnis amor creaturæ rationalis aut vitiosa est cupiditas, qua Mundus diligitur, quæ a Joanne prohibetur, aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa Deus amatur*: sub qua, tamquam sub quodam genere, revocari possunt etiam ejusdem propositiones 25 27. 28 29. 30. 34. 35. 36. 37. & 40. Et inter damnatas ab Alexandro VIII propositiones est hæc 7. *Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio vel Mundi: si Dei, charitas Patris est: si Mundi, concupiscentia carnis, hoc est mala est*, cui affines sunt 8. 9. & 11. Et inter damnatas a Clemente XI. in Paschasio Quesnel est 45. *Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, necesse est ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque ejus actiones corrumpat*, in quem errorem conspirant etiam 1. 38. 39. 40. 41 42. 44. 45. 46. 47 48. 49. ergo etiam sine actuali charitate stat in actibus humanis bonitas moralis formaliter talis.

281. Quarta pars bonitatem formalem stare posse in actibus humanis etiam sine actuali fide supernaturali, quam ex professo propugnat

(1) Pict. con. l' Indifferen. cha. 12.
(2) Joan. 16. v. 25.
(3) Prov. 16. v. 25.
(4) Constan. sec. 45.

gnat S. Thomas (1), sic suadetur. Inter damnatas in Bajo propositiones est hæc 25. *Omnia opera Infidelium sunt peccata, & virtutes Philosophorum sunt vitia*. Et inter damnatas ab Alexand VIII. est 8. *Necesse est Infidelem in omni opere peccare*: & 11. *Omne, quod non est ex Fide Christiana supernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum est*. Et inter damnatas a Clemente XI. est 48. *Quid aliud esse possumus nisi tenebræ, nisi aberratio, & nisi peccatum sine Fidei lumine, sine Christo, & sine Charitate*: ergo etiam sine actuali Fide supernaturali stat in actibus humanis bonitas moralis formaliter talis.

Cum duas istas postremas partes probaverim ex damnatione propositionum, quæ ipsis opponuntur, invenietur apud Auctores, qui de his agunt, ut apud Suarez (2), ubi errorem Joannis Hus impugnat: & apud Ripaldam, qui contra Bajum scripsit (3): & apud Vivam (4), qui propositiones ab Alexand. VIII., & a Clemente XI. damnatas exposuit: & apud Franciscum Van-Ranst, celebrem etiam per suam cum Quesnello dimicationem, qui brevi de omnibus (5) egit: & passim apud Theologos, ubi agunt de Gratia, invenietur inquam contra quos hæreticos illæ sint, & quibus aliis, ac quammultis certissimis argumentis eædem demonstrentur, & quo tandem modo Adversariorum objectionibus occuratur, ex quibus unam tantummodo subjiciam.

282. Objicitur. Ex S. Augustino (6) *Sine Fide & cultu Dei non possunt haberi actus virtutis*: & ex eodem (7) *Regnat carnalis cupiditas, ubi non est charitas*: ergo juxta S. Augustinum sine Fide & Charitate nullum habetur opus bonum morale.

Resp. conc. antec., & nego conseqm, quæ involvit duas falsas suppositiones, alteram, quod ibi S. Doctor loquatur de bono morali in genere, alteram, quod loquatur de Charitate Theologica, hoc est amore Dei super omnia dilecti. Utrumque certe est falsum. Quod enim pertinet ad primum locum de Fide, manifestum est ex ipso libro 5. de Civitate, ibi S. Augustinum requirere Fidem, non ad bonum morale in genere, sed ad illud, quod sit meritorium vitæ æternæ; Nam quærens caussam diuturni Romanorum imperii, illam reducit in præmium virtutum illorum naturalium (8). *Quibus*, inquit, *non erat Deus daturus vitam æter-*

 nam,

(1) S. Thom. 2. 2. art. 4. O.
(2) Suar. in 1. 2. tra. 3. disp. 3. sec. 1.
(3) Ripal. de Ente supernaturali.
(4) Viv. Thes. Damna. par. 3.
Id. Thes. Quesnelliane.
(5) Van-Ran. Veritas in medio. Propos. Baii. §. de Oper. sine Gratia.
Id. ibid. Propos. ab Alex VIII. §. de Operibus Infidelium.
Id. ibid. Propos. Quesn. §. Opera sine Gratia.
(6) S. Aug. lib. 5. de Civit. cap. 12.
(7) Id. Enchir. cap. 118.
(8) S. Aug. de Civit. lib. 5. cap. 15.

nam, si neque hanc eis terrenam gloriam excellentissimi imperii concederet, non redderetur merces bonis actibus eorum, idest virtutibus. Quod vero pertinet ad alium locum de charitate, ibi ejus nomine intelligit amorem boni, sive voluntatem recte agendi, quia rectum est quod agitur: & nomine cupiditatis intelligit malam concupiscentiam, de qua scriptum est (1), *Concupiscentia cum conceperit, parit peccatum*. Ipsemet Augustinus frequentissime hoc modo charitatem explicavit. En aliqua ejusdem testimonia. *Aliud* (2), inquit, *est charitas, radix omnium bonorum, aliud cupiditas radix omnium malorum, tantumque inter se differunt, quantum virtus & vitium. Quid* (3) *est dilectio vel charitas, quam tantopere Scriptura laudat & prædicat, quam amor boni? Quid* (4) *boni cupiditas, nisi charitas? Quasi* (5) *aliud sit bona voluntas, quam charitas*. Mala igitur fide ii, quibus volupe est errare, usurpant ex Augustino objectas propositiones, ut adhuc tueantur illas jam damnatas: quarum sensus non solum diversus est ab illo S. Augustini, sed etiam alienus ab ipsius doctrina, qui sexcentis in locis agnovit, & distinxit omnes alias virtutes, quæ communiter admitti solent præter Fidem & Charitatem, sumens earum inter se discrimen a particulari singulis motivo, non ab uno illo, quod est proprium Charitatis (6). *Noveritis*, sic ille, *non officiis, sed finibus a vitiis discernendas esse virtutes. Officium est autem, quod faciendum est, finis vero, propter quod faciendum est*. Addi potest id, quod demonstratur a Viva (7) in expositione propositionis 30. damnatæ ab Alexandro VIII., scilicet *Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere & docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam*, nefas omnino esse pertrahere verba Sanctorum ad contradicendum determinationibus Summi Pontificis circa Fidem & mores, *contra cujus auctoritatem*, ut S. Thomas dixit (8), *nec Hieronymus, nec Augustinus, nec aliquis Sanctorum Patrum suam sententiam defendit*.

SECTIO

(1) Jacob. 1. 15.
(2) S. Aug. lib. 83. qu. 36.
(3) Id. lib. 8. de Trin. cap. 10.
(4) Id. lib. 2. contra duas Epist. Pelag. cap. 9.
(5) Id. lib. de Gratia Chris. cap. 2.
(6) Id. contr. Julian. lib. 2. num. 21.
(7) Viv. Thes. Damna.
(8) S. Th. 2. 2. qu. 11. art. 2. ad 3.

SECTIO VIII.

De Regula cognoscendi bonum morale formaliter tale.

PROPOSITIO.

Regula universalis pro cognoscenda bonitate morali actionis humanæ seorsim ab ejus exercitio considerata, est Voluntas Divina nobis manifestata vel per lumen rationis, vel per Revelationem Divinam, vel per Ecclesiam. Regula vero pro cognoscenda bonitate morali actionis humanæ, quam quis actu exercet, est conscientia operantis recte formata.

283. UNT ut Suarez (1) & Alphonsus de Sarasa, qui nomen regulæ remotæ & nobis extrinsecæ tribuunt Voluntati Dei, nomen vero regulæ proximæ & nobis intrinsecæ tribuunt conscientiæ. Alii, ut Dominicus Viva (2) & Joannes Gisbertus, Voluntatem Dei vocant regulam objectivam, quia se habet per modum objecti, cui actio consentiens bona moraliter dicitur, & dissentiens mala: conscientiam vero sumptam pro judicio, quo quis jure credit se bene agere, quæ est definitio communis, quam citatus Sarasa luculenter declarat & vindicat, etsi in aliis diversis significationibus nomen conscientiæ usurpatum invenitur, ut videre est apud Suarez (3), conscientiam inquam, dicunt regulam formalem, non quia se habeat per modum formæ constituentis actionem bonam; hæc enim forma ex dictis (§.35.) est convenientia actus cum natura rationali, sed quia formaliter seu immediate nos dirigit in agendo. Melius diceretur regula subjectiva.

284. Propositionis prima pars est contra Deistas, qui aliam regulam objectivam actionum humanarum non admittunt, nisi lu-

(1) Suar. in 1. 2. tr. 3. disp. 11. Saras. Ars gaudendi. par 2.tr.2. n.4.

(2) Viv. Thc. Damn. de Peccato Philosoph. num. 22. Gisb. Antiprobabilismus. par. 2. coroll.

(3) Suar. in 1. 2. tract.3. disp.12. sec.2. num. 7.

lumen rationis, & contra illos, qui Voluntatem quidem Divinam accipiunt pro hac actionum regula, sed prout nobis innotescit vel per solam Scripturam, vel per hanc simul cum antiquis traditionibus, & canonibus veterum Conciliorum, aliis posteriorum temporum neglectis, vel per solos Sanctos Patres, rejectis prorsus aliis Doctoribus, & determinate Theologis moralibus. Utrosque distinctim confutat Joannes Gisbert (1): contra secundos in particulari arguit Viva (2).

Articulus I.

Argumenta pro propositione.

285. Probatur prima pars. Illa est regula universalis pro cognoscenda bonitate morali actionis humanæ seorsim ab ejus exercitio consideratæ, quæ opportuna est pro cognoscenda utraque specie bonitatis moralis, intrinsece scilicet & extrinsece talis, omnino ex dictis (§§ 147. 212.) admittendis. Atqui regula opportuna pro cognoscenda utraque specie bonitatis moralis est sola Voluntas Divina; Nam per hanc solum, actio secundum se indifferens transit in speciem moraliter bonæ, eademque intervenit in quavis actione intrinsece bona, & in mediis etiam tenebris vel naturalibus vel pœnalibus ex peccatorum colluvie exurgentibus effulget juxta illud Petri Apostoli, (3) *Habemus firmiorem propheticum sermonem* (per quem Voluntas Dei nobis manifestatur) *cui bene facitis attendentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco*: ergo hujusmodi regula universalis est sola Voluntas Divina.

286. Quod autem Voluntas Divina sumenda sit, prout manifestata vel per lumen rationis, vel alio ex modis enumeratis, nullum ex illis excludendo probatur, quia illa manifestatur quidem per lumen rationis, respectu majoris partis actuum intrinsece bonorum, ostendens eorum convenientiam cum natura rationali vel discrepantiam ab illa; Nam rogantibus, (4) *Quis ostendet nobis bona*, responsum est, *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*. & (5) *Gentes*, dicit Apostolus, *quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt*: sed per hoc lumen nullo modo manifestatur, respectu actuum bonorum extrinsece talium; repugnat enim actum, qui per lumen rationis cognoscitur esse indiffe-

(1) Gisb. Antiprobab. par. 2. coroll. 2.
(2) Viv. The. Dam. ad prop. 3. Alexand. VIII. n. 10. & seq.
(3) 2. Petr. cap. 1. v. 19.
(4) Psal. 4.
(5) Ad Rom. 2.

differens, posse per illud cognosci bonus vel malus moraliter: neque pariter per lumen rationis satis manifestatur respectu aliquorum actuum, qui etiam intrinsece boni sint: (1) *Certe*, inquit Gisbertus, *in illo lumine non satis evidenter apparet omnibus malitia usuræ, quam tamen certum est esse illicitam: non satis apparet, cur non liceat mentiri officiose propter magnum aliquod Reipublicæ bonum, cur sterilitas non sit ratio sufficiens matrimonii dissolvendi. Hæc & alia id g nus multa, solius rationis arbitrio vix decidi possunt*: Neque per idem lumen manifestatur respectu illorum, qui ingenio sunt vel tardo, vel rudi.

287. Ecquis autem neget ingenio rudes esse plerosque homines utpote artibus ad humanam vitam necessariis continuo occupatos, tardos vero omnes omnino; quippe evidens est, quod observat S Thomas (2) nullius hominis intellectum aptum esse ad inquirendum, & cognoscendum verum & bonum, nisi matura jam ætate, & post longum exercitium, & evidens etiam est, ut fusius declarant Paras (3), & Csapodius (4) Ethnicos philosophos, qui in hoc ipsum omni studio incubuerunt, nequaquam hanc cognitionem assequutos. Testis historia errorum, quos Veteres Sapientes circa Deum & mores docuerunt; Passim enim Deum vel fato nescio cui obnoxium crediderunt, vel ignorantem rerum, quæ contingenter futuræ essent: mores autem bonos quam multi sanxerunt stare cum fornicatione, & divortio. Testes etiam sunt nostrorum temporum Deistæ, qui solum lumen rationis sibi sufficere ad omnem veri & boni cognitionem communiter credentes in impia dogmata circa providentiam Dei & naturam animæ inciderunt, & ipsorum aliqui si pravitatem fassi sunt inesse in aliquibus operationibus contra opinionem Ethnicorum, hoc debent velint nolint revelationi. Cæterum multi inter res indifferentes morum corruptelam numerarunt eo innixi principio, quod fabulosum sit dogma de vitiata per originale peccatum natura: Quare sicuti, inquiunt, bona est grati animi affectio erga benefactores, & amor erga conjugem, quia natura, quæ est a Deo bono ad ea impellit, ita mala non sunt odium inimicorum, & promiscuus mulierum amor, quia ab eadem natura ad hæc pariter propensionem experimur. Ergo Voluntas Divina aliter manifestatur quam per lumen rationis non solum relate ad actus extrinsece bonos, sed ad multos etiam intrinsece bonos, quin immo ad omnes pro conditione humani generis tardi ad cognoscendum.

Dato

(1) Gisb. Antiprob. part. 2. coroll. 2. §. Dico 2.
(2) S. Thom. lib. 1. cont. Gen. c. 4.
(3) Par. disc. 1. sur la Relig. par. 2.
(4) Csap. Relig. Revel. lib. 1. n. 16.

288. Dato jam per aliquid aliud eam manifestari, occurrit primo Revelatio Divina, quæ continetur tum in Sacra Scriptura, tum in Traditionibus a Christo immediate venientibus. Hoc modo, qua ratione Deus honoretur per usum Sacramentorum, & aliis modis innotescit: Revelationis necessitatem etiam pro iis, quæ ratione humana investigari possunt propugnavit jam olim S. Thomas loco nuper citato, & alibi (1). Quod perquam multi, in quibus nuper extiterunt Vallecchius (2), & Cfapodius (3) nostris temporibus copiosius faciunt, ut repellant undique erumpentes Naturalistas. Contra quos equidem duo tantummodo advertam. Alterum est, Platonem, cujus dicta majori fortasse apud illos in pretio erunt, quam cujusvis Christiani Doctoris, agnovisse jam necessitatem revelationis ad hominum vitam & cognitiones dirigendas, dum Alcibiadem sic alloquitur, (4) *Necesse est expectare, donec discatur, quemadmodum Diomedi Minervam inquit Homerus ab oculis nebulam abstulisse, ut discerneret Deum ab homine, sic & ab animo prius oportet caliginem auferre, deinde illa admovere, per quæ seu bonum quid sit sive malum dignoscat*. Alterum est, eamdem necessitatem plusquam satis intelligi considerato statu tum Ethnicorum, tum præsentium incredulorum. Ab Ethnicis quidem omne etiam philosophorum studium Idololatriam summum errorum, & aliorum in omni ethica radicem foecundissimam non solum non abstulit, sed potius promovit. Increduli autem nostri temporis, quotidie non solum inter se, sed sæpe etiam contra se pugnant de rebus gravissimis, ut de rerum creatione, de providentia Dei, de libertate hominis, de spiritualitate animæ rationalis, & aliis sexcentis.

289. Occurrit secundo Ecclesia, quæ vel per Concilia maxime generalia ab Universa Ecclesia celebrata, & quæ aliter dicuntur Oecumenica, ut fusius explicat Pallavicinus agens de hujus nominis significatione (5), vel per suum visibile caput, Romanum Pontificem, utpote qui ut ait S. Augustinus (6) *Ecclesiæ gerit figurata generalitate Personam* declarat honestatem aut turpitudinem aliquarum actionum, de quibus ratio humana silet, & Verbum Dei vel scriptum vel traditum dubium est. Qui in Scripturis revelationem Divinam venerantur, illi audiendam omnino esse etiam Ecclesiam Dei statim intelligent, quippe de Ecclesia universim scriptum est, quod sit (7) *Columna & firmamentum veritatis*

(1) S. Thom. 1. p. q. 1. art. 1.
(2) Valf. Fondam. lib. 2. cap. 1. & seq.
(3) Cfap Relig. revel. lib. 1.
(4) Pla, Alcib. 2. circ. fin.
(5) Pall. Istor Introd. cap. 13.
(6) S. Aug. in Joan. tract. 124.
(7) Ad Timot. 3. v. 15.

ritatis: & de eadem prout loquatur per eum, qui ipsius personam gerit, habemus, quod nunquam errabit in rebus Fidei (1) *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.*

290. Ex quibus refutantur illi, qui ad dirigendum humanum intellectum in iis quæ credat, & voluntatem in iis, quæ velit, solam Sacram Scripturam consulendam prædicant, quasi ea vel omnia & singula complectatur, vel in omnibus & singulis ita sit clara, ut nullum sit periculum malæ interpretationis, qualis revera habita fuit ab illis, qui ex eo, quod scriptum est (2), *qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam*, tuebantur (3) *spontanea mortis sententiam insanam*, ut refert S. Augustinus: vel quasi Deus Scripturarum auctor & largitor privatum cujusque spiritum constituerit ejusdem interpretem, aut de nullo pro his casibus interprete nos providerit visibili & infallibili: quorum primum passim quidem dicunt hæretici eo jure, quo quis contenderet in Rep. lites ad se spectantes decidere secundum latas a Rep. leges a seipso interpretatas, vel eo quo quis doceret, ut ajunt Trevoltiani (4) contra Beausobrem, Divinum Legislatorem minus consuluisse legibus a se indictis, quam terreni principes suis. Nullum enim extat in terris legum corpus sine authoritate visibili, quæ illarum exequutionem exigat pro sensu ab eadem determinato. Secundum vero quod nuper Coste cum aliis ausus est affirmare in dissertatione, quam præmisit suæ versioni Lockiani libri *Christianismus rationalis* inter manifestos errores rejectum fuit per invictas demonstrationes, quas frequentes Theologi, in quibus est Platelius (5) repetunt & exponunt.

291. Illi etiam, qui attendi in moribus volunt solas antiquas traditiones, Apostolicas scilicet & Ecclesiasticas, & solos Canones veterum Conciliorum, ex sola notione Ecclesiæ & Concilii rejiciuntur, quæ non præsefert authoritatem docendi & præcipiendi alligatam uni tempori potius quam alteri, sed parem pro quovis tempore. Quare quæ olim vigebant, aliquæ ex hujusmodi traditionibus abrogatæ deinde fuerunt, ut traditio de conviviis in Ecclesia fieri solitis, de abstinentia a sanguine, & ab animalibus præfocatis, & aliis similibus: & pari jure processu temporis sublati fuerunt quidam veterum Conciliorum canones spectantes ad exteriorem disciplinam, cujus discrimen ab interiori videri potest apud Jo:

(1) Luc. 22.
(2) Joan. 12. v. 25.
(3) S. Aug. cont. Gaudentium n. 34.
(4) Trev. ann. 1756. art. 50. §. 6. p. 1198.
(5) Plat. de Fid. n. 93.

Jo: Bapt. Bartholum (1), utpote qui minus opportuni evaſerant mutatis temporum circumſtantiis.

292. Occurrit tandem Authoritas eorum, quos vel ipſa Eccleſia habet pro Magiſtris credendi & vivendi, cujuſmodi ſunt Sancti Patres, vel pro ſuis ad docendum alios mediatis vel immediatis miniſtris adhibet. Ac immediatos quidem ejus miniſtros in hac re eſſe ſingulares Paſtores, aut Præceptores dubitari non poteſt, cum ad hos communiter extendatur illud Chriſti, (2) *Qui vos audit, me audit*. Ab omnibus enim requiritur ut Evangelio credant, quod prædicatum ſit a ſucceſſoribus eorum, quibus Chriſtus dixit, (3) *euntes in mundum univerſum prædicate evangelium*: non vero requiritur, ut Evangelia per ſe quiſque legat, aut intelligat. Quod controverti nequit, cum noverimus primis Eccleſiæ annis, quibus ſanctiſſimi viri abundarunt, nullum adhuc perſcriptum fuiſſe novi Teſtamenti librum, ut advertunt Theologi, inter quos Platelius (4), ubi neceſſitatem Traditionis oſtendunt, & pluribus urget Buffierius (5), contendens ſuadere, Chriſtum Dominum voluiſſe, ut Eccleſia, quam ipſe prædicando fundavit & legibus viva voce ſancitis ordinavit, & uni ſubjecit viſibili capiti Petro, ejuſque ſucceſſoribus, viva pariter prædicantium voce eorum, qui cum illius capite conjuncti eſſent, conſervaretur, & amplificaretur.

293. Mediati autem ejuſdem Miniſtri ſunt Theologi Morales, qui in ordinem redegerunt, quæ ad moralium actionum cognitionem pertinent, & quæſtiones reſolvunt non jam ex ſenſu ſuo tamquam homines e Cælo delapſi, ſed ex iis, quæ accurata conſideratione viderunt, vel neceſſario inferri ex natura rationali, vel confirmari aut doceri a Revelatione aut ab Eccleſia. Quare qui de his Theologis univerſim cum contemptu, & etiam execratione loquuntur tamquam de morum corruptoribus, videant ne apertam faciant vel ignorantiam ſuam cum temeritate conjunctam, dum Auctores ſibi ignotos accuſant, vel odium quoddam omnis boni moralis, dum ab hominum manibus hujuſmodi Auctores excutientes cogunt ſuo quemque arbitrio vivere. Quod enim ajunt Sanctos Patres loco ipſorum legendos, proponunt rem phyſice impoſſibilem reſpectu multitudinis, quæ nequit ſibi tantam librorum vim comparare, nec eam aut legere aut intelligere. Indubitatum illud eſt, ut ait Dominicus Viva (6) *ad veritatem aſſequendam nec ſa-*

(1) Bart. Inſtit. Juris Canon. cap. 8.
(2) Luc. 10. v.16.
(3) Matt. 16.
(4) Plat. de Fid. n.92.
(5) Buff. Preuves de la Relig. par. 3. cha. 3. & ſuiv. col. 1372.
(6) Viv. Theſes damn. ad propoſ. 3. Alex. VIII. n. 17.

satis esse studium Sacræ Scripturæ absque studio SS. Patrum, qui Scripturæ arcanos sensus elucident: nec studium SS. Patrum sufficere absque studio aliorum Doctorum, qui SS. Patrum mentem profundo sermone expressam in bono lumine collocent.

294. Secunda propositionis pars, nimirum conscientiam recte formatam, judicium scilicet, quo operans remoto omni errore voluntario & culpabili, certus est Deum velle, ut eam actionem faciat, quam vel præcipit vel consulit vel non prohibet, esse regulam pro cognoscenda bonitate morali actionis humanæ, quam quis actu exercet, sic probatur. Posito judicio rite instituto, quo quis certus est licitam sibi esse actionem, quam exercet, jam illa est formaliter bona in linea morali: remoto autem hoc judicio non est formaliter bona: sed tale judicium est ex dictis conscientia recte formata: ergo hæc est regula proxima boni moralis. Major suadetur, quia non intellecto eo judicio, non intelligitur actio facta modo humano: ergo quando sit conformis Voluntati Divinæ erit solum materialiter bona. Quod si loco illius judicii adsit judicium aliquo modo oppositum, vel quia certo non creditur licere sibi hic & nunc illam actionem, vel quia judicatur illicita, jam actio etiam materialiter bona evadit formaliter mala. Suadetur II., quia extat illud Apostoli, (1) *Omne quod non est ex Fide, peccatum est*, ubi manifestum est ex toto contextu nomine fidei venire ibi conscientiam operantis, quæ est acceptio Juristis familiaris, qui unanimiter apud Layman (2) docent, quod (3) *possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit*, & confirmatur ex eo, quod hoc modo accipiatur a Gratiano (4), Innocentio III. (5), & omnibus tum Græcis, tum Latinis Interpretibus; etsi enim S. Augustinus, aliique interdum illud exponunt de Fide infusa, attamen non excludunt priorem expositionem, ut notat Suarez (6). Suadetur III., quia ad non peccandum requiri judicium certum de eo, quod actus liceat, communis est Theologorum doctrina, ut (7) *forte nullus quoad rem dissentiat*, dicit Antoine, hanc veritatem pluribus demonstrans.

V ARTI-

(1) Ad Rom. 14.
(2) Laym. Theol. Moral. de Justitia cap. 8.
(3) Reg. 2. in 6.
(4) Grat. c. Quærет §. Illud de pœnit. dist. 3. Id. c. Omnes §. Ex his 28. q. 2.
(5) Innoc. c. Literas de Restit. Spoliat. Id. c. Quoniam de Præscript.
(6) Suar. in 1. 2. tract. 3. disp. 12. sect. 4. n. 1.
(7) Antoi. Theol. Mor. cap. 2. q. 1.

ARTICULUS II.

Objectiones.

295. I. Objicitur. SAnctus Thomas dicit, (1) *Qui facit contra Legem Dei, non excusatur a peccato, quamvis non faciat contra conscientiam*: ergo S. Thomas non admittit conscientiam esse ullam regulam boni moralis.

Resp. conc. antec., & dist. consequens: non admittit conscientiam esse regulam boni moralis materialiter talis, conc. formaliter talis, nego conseqm. Cum igitur S. Thomas dicit in objecto loco illum, qui facit contra Legem Dei, quamvis non faciat contra coscientiam, non excusari a peccato, certe intelligit non excusari a peccato materiali: Nam paulo infra in eodem articulo docet, quod qui dum eligit unam ex duabus oppositis opinionibus, *in nullam dubitationem adducitur*, *non peccat*, scilicet peccato formali, & ipsi imputabili: & in alio ejusdem quodlibeti articulo, (2) *Error*, inquit, *conscientiæ habet vim absolvendi sive excusandi, quando procedit ex ignorantia ejus, quod quis scire non potest, vel scire non tenetur*; eamdemque doctrinam alibi in suis operibus repetit frequentissime. Alii, quos citat & sequitur Thyrsus Gonzalez (3) fuse differens de variis hujusmodi loquutionibus, quas adhibet S. Thomas in objecto articulo, dicunt verba objecta debere intelligi, quod non excusetur a peccato formali, qui facit contra Legem Dei ex conscientia culpabiliter erronea. Utraque solutio est legitima & bona; sed prima opportunior, utpote deducta ex ipsomet articulo.

296. II. Objicitur. Conscientia erronea etiam per errorem invincibilem nequit dici conscientia recta seu recte formata: ergo non est dicendum conscientiam rectam excludere solum errorem culpabilem. Antec. probatur, quia repugnat conscientiam erroneam esse conscientiam rectam.

Resp. nego antec., cujus probationem dist., repugnat conscientiam erroneam esse conscientiam speculative seu logice rectam, conc., practice seu ethice rectam, nego. Logice rectum dicitur judicium practicum, in quo consistit conscientia, quod habet conformitatem cum objecto suo, secundum quod est in se realiter. Ethice vero rectum dicitur illud, quod habet conformitatem cum objecto suo, secundum quod apprehenditur. Quando

(1) S. Thom. Quodlib. 8. art. 13
(2) S. Thom. Quodlib. 8. art. 15.
(3) Gonzal. Fund. Theol. diss. 9. n. 16. & seq.

do conscientia est tum Logice tum Ethice recta, opus secundum illam factum est adæquate bonum moraliter, scilicet tum materialiter tum formaliter: cum vero est Ethice dumtaxat recta, opus secundum illam factum erit formaliter dumtaxat bonum. Responsio est legitima, quam Layman (1) declarat exemplo Patriarchæ Jacob, qui nullius culpæ reus habetur propter accessum ad Liam, quia hunc fecit ex conscientia practice recta. Eamdem juvat confirmare his S. Thomæ verbis. (2) *Quod a ratione proponitur ut malum, Voluntas dum in illud fertur, accipit rationem mali Hoc autem contingit non solum in indifferentibus, sed etiam in per se bonis vel malis; Non solum enim id, quod est indifferens potest suscipere rationem boni vel mali per accidens, sed etiam id quod est bonum, potest accipere rationem mali, vel id quod est malum, rationem boni propter apprehensionem rationis*. Quando hæc S. Doctoris verba habuerit præ oculis Daniel Concina, cujus est (3) hæc objectio, confutata jam a Carpano (4) in suo *de opinione probabili* opusculo anonymo, illam credo omisisset, & multo magis ea, quæ dicit contra ejus solutionem fundatam in distinctione boni per se, & per accidens, quam in Theologis quos citat, male reprehendit.

297. Instabis. Si conscientia erronea per errorem etiam invincibilem, qualis esset in eo, qui crederet sibi licitum aut præscriptum mendacium ad tuendam vitam sui genitoris, posset dici aliquo modo recta, dicendum esset, Deum hic & nunc præcipere illi, qui habet hanc conscientiam erroneam, actum intrinsece malum, cujusmodi est mendacium: Sed non potest dici, Deum præcipere actum intrinsece malum: ergo conscientia erronea per errorem etiam invincibilem nullo modo potest dici recta.

Resp. dist. maj., dicendum esset Deum per accidens præcipere actum intrinsece malum, quatenus scilicet præcipit conformari dictamini conscientiæ saltem Ethice rectæ, conc. maj., præcipere per se actum intrinsece malum, quatenus hunc directe velit, scilicet ante omne etiam dictamen conscientiæ creaturæ, quæ sit saltem practice recta, nego maj. Et simili distinctione excepta minori, nego conseqm. Hinc intelligitur, quam provide constituta nobis sit a Deo conscientia nostra pro regula proxima actus formaliter boni in linea morali, quia si sola Voluntas ipsius esset hæc regula. jam quoties certo a nobis illa non cognosceretur, vel quia honestas

 obje-

(1) Laym. Theol. lib. 1. tract. cap 3. num. 1.
(2) S. Thom. 1. 2. q. 19. art. 5.
(3) Conc. Storia del probabilismo diss. 3. cap. 5. n. 8.
(4) Carp. de opin. probab. diss. 3. cap 2. §. 6.

objectiva actus non excederet respectu nostri limites probabilitatis, vel quia Lex Divina circa hunc actum sileret. vel non esset nobis sufficienter proposita, jam opus esset abstinere ab omni operatione, aliter volentes incurreremus periculum peccandi, quod non licet.

SECTIO IX.

De Bono delectabili.

PROPOSITIO I.

Bonitas delectationis si sumitur formaliter, seu pro delectatione ipsa, distinguitur a bonitate honestatis, tum naturalis tum moralis: sin sumitur objective, seu pro ratione propter quam objectum delectat, non distinguitur realiter a bonitate honestatis naturalis: sed per modum cogitandi, quatenus ea exprimit suavitatem ex se manantem, quam bonitas honestatis non exprimit.

298. Robatur prima pars. I. Bonitas delectationis formaliter sumptæ dicit convenientiam, seu conformitatem cum natura cognoscente, quæ consistit in suavitate, & quadam quasi vitali quiete appetitus in bono, quod possidetur (§.42.): Atqui hæc convenientia est diversa ab illa, quam dicit honestas vel naturalis vel moralis (§.11.): ergo bonitas delectationis formaliter sumptæ distinguitur a bonitate honestatis tum naturalis tum moralis.

II. Bonitas delectationis quoties est contra commodum naturæ, & in ejus destructionem tendit, non est ipsi naturæ nec rationi conveniens: ergo distinguitur a bonitate honestatis tum naturalis tum moralis.

Pro-

299. Probatur secunda pars cum Suarez (1) I. Bonitas delectationis objective sumptæ est convenientia, quam objectum habet cum natura vel spirituali, si delectatio sit spiritualis, vel corporea, si sit sensibilis; Delectatio enim objectiva est ratio, propter quam objectum formaliter delectat, & est quasi causa illius suavitatis seu quietis, in qua consistit delectatio formalis: sed convenientia objecti cum natura est honestas naturalis (§.11,): ergo bonitas delectationis objective sumptæ non distinguitur realiter ab honestate naturali.

II. Actus amoris & desiderii directe ferri possunt in aliquid, præcise quia illud conveniens est naturæ amantis & desiderantis, seclusa omni delectatione: ergo etiam delectatio formalis, quæ est delectatio actualis, ferri directe potest in aliquid præcise propter rationem convenientiæ cum sua natura: sed si delectatio actualis directe fertur in aliquid præcise propter rationem convenientiæ cum sua natura, jam ipsius objectum, hoc est bonitas delectationis objective sumptæ non distinguitur realiter ab honestate naturali: ergo illa objective sumpta non distinguitur realiter ab honestate naturali. Probatur prima consequentia. Tam delectatio formalis seu actualis, quam actus amoris & desiderii tendunt in idem bonum: & solum differunt in eo, quod delectatio tendit in illud ut jam præsens & adeptum, non item amor & desiderium: ergo si actus amoris & desiderii ferri directe possunt in aliquid, præcise quia conveniens est, etiam delectatio formalis sic directe ferri potest.

300. Objicitur. S. Thomas dicit, (2) *Dicuntur illa proprie delectabilia, quæ nullam aliam habent rationem appetibilitatis, nisi delectationis, cum aliquando sint noxia & inhonesta*: ergo potest aliquod objectum non habere rationem ullius honestatis ne naturalis quidem, propter quam expetatur.

Resp conc. antec., & dist. consequens. Potest objectum non habere rationem honestatis, propter quam actu expetatur, conc. conseqm: potest non habere rationem propter quam possit expeti, nego conseqm. Distinctio est juxta interpretationem, quam Suarez adhibet objectæ authoritati. Ibi, inquit, S. Doctor (3) *non intendit excludere ab hujusmodi re omnem rationem convenientiæ delectatione priorem, in qua delectatio fundetur, sed indicare voluit, interdum contingere hanc convenientiam talem esse, ut seclusa delectatione non faciat rem simpliciter appetibilem, quia est noxia vel inhonesta*.

Pro-

(1) Suar. Metph. disp.10. sect.2. n.19. (3) Suar.Metaph.dis.10. sec.2. n.20.
(2) S.Thom. 1.p. q.5. art.6. ad 2.

301. Probatur tertia pars I. Expressio delectationis tamquam rationis motivæ ad sui appetitionem habetur clarissime in objecto apprehenso ut delectabili, non vero in eo apprehenso ut honesto: ergo bonitas delectabilitatis distinguitur per modum cogitandi nostrum a bonitate honestatis.

II. Intima experientia docet ardentius appeti bonum, quod apprehendatur non solum ut honestum, sed etiam ut delectabile. Hinc nemo non approbat illud Aristotelis,(1) *Voluptatem esse per se expetibilem, facereque quodvis bonum magis expetibile, si illi addatur*: ergo rationes honestatis, & delectabilitatis habent propriam sibi vim movendi, & possunt per modum cogitandi nostrum dividi inter se.

302. Objicitur. Qui delectatur de recuperata valetudine, non aliam rationem habet suæ delectationis, nisi convenientiam, quam habet valetudo cum sua natura: ergo valetudo, ut est objectum delectationis, non habet aliam bonitatem, nisi quæ sita est in naturali convenientia illius cum natura, quæ est bonitas honestatis naturalis. Similiter Beatus, qui delectatur de Visione Dei intuitiva, ex eo delectatur, quod hæc Visio sit maxime proportionata & conveniens naturæ suæ: ergo universim bonitas delectationis objectivæ, quæ præsupponitur ad delectationem formalem, non distinguitur ne per rationem quidem a bonitate honestatis naturalis.

Resp. nego antec.; Nam unusquisque illorum ulterius transit ad apprehensionem illius convenientiæ, quam habet Valetudo, & Beatitudo, tamquam quies quædam naturæ suæ in illius possessione.

PROPOSITIO II.

Bonum delectabile sive formale sive objectivum constituit speciem boni particularis, & jure utrumque bonum conjunctim venire potest sub nomine boni delectabilis.

303. PRima propositionis pars probatur. Bonum delectabile, sive formale sive objectivum est species particularis boni, si illud nequeat confundi nec cum bono honesto, nec cum bono utili: atqui ita est: ergo. Minor probatur, ac primo, quod

(1) Arist. 10. Ethic. cap. 2.

quod non possit confundi cum bono honesto: quia acc'dit, ut detur bonum honestum, quin illud sit bonum delectabile nec formale nec objectivum. Ita coercere pravos animi motus, temperare impetus iræ, & similia, utique honesta sunt, & etiam utilia, at sensibiliter saltem delectabilia non sunt, sed potius formaliter molesta. Rursus pro bono delectabili formali habetur notio prorsus diversa ab illa boni honesti: & etsi bonnm delectabile objectivum includit notionem boni aliquo modo honesti, scilicet naturaliter (§. 301.): attamen notio boni naturaliter honesti non includit viceversa illam boni delectab lis.

304. Quod autem bonum objectivum delectabile non possit confundi cum bono utili, sed sit species ab illo distincta, sic probatur. In tantum bonum delectabile objectivum non distingueretur a bono utili, in quantum ratio boni in objecto delectabili esset quidem aliquid reale, sed derivatum in ipsum a delectatione formali, vel potius esset mera denominatio desumpta a delectatione formali, quemadmodum bonum utile dicitur bonum per appellationem ipsi participatam a bonitate finis, qui intenditur: Atqui primum dici non potest, quia delectatio formalis est quidam actus animæ, actus autem animæ non afficiunt intrinsece objectum suum, nec illud ullo modo constituunt aut immutant, sed præsupponunt in suo esse, quodcunque sit, in eoque relinquunt. Neque secundum dici potest, quia ut ait Suarez, (1) *objectum delectationis non est bonum & conveniens, quia est delectationis objectum, sed quia bonum est & conveniens, ideo delectationis objectum esse potest*: ergo bonum delectabile objectivum distinguitur a bono utili.

305. Objicitur. Bonitas delectationis objectivæ, sive bonum dele tab le dicitur de re, quæ est apta ad delectationem formalem producendam in subjecto ab ipsa re distincto: sic cibus & potus dicuntur delectabilia; atqui aptitudo ad delectationem formalem producendam, ratione cujus aliquid est appetibile, reducitur in bonitatem utilitatis: ergo bonum delectabile objectivum reducitur in bonum utile.

Resp. dist. maj. Bonum delectabile ita dicitur de re, quæ est apta ad delectationem formalem producendam, ut insit in ipsa re antecedenter ad intelligentiam delectationis formalis, vel præcisive ab ipsa, ratio quædam boni per se appetibilis, conc. maj.: ita ut hæc ratio boni non insit in re antecedenter ad intelligentiam delectationis formalis, nego maj. & min. Falsum igitur est, ut argumentum ad hanc objectionem excludendam directe propositum

(1) Suar. Metaph. dist 10. sect. 2. n. 16.

situm ostendit, reduci in bonum utile aptitudinem ad delectationem formalem producendam, quæ inest rei etiam præscindendo ab ipsa delectatione formali: & falsum etiam est, quod talis aptitudo sit appetibilis dumtaxat ratione delectationis formalis, cum sit ipsa etiam per se appetibilis, sive sit per se bonum quoddam reale, quod a delectatione solum nomen ex usu communi recipit, quo ipsum distinguitur ab alia specie boni quacunque. Atque hinc patet latum discrimen a re utili, quæ a bono, ad quod tamquam ad finem dirigitur & ordinatur, ita recipit nomen boni, ut in solo nomine sistat bonitas, quæ de ipsa dicitur.

306. Secunda propositionis pars sic probatur. Bonum delectabile alterutro modo vel objective vel formaliter sumptum constituit ex dictis speciem boni particularis, quod in se tale est, & non per extrinsecam denominationem, quæ nascitur ex eo, quod nos unum appetamus propter aliud: ergo bonum delectabile utroque etiam modo conjunctim sumptum est species boni particularis: ergo jure utrumque bonum conjunctim venire potest boni delectabilis nomine: Quemadmodum observante Suarez, (1) *Beatitudo interdum sumitur pro objectiva, interdum pro formali, interdum pro tota Beatitudine, quæ per modum unius utrumque complectitur,*

PROPOSITIO III.

Natura capax solius delectationis intellectualis felicior est ea, quæ capax est etiam sensilis delectationis.

309. Propositio est cum Platone & Aristotele infra citandis, & cæteris Philosophis, qui hos sequuntur. Ea sic probatur. Illa natura, in quam cadit dumtaxat delectatio, quæ nunquam potest evadere turpis, nec est remedium alicujus suæ molestiæ, felicior est illa, in quam cadit etiam delectatio, quæ vel tenuissima est vel nulla, si concipiatur sejuncta a delectatione intellectuali, vel siquid alicujus momenti est etiam eo modo sejuncta, potest esse turpis, & semper est remedium alicujus molestiæ: Sed natura capax solius delectationis intellectualis est natura, in quam cadit dumtaxat delectatio, quæ nunquam potest evadere turpis, nec est remedium alicujus suæ molestiæ: natura vero capax delectationis etiam sensilis, est natura, in quam cadit delectatio, quæ vel tenuissima est vel nulla, si sejuncta concipiatur

(1) Suar. Metaph. disp. 10. sect. 2. n. 16.

tur a delectatione intellectuali, vel si etiam eo modo sejuncta aliquid sit alicujus momenti, potest esse turpis, & semper est remedium alicujus suæ molestiæ: ergo felicior est prima natura, quam secunda. Major probatur, quia natura capax delectationis, quæ evadere potest turpis, est natura capax quidem alicujus boni, sed quod illam potest privare bono ordinis superioris scilicet bono honesto, & honesta delectatione inde proveniente, in eamque propterea inducere oppositum tristitiæ malum. Rursus natura capax delectationis, quæ in se sit alicujus momenti, sed talis ut sit levamen molestiæ alicujus sive ex dolore quo affligitur, sive ex indigentia alicujus rei ad perfectionem sibi convenientem necessariæ, est natura, quæ subjecta est dolori: Sed felicior est natura capax talis boni, quod illam non potest privare potiore bono, nec præsupponit in ipsa dolorem, aut indigentiam rei necessariæ ad perfectionem sibi debitam: ergo.

307. Minor autem probatur sic. Delectatio intellectualis, quæ sequitur operationem naturæ habentis perfectionem aliquam sibi convenientem, qualis est in cognitione veritatis & in conscientia bonarum operationum, quo est major & intensior, eo est melior atque perfectior: ergo delectatio hujusmodi incapax est excessus, per quem evadat turpis: at delectatio sensilis, si loquamur de illa, quæ est propria odoratus tenuissima est, ut S. Augustinus dixerit, (1) *Odores cum absunt non requiro, paratus etiam eis semper carere*: vel vitiosa etiam esse potest, si quæratur more brutorum, quia excitat cognitionem & memoriam de re jucunda gustui vel tactui, non vero quia per se recreat cerebrum, vel habet admirabiles qualitates & differentias, qua solum ratione licite amari posse observavit Pallavicinus (2). Sin loquamur de delectatione propria auditus & visus, hæc pariter vel tenuissima est, vel fortasse nulla, nisi adsit vis intelligendi, ut Bruta ex dictis supra (§.46.) docent, & confirmant Ethici, qui cum Aristotele (3) negant circa voluptates olfactus visus & auditus versari virtutem temperantiæ. Sin tandem de illa, quæ est propria gustus & tactus, incidit in turpitudinem majorem vel minorem, statim ut sit in ea excessus aliquis, qui potest esse major vel minor, ut cum quis nimis indulget cibo vel potui: ergo delectatio sensilis potest evadere turpis.

308. Præterea delectatio gustus & tactus semper est *effugium doloris*, ut ait Plato (4), vel *medela indigentis*, ut loquitur Aristote-

X

(1) S. August. Conf. lib.10. cap.31.
(2) Pall.in 1.2. disp. 9. q. 1. art 4.n.5.
(3) Arist. Ethic. lib.3. cap. 10. juxta Maurum n.1.
(4) Plat. in Philebo post medium. Id. Phædro post duas tertias partes.

ſtoteles (1) & ſi loquamur de delectationibus ſordidioribus, ſunt etiam, ut ſtatuit Medicæ artis princeps Hipocrates apud Gellium, (2) *pars quædam morbi comitialis*: Omnes certe levamentum ſunt moleſtæ alicujus ſenſationis, cujus acrimoniam illæ extinguunt vel mitigant. Ideo enim homo poſt diurnam vigiliam amat ſomnum, quia eſt defatigatus: & accedit ad focos, vel ab illis angue pejus & cane recedit, quia gelu vel æſtu aduritur: & quærit cibum & potum, quia mordetur a fame & ſiti: & qui magis hujuſmodi moleſtis ſenſationibus ſubjacent, ut pueri juvenes & qui atra bile abundant, majori hujuſmodi voluptatum ſeu medicamentorum copia indigent. Atque hoc quidem modo verum eſt, quod Socrates apud Platonem admiratur, voluptatem & dolorem, etſi ſunt inter ſe oppoſita, nihilominus (3) *quaſi ex eodem vertice eſſe ambo connexa*; Qui enim proſequitur voluptatem, jam fatetur dolore aliquo ſe teneri. Rationem iſtam remedii doloris alicujus ineſſe in ſingulis ſenſilibus delectationibus guſtus & tactus minus advertimus, partim quia aſſuevimus a nativitate, partim quia hujuſmodi dolorum principiis datum eſt facile obſtare. Quod quando nobis caſu aliquo non liceat, tunc enim vero illorum acerbitatem ſentimus, ut niſi Eſau ex gula illius rufi pulmenti, quod coxerat Jacob, & ex contemptu ſuæ primogenituræ, ſed ex veritate potuiſſet dicere, (4) *En morior, quid mihi proderunt primogenita?* nullo modo reprehenſus fuiſſet, quod illa pro lentis edulio vendidiſſet, quandoquidem ſcriptum eſt, eſſe (5) *ſagittas famis peſſimas*.

309. I. Objicitur. Voluptas guſtus non eſt medela ullius moleſtæ ſenſationis; Nam experimur ſaccarum delectare palatum, etiamſi nec amaritie nec fame laboremus: ergo falſum eſt omnem delectationem ſenſilem eſſe remedium alicujus prçviæ moleſtiæ.

Reſp. diſtin. antec. Voluptas guſtus non eſt medela directa moleſtæ ſenſationis, conc. antec., non eſt medela indirecta, nego antec., & eadem diſtinctione excipio conſequens. Sic autem diſtinctionem declaro. Guſtus eſt nomen, quod ſignificat ſpeciem tactus limitati ad ſolum os animalis, per quem tactum anima conjuncta corpori excitatur ad quamdam ideam ſibi efformandam, quam nomine ſaporis explicamus. Hujuſmodi ſenſum hominibus conceſſum eſſe non jam propter voluptatem, qua immediate & directe ex eo afficimur, ſed propter illam, quæ medetur

(1) Ariſtot. Ethic. lib. 7. cap. 14. juxta Maurum n. 7.
(2) Gell. Noc. Att. lib. 19. cap. 2.
(3) Plato in Phædone circa principium.
(4) Geneſ. 25. 32.
(5) Ezech. 5. 16.

tur stomacho languenti propter esuriem, suadetur, quia voluptas propria gustus tum maxime quæritur, quando accedat fames & sitis. Has tolle, & satietatem suppone, jamque quivis helluo pavonem rhombumque, quivis potator Setinum Falernumque, ipsi pueri quævis bellaria fastidient. Hinc saturi coqui dapes, & cellarii vina libant tantummodo, non ingerunt stomacho, & fortasse nec possunt, siquidem vel nulla in his circumstantiis voluptas est ne in gustu quidem, vel certe brevissima, quia eam illico stomachus abhorret.

310. II. Objicitur, Non desunt, qui famem & sitim aliasque sensationes molestas amant & studiose procurant, ut iis fruantur voluptatibus, quæ dicuntur esse talium affectionum medicamenta: ergo optabilius est saltem per aliquos habere simul hujusmodi molestias, & oppositas illis voluptates, quam utrisque carere: ergo falsum universaliter est naturam, quæ non est capax delectationis sensilis feliciorem esse illa, quæ hujusmodi delectationis capax est, etsi aliunde capax sit delectationis intellectualis.

Resp. cum Pallavicino (1) dist. antec. Non desunt, qui famem aliasque similes molestias amant & procurant, vel ratione signi de bona sua valetudine, vel ratione alicujus gravioris animi cruciatus, quem patiuntur, conc. antec,: Non desunt, qui eas ament & procurent ratione sui, nego antec., & distin. consequens. Optabilius est pati sensationes illas, & simul frui oppositis voluptatibus, quam utrisque carere, & simul subjici graviori alicui animi dolori, conc., aliter nego tum hanc, tum ulteriorem conseqm, Si bene igitur inspiciamus rationem directam, quare hujusmodi molestas sensationes quis vel appetat, vel sibi gratuletur, inveniemus in horum alterutro positam esse, vel quia intelligit, illas utpote necessarias ad vitam esse argumentum bonæ corporis habitudinis, vel quia vim interni alicujus doloris expertus est per abundantem cibum & potum retundi, quatenus mentis vis per crapulam & ebrietatem ita opprimitur, ut ad mali cujusvis conscientiam impotens omnino reddatur. His rationibus deficientibus abhorret quisque tamquam a morbo, a furenti hydropicorum siti, & insaturabili Erisictonis fame, de quo est Ovidii (2) fabula.

311. III. Objicitur. Voluptates visus & auditus sunt voluptates sensiles, eæque vehementissimæ, nec ullius molestiæ medicamentum: ergo hæ saltem voluptates postponi non possunt omni delectationi intellectuali, ex eo quod tenues sint, & doloris medicamentum.

(1) Pall. del Bene lib. 4. cap. 16. (2) Ovid. 8. Metam.

Resp. dist. primam anteced. partem, Voluptates visus & auditus sunt voluptates sensiles, quatenus ex his sensibus natura animata, quae simul sit intelligens, haurit voluptatem, conc. hanc partem: quatenus ex his sensibus natura animata, quae sit solum cognoscens, non vero intelligens haurit voluptatem, nego suppositum, & omissis reliquis partibus, nego conseqm. Dico igitur juxta superius etiam (§. 45.) dicta, voluptatem visus & auditus omnem esse intelligentis facultatis, & in acquisitione novae alicujus cognitionis sitam esse; Fac enim objecta horum sensuum nullam excitare in anima novam scientiam, aut illam non renovare quodammodo, quae minus vivida propter diuturnitatem temporis evaserit, jam cessat omnis voluptas, quin immo accedet etiam gravissima molestia. Dulcis certe est musicus concentus, & bis etiam repetitus placet, sed si saepius, jam ingratus etiam esse potest. Jucundissima est perlustratio pinacothecae, non tamen illi, qui eam jam saepius observavit, & si in ea claudatur, molesta etiam erit, non secus ac carcer. Quid plura? In cognitione, quae acquiritur per oculos & aures, sitam esse voluptatem visus & auditus, luculenter suadet Sanctus Augustinus rogans, (1) *Quid voluptatis habet videre in laniato cadavere, quod exhorreas, & tamen sicubi jaceat, concurrunt... ad noscendi scilicet libidinem*. Quae pariter interrogatio cadere potest in simili concursu illuc, unde tristes veniant ululatus, & inconditi clamores.

312. Omissum autem fuit, quod voluptates visus & auditus afferuntur esse vehementissimae, quia si voluptates sunt, sensiles omnino non sunt, & ad intelligentiam pertinent, nec proinde comparandae cum sensilibus, utpote diversi generis ad colligendam unius supra alteram vehementiam. Ceterum siquae voluptates auditus sunt, quae vehementes aliquando saltem evadant, erunt illae, quae nascantur a cantu & sono. At cantus gratus quidem est, quando conjungitur cum verbis objicientibus menti sensum aliquem, cujus recordatio vel contemplatio sit jucunda, ut accidit in hymnis, quibus Deus in templis maxime colitur, vel in illis, in quibus heroes in theatris celebrantur: Sed quoniam hujusmodi cantus delectationi mentis manifeste famulatur, non potest huic praeponi. Quando vero cantus sejunctus sit ab omni intelligentia, vel quia verba male exprimantur, vel quia eorum significatio obscura est, jam ille reducitur ad sonum. Hic autem placet, vel quia cantui inservit, quem adjuvat, & sustinet, jamque ipsius voluptas est propter illam cantus, quae ex dictis ordinata est ad illam mentis: vel placet, quia excitat ideas laeti-tiae,

(1) S. Aug. Conf. lib. 10. cap 35. n. 55.

tiæ, & commovet utiles & jucundas affectiones, ad quas ex instituto ordinatur, ut cum instrumenta musica perstrepunt in festis & in castris; potest enim sonus dirigi ad tristitiam & luctum, ut cum campanæ pulsantur incendii vel funeris caussâ, atque tunc perturbatur anima, non delectatur: sed quando sonus animæ blandiatur, jam illius delectatio cum explicet suam ordinationem ad illam spiritus, non est hâc potior, vel placet, quia conformatur naturali fibrarum temperamento, quarum participata commotio grata est, atque si paulo diuturnior sit, molesta evadit, nec communis est omnibus hominibus; Nonne enim crepitaculi tinnitus, qui aures puerorum mulcet, obtundit illas virorum? vel tandem placet, quia celeres motus & mutationes & similitudines cum aliis notis sonis, & profundam artem animadvertimus; sed in his apparent dumtaxat operationes mentis, quibus oblectamur, & plaudimus, aliquando quidem optimo jure, sed sæpe etiam per errorem & præjudicia, ut luculenter observat & exponit Pluche (1). Simili ratione revocantes ad examen voluptates visus, inveniemus illas, quæ intensiores sunt, spectare ad intelligentiam.

313. Omissum etiam fuit, quod voluptates visus & auditus, quatenus dici aliquo modo possunt sensiles, non sint molestæ alicujus affectionis remedium; nam in homine, qui jam adultus a potentia videndi & audiendi transit cum dolore ad cæcitatem & surditatem, esset magnum hujus molestiæ medicamentum posse saltem per intervalla aliquid videre aut audire: in iis vero, qui vel a nativitate vel a pueritia cæci sunt, deficit credo hujusmodi tristitia de privatione hujusmodi facultatis: certe non raro observavi hujusmodi homines plenos constanti hilaritate, quod confirmat voluptatem visus propriam esse mentis, qua facile patitur cæcus a nativitate se carere, non secus ac homines vulgares non moleste habent suam in omni literarum genere perfectam ignorantiam. Idemque dico de simili aliquorum surditate.



SE-

(1) Plu. Spect. de la nat. tom. 7. Entr. 18. Professions instructives.

SECTIO X.

De Bono Utili.

PROPOSITIO.

Bonitas utilitatis præsupponit in re utili intrinsecam bonitatem honestatis naturalis : sed non est quid ipsi rei intrinsecum.

314. Rima pars probatur. Bonitas utilitatis dicit convenientiam, seu aptitudinem unius rei ad obtinendum aliquem finem (§.52.): ergo bonitas utilitatis præsupponit rem habere in se & intrinsece perfectionem aliquam suæ naturæ convenientem, per quam habet illam aptitudinem ad obtinendum aliquem finem : sed rem habere in se & intrinsece perfectionem aliquam suæ naturæ convenientem, est rem habere bonitatem transcendentalem, vel honestatis naturalis (§.11.) : ergo si bonitas utilitatis præsupponit rem habere in se & intrinsece perfectionem aliquam suæ naturæ convenientem, præsupponit bonitatem transcendentalem, vel honestatis naturalis.

315. Secunda pars I. sic probatur. Bonitas utilitatis dicit convenientiam rei ad finem: sed convenientia rei ad finem dicit bonitatem finis : ergo bonitas utilitatis dicit bonitatem finis : Atqui bonitas finis est quid ipsi rei extrinsecum; nam finis non est quid rei intrinsecum: ergo bonitas utilitatis est quid ipsi rei extrinsecum. Hinc quam ægrotus utilem dicit medicinam, quæ habet in se vim expellendi pravos humores, eamque sollicite quærit, inutilem quin immo noxiam sibi dicit sanus, qui non indiget hac purgatione.

II. Appetitus tendit in bonum utile, non ut in illo sistat, sed ut per illud alind quid assequatur tamquam finem, quod aliter dicitur, voluntatem appetere utile non propter se seu ut finem, sed propter aliud seu ut medium : ergo utile accipit rationem boni a bonitate finis sibi extrinseca. Confirmatur ex authoritate. Sanctus Augustinus dicit, (1) *proprie honestum dicitur, quod propter se ipsum*

(1) S. Aug. lib. 83. qu. q. 30.

ipsum expetendum est, utile autem quod ad aliud referendum est. Et S. Thomas (1), *Utilia*, inquit, *dicuntur, quæ non habent in se, unde desiderentur, sed desiderantur solum, ut sunt ducentia in alterum*. Bonum igitur utile differt quam maxime a bono honesto & bono delectabili, quia illud non habet ex se & in se convenientiam respectu appetentis, ratione cujus sit bonum quoddam; sicuti in se habent tam bonum honestum quam delectabile, sed habet a fine tamquam a forma & ratione, ob quam est diligibile.

316. Objicitur. Bonum aliquod utile habet in se propriam convenientiam vel cum natura vel cum ratione, propter quam convenientiam est bonum: ergo non omne bonum utile accipit ab extrinseco suam bonitatem.

Resp. dist. antec. Bonum aliquod utile habet in se convenientiam, propter quam est bonum vel honestum vel delectabile, conc. antec., propter quam est bonum utile, nego antec., & conseqm. Bene Suarez hic dicit, (2) *quod inter bona utilia quædam esse possint honesta, alia vero delectabilia, solum materialiter contingit, in quantum hæ rationes boni in eadem re conjungi possunt, immo & se invicem denominare; nam & honestas & delectatio utilis esse potest ad salutem vel animæ vel corporis, & utilitas ipsa honesta esse potest.*

317. Tullius & ii, quos ipse citat & sequitur præsertim lib. 3. de Officiis, dum pluribus contendunt nihil esse utile, quod simul honestum moraliter non sit, confusionem quamdam in hac re pepererunt. Ex una enim parte passim occurrunt exempla eorum, qui suum commodum posthabita omni honestate procurant, ut patet in venditoribus qui vitia rerum, quas vendunt, dissimulant, in furibus qui aliena sibi usurpant, & in aliis sexcentis, in quibus amplissima Juris scientia versatur. Hi omnes, dum hæc sibi vendicant, vel ut in illis conquiescant, vel ut illis utantur tamquam mediis ad vitam etiam voluptariam ducendam, profecto palam faciunt bonum utile non esse necessario conjunctum cum honesto: ex alia vero parte, cum repugnet hominem, qui secundum suam naturam rationalem operatur, intendere finem, a quo absit moralis honestas, jam conficitur, in ipsum non cadere aliud bonum utile, nisi illud quod simul sit honestum: ergo saltem relate ad hominem, qui prout suæmet naturæ rationali convenit, se gerit, nihil est utile, quod non sit

(1) S. Thom. 1. p. quæst. 5. artic. 6. ad 2.

(2) Suar. Metaph. disput. 10. sect. 2. num. 24.

sit honestum. Sed tota hæc controversia diluitur advertendo bonum utile dici respectu naturæ cognoscentis, quæ quid adhibet tamquam medium ad finem. Hoc modo relate ad hominem, prout secundum naturam cognoscentem operatur, finis potest esse bonum delectabile, quod unice respondeat ipsius appetitui sensitivo, & proinde bonum utile sejunctum erit ab omni morali honestate. Relate vero ad hominem, qui rationaliter procedat, bonum quidem utile est etiam semper honestum moraliter, quin tamen ne in hoc casu quidem ratio moralis honestatis aliter reperiatur in ratione boni utilis nisi materialiter juxta propositam distinctionem.

SECTIO XI.

De Bono honesto delectabili & utili inter se comparatis.

PROPOSITIO

Bonum proprie dicitur, tam de bono honesto moraliter, quam de delectabili: sed primario de honesto moraliter, secundario de delectabili: de utili vero dicitur solum per analogiam.

ARTICULUS I.

De Adversantibus propositioni.

318. Ropositionis duæ primæ partes sunt contra Epicureos, qui ita primario bonum dici de bono delectabili volunt, ut in delectatione, & quidem illa quæ appetitui sensitivo respondet voluptas proprie dicta constituant præcipuum hominis bonum, (1) *fatentes*, Tullio authore, *se virtutis caussa nisi ea voluptatem acciret, ne manum quidem versuros fuisse*. Tantum præterea bonum in voluptate ponunt, ut in eo etiam collocent hominis felicita-

(1) Tull. de Fin. lib. 5. n. 31.

citatem, quando tamen careat omni animi perturbatione, quæ cum vehemens erumpat in animam ex timore Dei, hunc excutiunt; negata ejus Providentia, & animæ immortalitate, (1) *Ille est beatus*, sic unus ex his apud Tullium, *qui præsentibus voluptatibus fruitur, nec mortem nec Deos extimescit*: propter quas tantummodo duas caussas, scilicet (2) *ut pellatur mortis & religionis metus*, ex dictis etiam supra (§.153.), hortantur homines ut ad cognitionem naturæ studiose incumbant.

318. Qui ita sentiunt appellari poterant Aristippei ab Aristippo Cyrenæo, Socratis discipulo, illius sectæ authore, quæ Cyrenaica dicta est ab illius patria; Nam eidem, qui præcessit Epicurum integro sæculo, sæpe (3) tribuit Tullius hanc circa voluptatem opinionem, quam (4) *ejusmodi*, inquit, *esse judico*, *ut nihil homine videatur indignius*. Nihilominus Epicurei potius dicuntur, quia Epicuri industria, qui juxta Ricciolium (5) obiit ann. ante Christum 269, ætatis suæ 72, opinio hæc magis amplificata fuit, eamque reipsa amplexus est Mahometes cum suis, homo scilicet ut loquar cum Benedicto Pererio (6) *gente Agarenus, Arabs patria, genere obscuro, fortuna tenuissima, doctrina nulla, religione mixta ex paganismo judaismo & christianismo, qui circa annum Domini sexcentesimum* signum extulit Epicureismi, quod tanta terrarum pars sequitur.

319. Verum intercedunt alii & negant libidinosam philosophiam unquam ab Epicuro traditam. Quæ est in hac re lis antiquissima, multis pro utraque parte pugnantibus. Inter accusatores sunt Stoici, ex quibus celebris est Cleanthes Zenonis discipulus, ejusque in magisterio successor, qui ut habet Tullius (7), & luculentius exponit S. Augustinus (8) ad excitandum horrorem philosophiæ Epicuri ipsi coævi jubet suos auditores secum ipsos cogitare, pictam in tabula voluptatem, in solio sedentem ornatu regali, & circa eam virtutes ut ancillulas, quarum una vox esset natas se esse, ut illi servirent, nec aliud negotii se habere: Nonne fictio ipsa hujusmodi est, ut quemque qui naturam rationalem nondum penitus abjecerit, illius statim pudeat? Accusator est etiam Fabricius Licinius, qui referente Valerio Maximo audiens ex quo-

Y dam

(1) Id. Tusc. lib.3. n.17.
(2) Id. de Fin. lib.4. n.5.
(3) Id. de Fin. lib.2. num.13. & lib.5. n.7. & 25.
Id. de Offic. lib.3. n.33.
(4) Id. de Fin. lib.1. num.7. & lib.2. num.13.
(5) Ric. Chronol. tom.4.
(6) Per. Comm. in Dan. lib.8. ad c.7. v.23.
(7) Tull. de Fin. lib.2. n.21.
(8) S. Augustin. de Civit. lib. 5. cap.20.

dam Cinea Epicurum ipsi pariter coævum, sive ut verbis utar Valerii (1) *Athenienſem quemdam clarum ſapientia ſuadere ne quid aliud homines, quam voluptatis cauſa facere vellent, pro monſtro eam vocem accepit*. Est Tullius ipse, tum in citato primo de Finibus, tum in secundo, ubi dicit (2) *Epicurum teſtificari, ne intelligere quidem ſe poſſe, ubi ſit, aut quid ſit ullum bonum præter illud, quod cibo aut potione, & aurium delectatione, & obſcœna voluptate capiatur*: *nec* (3) *luxurioſorum vitam reprehendendam, niſi aut cupiant, aut metuant*: tum in Tusculanis, ubi ex ejusdem Philosophi libro de summo bono, (4) *fungens*, ut ait, *interpretis munere*, *nequis putet ſe fingere*, profert aperta voluptariæ disciplinæ dogmata, quæ quando Epicurus nolit intelligi, prout sonant, *tollenda* dicit *de libro*, *vel totus liber potius abiiciendus*; *eſt enim confertus voluptatibus*. Nec aliud ipse in hac quæstione temperamentum invenit, & repetit, nisi permittere, quod sit (5) *Epicurus homo minime malus*, *vel potius vir optimus*, sed qui satis constanter non loquatur, vel ita loquatur, ut nihil prorsus, vel quæ inter se pugnant dicat, ex quibus multa (6) recenset. Videri etiam possunt, quæ vehementer contra Epicurum iterum iterumque declamat Plutarchus (7), quibus subscribunt Card. Polignac (8), & recentiores quamplurimi citati a Valsecchio (9), iisque addo Jo: Baptistam Nogheram, qui putat (10) nullam interpretationem Epicuro faventem afferri posse ab eo, qui meminerit illum sustulisse a Deo providentiam, & ab homine spiritualitatem, & jam antea Batteus in suo *de Ethica Epicuri* Gallico Commentario laudato a Trevoltianis (11) ostenderat alias virtutes Epicurum non agnovisse, nisi quas suaderet spes lucri, amor voluptatis, & metus doloris.

320. Nihilominus pro Epicuro sunt Lu. Torquatus apud eumdem Tullium, qui postquam vehementer famam hujus Philosophi propugnavit (2), ejus in hac re doctrinam intelligens de delectatione, quæ nunquam sejuncta est ab honestate, concludit (13), *Clamat Epicurus non poſſe jucunde vivi, niſi ſapienter honeſte juſteque*

(1) Val. lib. 4. n. 10.
(2) Tull. de Fin lib. 2. n. 3.
(3) Id. ibid. n. 22.
(4) Id. Tusc. lib. 3. n. 18.
Id. de Fin. lib. 2. n. 24.
(5) Id. de Fin lib. 2. n 19.
(6) Id. Tusc. lib. 3. n 20., & lib. 5. n. 9. & 26.
Id. de Fin lib. 2. n. 28. & seq., & lib 5. n. 27
(7) Plut. Opusc Non posse suaviter viv.
Id. contra Colotem.
(8) Polign. Antilucr. lib. 1.
(9) Valſ. Fondamen. lib. 3. par. prim. cap. 9.
(10) Nog. Filos. del bello spir.
(11) Mem. de Trev. ann. 1758. art. 57. pag. 1349.
(12) Tull. lib. 1. de Fin. num. 9., & seq.
(13) Id. ibid n. 18.

quo vivatur. Erit qui pro eo commemoret ipsum Tullium, ubi eum vocat (1) *hominem asperum & durum*, qui etiam volebat, ut *in Phalaridis tauro sapiens diceret, quam suave est hoc! quam hoc non curo*! sed postquam vidimus quæ sit in aliis locis frequens ejus opinio, quis non dicat, ironice hic loqui. Seneca quidem pro eo occurrit, cujus est illud, (2) *Sancta Epicurus, & recta præcipit . . . non dico illius sectam flagitiorum magistram esse, sed illud dico, male audit, infamis est, & immerito*! Et Lactantius dicens, (3) *Epicurus summum bonum in voluptate animi esse censet*: Et Laertius (4), & alii veterum, quos sequuntur Pallavicinus (5), Io: Ciampoli (6), Marchettus (7), Mascardus (8), Paras (9), Ladvocatus (10), Thomas Creech in sua ad Lucretium a se interpretatione & notis illustratum quasi præfatione (11), & omnium maxime Bruckerus (12) post Gassendum (13), & Octavium Scarlattinum in suis quatuor libris *De Epicuro contra Epicureos* Italice editis Bononiæ ann. 1679. Quin immo ipsemet Epicurus visus est plane demonstrare habenda esse pro calumniis, quæ ad ejus infamiam dicuntur; Nam morti proximus epistolam ad Hermachum misit, in qua, ut refert Tullius, fatebatur, quod (14) *tanti morbi aderant vesicæ & viscerum, ut nihil ad eorum magnitudinem posset accedere. Compensabatur tamen cum his omnibus animi lætitia, quam capiebat memoria rationum inventorumque suorum*. Non omittam hic adnotare, quod Petrus Bayle (15) abusus est hujusmodi veterum interpretationibus & testimoniis faventibus Epicuri famæ & doctrinæ, ut suaderet contra communem sensum & ipsam evidentiam homines Epicureos sumpto hoc nomine pro Incredulis excellere iis virtutibus, quæ ad felicitatem Reipublicæ requiruntur.

321. II. Eædem propositionis partes sunt contra illos, qui delectationem quidem, non tamen quamcumque & multo minus Epicuream, sed illam quæ conveniat naturæ rationali, & tamquam ex radice exurgat ex operationibus moraliter honestis: constituunt pro præcipuo fine hujusmodi naturæ. Plato adduci inter veteres potest pro hac opinione, ubi loquens de bonis, quæ unice propter se eliguntur, affert exemplum (16) *gaudii & voluptatum*, *quæ*

(1) Tull. Tusc. lib. 2. n. 6. & lib. 5. n. 26.
(2) Sen. de Beata Vita cap. 13.
(3) Lac. lib. 3. Div. Instr cap. 7.
(4) Laer. de Vit. Philos. lib. 10.
(5) Pall. de Bene lib 4. cap. 23.
(6) Ciampol. Frammenti del Bene cap. 12.
(7) March. Terren. Beat. lib. prim. cap. prim.
(8) Masc. Tav. di Cebete p. 3. disc. 7.
(9) Par. Elem. des Metaphy. n. 201.
(10) Ladv. Diziou. art. Epicuro.
(11) Crech pag. 1.
(12) Bruck. Hist. Philos. par. 2. lib. 2. cap. 13.
(13) Gass. de Vita Episc. lib. 7.
(14) Tull. de Fin. lib. 2. n. 30.
(15) Bayl. Dict. art. Epicur. Remarq. D.
(16) Plat. de Rep. lib. 2. in principium.

quæ sine nocumento sunt, & quæ in posterum nihil præter gaudium allaturæ sint eas habenti. Pro eadem citari sine dubio debent, qui Epicuro professi sunt se adhærere secundum benignam ipsius interpretationem. Quæ hi dicant, habentur poetice nuper proposita a celebri Eduardo Young (1) mortuo anno 1765. ætatis suæ 81: philosophice autem jam olim a Torquato apud Tullium (2) in copiosa oratione pro Ethica Epicuri, in qua videas studiose deduci ad proprium commodum & animi oblectationem, tolerantiam laboris in militia aut studiis, constantiam in propositis, temperantiam in cupiditatibus, omnia demum quæ dicuntur fieri propter ipsorum honestatem. Ab his non differunt, qui propugnant omnem nostrum amorem esse simul immo principaliter amorem nostri; Quare velint nolint præponunt in ratione finis bono honesto bonum delectabile, quos solide & erudite confutat Andre (3).

322. III. Est contra Card. Pallavicinum, qui in Philosophia quidem morali universaliter statuit bonum primario dici de gaudio, in quo sitam esse voluit felicitatem, seu ut ajunt, ejusdem caussam formalem. Quare cetera & bonum ipsum honestum ad causas efficientes felicitatis revocavit. At in Theologia rem divisit pro duplici statu, in quo considerari natura rationalis creata potest, vel naturalis vel supernaturalis felicitatis. Atque pro primo statu excludit a ratione boni primarii delectationem ex eo, quod (4) *Non potest felicitas naturalis sita esse in delectatione; nam hæc supponit ante se possessionem boni, de quo delectamur. Quare non est felicitas, sed quies in felicitate*, proindeque concludit bonum primario dici de honesto, & definite de Scientia. Pro secundo vero hominis statu, felicitatis scilicet supernaturalis statuens illam consistere ex æquo in visione Dei, & ejus amore, qui simul est gaudium amantis, jam æquales partes in ratione boni dedit bono honesto & delectabili. Ratio quæ illum movit ad hujusmodi ex hac parte conclusionem est, quia antequam intelligatur creatura rationalis transformasse se affective in Deum bonum infinitum, intelligi non potest possidere bonum aptum ad felicitatem supernaturalem, quod requirit, ut ipsi sit redditum proprium. At quandoquidem illa quasi transformatio creaturæ in Deum competit potius intellectui clare illum intuenti, de quo dicitur, quod intelligendo fit omnia, non est in hac prius ratione sufficiens vis ad infirmandum illud ab ipso prius propositum argumentum, quo delectationi abstulit rationem primariam boni.

Sed

(1) You. Nuit 16. le plaisir.
(2) Tull. de Fin. lib. 1. num. 9. juxta Olivet.
(3) Andr. le Beau tom. 2. disc. Amour desinteresse.
(4) Pall. de Act. hum. lib. 1. n. 38.

323. Sed redeo ad ejusdem doctrinam circa diversos quasi gradus boni, quam tum in Philosophia tum in Theologia proposuit & propugnavit. Ibi ad examen revocans singula, quæ vulgo dicuntur bona respectu naturæ rationalis, excludit omnia a ratione boni in se præter hæc sex, (1) *esse*, *cognitionem*, *& gaudium*, tamquam bona physica ipsi intrinseca: & *amari*, *& honorari*, tamquam bona eidem extrinseca: & tandem *honeste agere*, quod est bonum diversi generis, scilicet morale: reliqua omnia dicit habere dumtaxat rationem boni utilis, seu medii ad sex prædicta. Porro ex his gaudium vult esse primarium bonum in se, quia gaudium est id, in quo omnis appetitus terminatur: deinde cognitionem seu scientiam, non quia hæc per se revera expetatur præcisa omni spe gaudii: sed quia nunquam accidit, ut gaudium scientiam non comitetur, quod idem sentit (2) de honestis operationibus & de amore ac honore. Ultimum tandem locum inter bona in se dat huic, quod est esse, non quia hoc ipsum per se solum sit expetibile, cum aliquando sit melius non esse quam esse, sed quia sine eo non subsistit expetibilitas gaudii, quod in tantum est expetibile, in quantum est in nobis, non extra nos.

ARTICULUS II.

Argumenta pro prima propositionis parte.

324. SIC arguo. Bonum proprie dicitur illud, quod habet rationem finis, seu quod natura rationalis potest vel solet appetere, ut in illo acquiescat: sed natura rationalis potest vel solet appetere tam bonum honestum moraliter quam bonum delectabile, ut in illis acquiescat: ergo. Minorem, quod pertinet ad bonum honestum, declarat communis non solum doctrina, sed etiam experientia hominum, qui in solo virtutum exercitio seu benefactis norunt se tandem acquiescere, ita ut extiterint Stoici, qui in earum acquisitione beatitudinem hominis collocarent, & Persius illos sequutus tamquam maximam pœnam imprecetur malis (3).

Virtutem videant, intabescantque relicta.

Quod enim vero plus nimio falsum est, quemadmodum planum fecit

(1) Idem del Bene lib.3. cap.36., & sequen.
Id ibid. lib.4. cap.4.
Id. de Act. hum. lib.1. n.13.

(2) Id. del Bene lib. primo cap. 11. & seq.

(3) Pers. Satyr.3.

fecit S. Augustinus, Stoicos reprehendens (1), quod eo modo tollerent ab actibus virtutum illam, quæ aliunde ipsis inerat saltem virtualis tendentia in Deum atque relatio, eosque proinde redderent materialiter tantum bonos, malos vero formaliter (§. 34.) Eamdem rursus penitus persuadet lex illa omnium animis quasi insculpta, quæ jubet bono honesto postponere quascumque delicias honores fortunas vitam ipsam, ita ut non solum omnia bona delectabilia velit negligi, si cum honestatis impendio acquirenda aut conservanda proponantur, sed etiam opposita mala vult fortiter tolerari, si hanc aliter non liceat retinere. Atque hujus legis factores quævis ætas, maxime vero illa, in qua sumus Christianæ Religionis exhibet abundanter.

325. Alteram autem minoris partem, quod bonum etiam delectabile appetat natura rationalis ut finem probant I. ii, qui ita abutuntur ratione, ut finem unicum sibi constituant in delectationibus, quas natura quidem animalis, non vero rationalis potest sic unice intendere propter seipsas, cujusmodi est voluptas in cibo & potu. Quare de culpa eos expostulat Pallavicinus (2), quin immo communiter Doctores juxta Vivam (3). II. multo magis eamdem probant, qui in hujusmodi delectationibus capiendis immoderati sunt, quasi ratio in illis sit ad excogitandos modos, quibus se ipsi infra bestiarum conditionem deprimant, quæ solum ad sufficientiam solent comedere: contra quos fusius agunt Theologi morales, agentes de Gula, vitio inter capitalia numerato, quia est veluti radix, ex qua variæ peccatorum species quodammodo pullulant. Ex quo apparere potest quanto jure damnata fuerit ab Innocentio XI. propositio octava, *Comedere & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini: quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.*

326. III. Eamdem probant ii, qui ita appetunt bona hujus vitæ, ut etsi pro insipientibus habeant illos, qui dicunt, (4) *beatum populum cui hæc sunt*, attamen ea non respuunt, quin immo quærunt & amant, putantes nihil naturæ suæ etiam ut rationali id dedecere ex opportunis rationibus, quas exponit Pallavicinus (5), & recentius urget Pluche (6) arguentes contra illos, qui vel vitium in horum prosequutione declamant contineri, vel saltem honestatem desiderant dignam nobilitate naturæ humanæ,

(1) S. Aug. lib. 19. de Civ. cap. 25.
(2) Pall in 1.2. disp. 9. q. 1. art. 4. n. 4. & seq.
(3) Viv. Thes. damn. ad 8. Innoc. XI. num. 6.
(4) Psal. 143.
(5) Pall. del Bene lib. 1. cap. 20. Id. ibid. lib. 1. cap. 34. & seq.
(6) Pluc. spett. de la nat. tom. 5. Do. de l'homme.

næ, quando hujusmodi bona sint tenuis momenti, ut florem contemplari aut olfacere, aquam gelidam sorbere & similia: quam opinionem vehementer propugnat Seneca statuens (1), *Multa quidem natura consentire, sed tam pusilla esse, ut non conveniat illis boni nomen*. Prætermissis Pallavicini rationibus contra istos esto hæc una pro cunctis, quod teste Apostolo illa Deus ipse (2) *præstet abunde ad fruendum*, scilicet *in Domino*, ut alibi dicit idem Apostolus (3), quod est juxta S. Augustini (4) doctrinam sæpius repetitam ita frui delectatione terrena, ut ea referatur ad finem ultimum, veram vitam, beatitatem æternam, quæ eodem definiente S Doctore est hominis bonum (5) *quo non est aliquid melius, quo pervenire homo possit, & quod non amittit invitus*. Ac de alterutra vel de utraque bonitate, honesta vel delectabili intelligendus est S. Thomas, (6) ubi dicit bonum importare habitudinem causæ finalis.

327. Objicitur. S. Ambrosius dicit bonum non esse, sed potius incommodum, quod (7) *ad delectationem præsentis* pertinet, bonumque statuit *nihil omnino esse, nisi quod deceat & honestum sit*: ergo bonum non dicitur proprie de bono delectabili saltem præsentis vitæ.

Resp. conc. antec., & dist. conseqs. Bonum non dicitur proprie de bono delectabili præsentis vitæ in sensu mystico S. Ambrosii, qui est aliorum Sanctorum, conc., aliter nego conseqm. Sensum mysticum apertissime sequitur ibi S. Doctor, cum dicat se rem istam definire *futurorum magis quam præsentium formula*, & quatenus *ad vitæ æternæ prosit gratiam*.

ARTICULUS III.

Argumenta pro secunda propositionis parte.

328. PRO II. propositionis parte bonum primario dici de honesto, & secundario de delectabili, fuit jam olim Tullius inquiens (8) *Natura nihil habet præstantius, nihil quod magis expetat quam honestum*: & alibi irascitur contra Epicurum (9) *quod cum*

(1) Senec. epist. 118.
(2) 1. Ad Timoth. cap. 6. v. 17.
(3) Ad Philem. ver. 20
(4) S. Aug. ad Honoratum epist. 140. alias 120. cap. 10. n. 27.
Id. de Doct. Christ. lib. 1. cap. 33. n. 37.
(5) Id. de Morib. Eccl. cap. 3. n. 5.
Id. Serm. 72. n. 7.
(6) S. Thom. 1. par. quæst. 5. art. 2. ad 3.
Idem lib. 1. contr. Gent. cap. 38. art 3.
(7) S. Amb. de Offic. cap. 9.
(8) Tull. Tusc. lib. 2. n. 20.
(9) Id. ibid. lib. 3. n. 20.

cum virtus maxime expetatur, ille a virtute summum bonum separavit. Sed quod pluris est, pro ea habetur S. Thomas affirmans, (1) *bonum per prius prædicatur de honesto, & secundario de delectabili*. Ea sic I. probatur. Constat exemplis in omni ætate frequentissimis aliquos ab honestate morali non dimoveri neque suppliciis neque præmiis. Ipsis etiam Ethnicorum temporibus dicebat Tullius (2) *Tanta vis honestatis est, tantumque ea rebus omnibus præstat & excellet, ut nullis nec suppliciis nec præmiis dimoveri possit ex eo, quod rectum esse decreverit*. Contra vero homines a voluptatibus retrahi sola etiam spe præmii, aut comminatione pœnæ evidens est quotidie in quavis non solum bene ordinata Rep., sed in ipsa etiam latronum societate: ergo honestas moralis majus bonum est quam delectatio: ergo de ipsa primario dicitur bonum.

329. II. Bonum primario dicitur de bono, quod potest esse ultimus terminus appetitus naturæ rationalis, quæ juxta rectam rationem moveatur: secundario vero de bono, quod non potest esse ultimus terminus appetitus naturæ, quæ juxta rectam rationem moveatur. Sed bonum honestum moraliter potest esse ultimus terminus appetitus naturæ, quæ juxta rectam rationem moveatur, non vero bonum delectabile: ergo bonum primario dicitur de bono honesto moraliter, secundario vero de bono delectabili.

330. Minoris secunda pars probanda primo est contra tales Epicureos, quales Mahometani, qui non solum summum bonum hominis pro hac vita ponunt in voluptate corporis, sed illud etiam, quod inaniter sibi promittunt post resurrectionem corporum ab ipsis pariter admissam, cujus stultitiæ testimonia ex Alcorano recitat & reiicit Lessius (3). Sic igitur arguitur. Illud bonum potest esse ultimus terminus appetitus naturæ, quæ juxta rectam rationem moveatur, quod non est bonum privans eam bono, cujus sola natura rationalis capax est, & cujus prosequutione distinguitur ipsius appetitus ab appetitu brutorum: sed solum bonum honestum moraliter est bonum, cujus sola natura rationalis capax est, & cujus prosequutione distinguitur ipsius appetitus ab appetitu brutorum: ergo. Declaratur magis argumentum hoc pacto. Appetere aliquid propter delectationem vel sensibilem, vel quæ ad sensibilem reducatur, est appetere more Brutorum, deficiendo ab usu rectæ rationis, quæ sibi procuret bonum rationalis operationis, quæ est bonum moraliter honestum; (4) *propter operationes enim institutor natu-*

(1) S. Thom. 1. par. quæst. 5. art. 6. ad 3.
(2) Tull. de Fin. lib. 4. n. 21.
(3) Less. de summ. bon. num. 12.
(4) S. Thom. 1. 2. q. 4. art. 2. ad 2.

naturæ delectationes (sensiles) *apposuit*, ut observat S. Thomas. & non contra instituit operationes propter sensilem delectationem, quod etiam fieri non potuisse suadet S. Doctor, quia inquit (1), *Delectatio consistit in quadam quietatione voluntatis: quod autem voluntas in aliquo quietetur, non est nisi propter bonitatem ejus, in quo quietatur*, quam rationem alibi (2) etiam repetit addens alias multas tum ibi, tum ubi paulo infra ex professo demonstrat (3) *felicitatem humanam non consistere in delectationibus corporalibus*: ergo bonum delectabile non solum in sensu Epicureorum, sed in nullo sensu potest esse ultimus terminus appetitus rationalis.

331. Confirmatur argumentum ex S. Augustino, qui enumeratis variis bonis in genere boni delectabilis dicit, (4) *peccatum admittitur, dum immoderata in ista inclinatione, cum extrema bona sint, meliora & summa bona deseruntur, tu Domine Deus noster, & Veritas tua, & Lex tua*: Quare alibi inculcat (5), *Homo rerum mortalium & fluentium nihil diligat, nihil per se appetendum putet, sed ad vitæ hujus atque officiorum necessitatem, quantum sat est usurpet utentis modestia, non amantis affectu*. Voluptarii aliter recusare non possunt vim hujus argumenti, nisi profitendo se non intelligere, quisnam sit sensus hujus nominis natura rationalis, per quam discernantur a brutis, uti revera faciunt, qui apud Tullium (6) *voluptatem primo dumtaxat expeti dicunt: deinde consuetudine quasi alteram naturam effici, qua impulsi multa faciunt nullam quærentes voluptatem*.

332. Eadem minoris pars probanda secundo est contra illos, qui Gaudium quod est delectationis species volunt esse præcipuum finem naturæ rationalis. Hos jam redarguit allata nuper S. Thomæ ratio, quod cum ideo aliquid naturæ rationali afferat gaudium, quia ipsi bonum est, non viceversa ideo bonum sit, quia affert gaudium, nequit gaudium esse præcipuus illius finis. Cujus rationis vis sic magis exponitur. Illud bonum potest esse ultimus terminus naturæ rationalis, ad quod acquirendum urget appetitus rationalis: Atqui gaudium non est actus appetitus rationalis urgens ad acquirendum ullum bonum, sed est actus, qui sequitur & significat bonum jam acquisitum: ergo gaudium nequit esse ultimus terminus appetitus rationalis.

333. Iterum sic arguitur. Illud bonum potest esse ultimus terminus naturæ rationalis, quod convenit illi ipsius quodammodo parti, per quam est formaliter rationalis: sed per intellectum natura

(1) Id. ibid. O.
Id. contr. Gent. lib.3. cap.26. n 6.
(2) Id. ibid. cap.27.
(3) S. Aug. Conf. lib.2. cap.5. n.10.
(4) Id. de Morib. Eccl. cap.21.
(5) Tull. de Fin. lib.5. n.25.

tura rationalis est formaliter rationalis, non vero per appetitum, qui ut intelligatur rationalis, intelligi debet directus a ratione, a qua proinde per quamdam quasi denominationem dicitur rationalis: ergo illud bonum potest esse ultimus terminus naturæ rationalis, quod convenit intellectui, non quod convenit appetitui: Atqui intellectui prout distinguitur a natura & ab ipsius appetitu non convenit delectatio: hæc enim significat quietem appetitus: ergo.

334. Tandem bonum primarium, est id, in quod ipsemet appetitus rationalis tendit tamquam in ultimum terminum, non id quod passive dumtaxat terminat ipsius motum: sed honestum est id, in quod appetitus rationalis tendit tamquam in ultimum terminum, (1) *Vocatur honestum* sic S. Thomas, *id quod appetitur, ut ultimum terminans totaliter motum appetitus, sicut quædam res in quam per se appetitus tendit*: Delectatio vero seu gaudium est id quod passive dumtaxat terminat motum appetitus: ergo honestum est bonum primarium, & non delectatio. Hoc argumentum est maxime opportunum contra illos, qui a ratione termini appetitus, quam inveniunt in delectatione, sinunt se pertrahi in contrariam nobis opinionem nolentes distinguere terminum, qui intenditur ab illo, qui jam est acquisitus.

ARTICULUS IV.

Argumenta contra Epicureos, & pro tertia propositionis parte.

335. Contra Epicureos speciatim sic arguit Plutarchus in Commentario, cujus titulus *Ne suaviter quidem vivi posse secundum Epicuri decreta*. Si Voluptas est summum hominis bonum tunc quando nullo Dei timore animus perturbetur, jam Voluptas nequit esse summum hominis bonum, vel longe minus bonum erit homini quam brutis; Nam homo vel nullo modo potest se liberare a timore Divinæ vindictæ pro tempore tum præsenti tum futuro, vel certe non potest ita se ab eo liberare, ut bruta non sint semper magis libera ac ipse est: ergo. Epicurei non solum credere debent (2) *Similiter pecudis & hominis idem bonum esse*, quod faciunt, ut illis exprobrat Varro apud Tullium, sed præterea majus esse bonum pecudis quam hominis? Quæ sunt apertissime falsa & stulta. Tullius ex eo etiam capite urget hoc argumentum, quod a vo-

(1) S. Th. 1. p. q.5. art.6. O. (2) Tul. Acad. lib.1. n.1.

a voluptatibus melius comparatæ sint bestiæ (1) *quibus ipsa terra fundit ex sese pastus varios, varieque abundantes nihil laborantibus: nobis autem vix aut ne vix quidem suppetunt multo labore quærentibus.* Quare Epicurei iterum adiguntur profiteri majus esse bonum pecudis quam hominis.

336. II. Contra eosdem idem Plutarchus, & copiosius Tschirnhausen (2) sic arguunt. Delectationem appetitus sensitivi esse majus bonum homini, quam delectationem appetitus rationalis falsum evincit intima hominum conscientia; quæ non raro manifesta fit externa mœstitia aut exultatione & aliis modis: Nonne qui cum Tobia cæcitatem incurrant, per quam impeditur illis honesta delectatio acquirendi novas cognitiones, quarum instrumentum præcipuum sunt oculi, dolent cum illo sublatum sibi esse gaudium quasi ex integro, (3) *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo & lumen Cæli non video?* Nunquid similis lamentatio audita unquam est ab iis, qui modico & vili cibo coguntur vivere? Compertum est referente Tacqueto (4) cum multis Pythagoram victimas Diis obtulisse ob inventum præclarum theorema de ratione, quam habet quadratum lateris majoris in triangulo rectangulo ad quadrata reliquorum laterum, quo universa Mathesis utitur frequentissime: non tamen novimus simile quid factum ab ullo qui potitus fuerit quacumque voluptate. Testis est Plutarchus (5) Eudoxum solitum dicere, dum sibi daretur soli propius accedere ad illius figuram speciem & magnitudinem cognoscendam, quemadmodum de Phaetonte narrant fabulæ, non recusaturum parem cum illo deinde mortem ex fulmine, At quis unquam certam mortem, nactus fuit pro quocumque convivio aut alia voluptare. *Quem rogat Tullius (6) deditum voluptatibus, cupiditatum incendiis inflammatum, in iis ponendis quæ acerrime concupivisset tanta lætitia perfundi arbitramur, quanta aut superiorem Africanum Annibale victo, aut posteriorem Carthagine eversa?* Illud addam his simile, quod minus antiquum est de Philippo II. Hispaniarum Rege, qui accepto per intempestam noctem nuncio de Antuerpia a suis tandem expugnata tanta affectus fuit lætitia, ut severitatis suæ plusquam Philosophicæ oblitus e cubili prosilierit, & ad filiæ Isabellæ cubiculum accurrens ejusque fores pulsans exclamaverit *Antuerpiam tenemus*. Quænam ad hujusmodi nuncium delectatio sensuum?

(1) Id. de Fin. lib. 2. n 34.
(2) Tsch. Medic. ment. par. 1. §. Dum in hac re.
(3) Tob. cap 7.
(4) Tac. Elem. Eucl. lib. 1. prop. 47.
(5) Plut Non vivi suaviter secundum Epic.
(6) Tull. de Fin. lib. 4. n. 24.

337. Frequentiora sunt exempla eorum qui ad theatra convolant, ubi ceteroqui norunt jam ex repetita experientia, pati opus esse situm incommodum, sudorem continuum, ipsum etiam aliquando luctum violenter expressum a ficto aliquo Belisario post triumphos emendicante, & similibus tragoediarum personis. Nonne hi plane demonstrant præferre se molestiæ sensibili oblectationem quam superior pars animæ experitur, vel ex cognitione quam acquirit aut renovat tot tantarumque rerum, quæ vivida ibi imitatione proponuntur ut verius dicitur, vel quod arbitrati sunt Castelvetrius in sua Poetica & Cartesius (1), ex animadversione probitatis nostræ quam deprehendimus in honestissima commiseratione erga eorum quos in heroum numero habemus calamitate. Multo fortasse frequentius idem ostendunt, qui ex literis cujuscunque generis etiam infimis ut ex lectione historiarum & fabularum tantam hauriunt suavitatem ut pigeat ab illis vacare ad reficiendas vires, & ad ipsum cibum capiendum quandoque urgendi etiam sint: (2) *Nonne videmus*, sic Tullius, *qui ingenuis studiis atque artibus delectantur, eos nec valetudinis nec rei familiaris habere rationem, omniaque perpeti ipsa cognitione & scientia captos?* nulla exclusa ne Metaphysica quidem, in cujus studio, quando Malebranches dixit (3) mens nullam percipit voluptatem, dixit quod ipsi Epicurei negabunt.

338. III. Illa delectatio est majus hominis bonum, quæ convenit potiori parti hominis: sed potior pars hominis est animus non corpus: ergo delectatio intellectualis quæ convenit animo, est majus hominis bonum quam delectatio sensilis quæ convenit corpori. Hoc argumentum utpote petitum a parte, per quam homo ut ait Aristoteles (4) *maxime homo est*, luculentius declarat stultitiam Epicureorum, qui tamen eo fortasse minus commovebuntur, nisi prius e luto materiæ, in quo fortasse sunt immersi, sinant se extrahi iis argumentis, quibus materiam non posse cognoscere alibi (5) demonstravi. Quibus quando se dedant, jam habebit locum ulterius argumentum Tullii (6) *Si sunt Dii* (nos dicamus puri spiritus) *ut vos etiam putatis, qui possunt esse beati, cum voluptates corpore percipere non possint? aut si sine eo genere voluptatis beati sunt, cur similem animi usum in sapiente esse nolitis?*

339. IV. Voluptas utpote (§ 306.) medicina malorum, quibus corpora animata naturaliter subjacent, non semper in promptu

(1) Cart. Epist. par. 1. ep. 8. juxta Maurum.
(2) Tull. de Fin. lib. 5. n. 18.
(3) Maleb. de inquis. verit. lib. 4. § 2.
(4) Arist. Eth. lib. 10. cap. 7. num. 11.
(5) De Ideis. n. 136. & seq.
(6) Tull. de Fin. lib. 2. n. 34.

ptu est aut facile parabilis quoties quis eam maxime vellet, quandoquidem a multis dependet externis adjunctis loci temporis occasionis objecti, neque constanter retinet rationem boni: retinet vero delectatio intellectualis, qualis præsertim cum animi cultura & scientiæ acquisitione conjungitur: eaque solum nec exilio nec carcere nec furum violentia nec tyrannorum inhumanitate separari a nobis penitus potest, sed tunc maxime opportune accurrit ad minuendas externas quasvis calamitates: ergo delectatio intellectualis potior est voluptate. Duo proxime facta argumenta adhibet etiam Benedictus Rogacci in suo *de optimo statu* tractatu (1) quem ipsemet dicit esse quasi epitomam librorum Hieronymi Plati *De bono status Religiosi*.

340. V. Si voluptas est potius bonum honesto, dicendum est insanire tum illos, qui pericula labores dolorem etiam pro patria & pro suis suscipiant, ut non modo nullam captent, sed etiam prætereant omnes voluptates, dolores denique quosvis suscipere malint, quam deserere ullam officii partem: tum illos qui hos laudant; sed hoc opponitur judicio non solum hominum omnium temporum, ut constat ex historiis & monumentis, sed ipsorum etiam Epicureorum, qui sibi maxime nocerent, si contrarium dicerent: ergo voluptas non est potius bonum honesto.

341. VI, Cum Tullio (2) Nemo sanæ mentis & multo magis alicujus nominis auderet pro concione dicere optimum in vita judicare voluptatem, omnia quæ facit cogitat contendit, ad hanc referre & hujus caussa perficere. Cum per se pateat hæc propositio, eadem confirmatur etiam primo ex eo, quod Tullio pariter observante (3) *consilium faciendi omnia voluptatis caussa esse honestum nemo dicit*. Secundo ex eo, quod juxta eumdem (4) *Voluptarii virtutes habent in ore totos dies*, aliter ex hominum coetu ejecti locum, nisi inter bestias non invenirent. Atqui nemo non audet pro concione dicere id, quod censet verum laudabile gloriosum; ergo si nemo auderet eo modo pro concione dicere pro voluptate, ne potest quidem eo modo de illa judicare. Quare vel insani vel mendaces fuerunt, qui ut idem Tullius refert (5) *voluptates gloriosas interdum dixerunt*, non tamen palam, sed inter se.

342. Tertia tandem propositionis pars probatur. Illud dicitur bonum dumtaxat per analogiam, quod dicitur bonum dumtaxat per denominationem a sibi extrinseca bonitate derivatam. Sed bonum utile dicitur bonum dumtaxat per denominationem a sibi extrin-

(1) Rog lib. 3. cap. 1.
(2) Tull. de Fin. lib. 2. n. 22.
(3) Id. ibid. lib. 5. n. 6.
(4) Id. ibid. lib. 5. n. 25.
(5) Id. ibid. lib. 4. n. 18.

quæ sine nocumento sunt, & quæ in posterum nihil præter gaudium allatura sint eas habenti. Pro eadem citari sine dubio debent, qui Epicuro professi sunt se adhærere secundum benignam ipsius interpretationem. Quæ hi dicant, habentur poetice nuper proposita a celebri Eduardo Young (1) mortuo anno 1765. ætatis suæ 81: philosophice autem jam olim a Torquato apud Tullium (2) in copiosa oratione pro Ethica Epicuri, in qua videas studiose deduci ad proprium commodum & animi oblectationem, tolerantiam laboris in militia aut studiis, constantiam in propositis, temperantiam in cupiditatibus, omnia demum quæ dicuntur fieri propter ipsorum honestatem. Ab his non differunt, qui propugnant omnem nostrum amorem esse simul immo principaliter amorem nostri; Quare velint nolint præponunt in ratione finis bono honesto bonum delectabile, quos solide & erudite confutat Andre (3).

322. III. Est contra Card. Pallavicinum, qui in Philosophia quidem morali universaliter statuit bonum primario dici de gaudio, in quo sitam esse voluit felicitatem, seu ut ajunt, ejusdem caussam formalem. Quare cetera & bonum ipsum honestum ad causas efficientes felicitatis revocavit. At in Theologia rem divisit pro duplici statu, in quo considerari natura rationalis creata potest, vel naturalis vel supernaturalis felicitatis. Atque pro primo statu excludit a ratione boni primarii delectationem ex eo, quod (4) *Non potest felicitas naturalis sita esse in delectatione; nam hæc supponit ante se possessionem boni, de quo delectamur. Quare non est felicitas, sed quies in felicitate*, proindeque concludit bonum primario dici de honesto, & definite de Scientia. Pro secundo vero hominis statu, felicitatis scilicet supernaturalis statuens illam consistere ex æquo in visione Dei, & ejus amore, qui simul est gaudium amantis, jam æquales partes in ratione boni dedit bono honesto & delectabili. Ratio quæ illum movit ad hujusmodi ex hac parte conclusionem est, quia antequam intelligatur creatura rationalis transformasse se affective in Deum bonum infinitum, intelligi non potest possidere bonum aptum ad felicitatem supernaturalem, quod requirit, ut ipsi sit redditum proprium. At quandoquidem illa quasi transformatio creaturæ in Deum competit potius intellectui clare illum intuenti, de quo dicitur, quod intelligendo fit omnia, non est in hac prius ratione sufficiens vis ad infirmandum illud ab ipso prius propositum argumentum, quo delectationi abstulit rationem primariam boni.

Sed

(1) You. Nuit 16. le plaisir.
(2) Tull. de Fin. lib. 1. num. 9. juxta Olivet.
(3) Andr. le Beau tom. 2. disc. Amour desinteressé.
(4) Pall. de Act. hum. lib. 1. n. 38.

323. Sed redeo ad ejusdem doctrinam circa diversos quasi gradus boni, quam tum in Philosophia tum in Theologia proposuit & propugnavit. Ibi ad examen revocans singula, quae vulgo dicuntur bona respectu naturae rationalis, excludit omnia a ratione boni in se praeter haec sex, (1) *esse*, *cognitionem*, *& gaudium*, tamquam bona physica ipsi intrinseca: & *amari*, *& honorari*, tamquam bona eidem extrinseca: & tandem *honeste agere*, quod est bonum diversi generis, scilicet morale: reliqua omnia dicit habere dumtaxat rationem boni utilis, seu medii ad sex praedicta. Porro ex his gaudium vult esse primarium bonum in se, quia gaudium est id, in quo omnis appetitus terminatur: deinde cognitionem seu scientiam, non quia haec per se revera expetatur praecisa omni spe gaudii: sed quia nunquam accidit, ut gaudium scientiam non comitetur, quod idem sentit (2) de honestis operationibus & de amore ac honore. Ultimum tandem locum inter bona in se dat huic, quod est esse, non quia hoc ipsum per se solum sit expetibile, cum aliquando sit melius non esse quam esse, sed quia sine eo non subsistit expetibilitas gaudii, quod in tantum est expetibile, in quantum est in nobis, non extra nos.

Articulus II.

Argumenta pro prima propositionis parte.

324. SIC arguo. Bonum proprie dicitur illud, quod habet rationem finis, seu quod natura rationalis potest vel solet appetere, ut in illo acquiescat: sed natura rationalis potest vel solet appetere tam bonum honestum moraliter quam bonum delectabile, ut in illis acquiescat: ergo. Minorem, quod pertinet ad bonum honestum, declarat communis non solum doctrina, sed etiam experientia hominum, qui in solo virtutum exercitio seu benefactis norunt se tandem acquiescere, ita ut extiterint Stoici, qui in earum acquisitione beatitudinem hominis collocarent, & Persius illos sequutus tamquam maximam poenam imprecetur malis (3).

Virtutem videant, intabescantque relicta.

Quod enim vero plus nimio falsum est, quemadmodum planum fecit

(1) Idem del Bene lib.3. cap.36., & sequen.
Id ibid. lib.4. cap.4.
Id. de Act. hum. lib.1. n.13.

(2) Id. del Bene lib. primo cap. 11. & seq.

(3) Pers. Satyr.3.

fecit S. Augustinus, Stoicos reprehendens (1), quod eo modo tollerent ab actibus virtutum illam, quæ aliunde ipsis inerat saltem virtualis tendentia in Deum atque relatio, eosque proinde redderent materialiter tantum bonos, malos vero formaliter (§. 34.) Eamdem rursus penitus persuadet lex illa omnium animis quasi insculpta, quæ jubet bono honesto postponere quascumque delicias honores fortunas vitam ipsam, ita ut non solum omnia bona delectabilia velit negligi, si cum honestatis impendio acquirenda aut conservanda proponantur, sed etiam opposita mala vult fortiter tolerari, si hanc aliter non liceat retinere. Atque hujus legis factores quævis ætas, maxime vero illa, in qua sumus Christianæ Religionis exhibet abundanter.

325. Alteram autem minoris partem, quod bonum etiam delectabile appetat natura rationalis ut finem probant I. ii, qui ita abutuntur ratione, ut finem unicum sibi constituant in delectationibus, quas natura quidem animalis, non vero rationalis potest sic unice intendere propter seipsas, cujusmodi est voluptas in cibo & potu. Quare de culpa eos expostulat Pallavicinus (2), quin immo communiter Doctores juxta Vivam (3). II. multo magis eamdem probant, qui in hujusmodi delectationibus capiendis immoderati sunt, quasi ratio in illis sit ad excogitandos modos, quibus se ipsi infra bestiarum conditionem deprimant, quæ solum ad sufficientiam solent comedere: contra quos fusius agunt Theologi morales, agentes de Gula, vitio inter capitalia numerato, quia est veluti radix, ex qua variæ peccatorum species quodammodo pullulant. Ex quo apparere potest quanto jure damnata fuerit ab Innocentio XI. propositio octava, *Comedere & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini: quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.*

326. III. Eamdem probant ii, qui ita appetunt bona hujus vitæ, ut etsi pro insipientibus habeant illos, qui dicunt, (4) *beatum populum cui hæc sunt*, attamen ea non respuunt, quin immo quærunt & amant, putantes nihil naturæ suæ etiam ut rationali id dedecere ex opportunis rationibus, quas exponit Pallavicinus (5), & recentius urget Pluche (6) arguentes contra illos, qui vel vitium in horum prosequutione declamant contineri, vel saltem honestatem desiderant dignam nobilitate naturæ humanæ,

(1) S. Aug. lib. 19. de Civ. cap. 25.
(2) Pall in 1. 2. disp. 9. q. 1. art. 4. n. 5. & seq.
(3) Viv. Thes. damn. ad 8. Innoc. XI. num. 6.
(4) Psal. 143.
(5) Pall. del Bene lib. 1. cap. 20. Id. ibid. lib. 1. cap. 34. & seq.
(6) Pluc. spett. de la nat. tom. 5. Domaine de l' homme.

næ, quando hujusmodi bona sint tenuis momenti, ut florem contemplari aut olfacere, aquam gelidam sorbere & similia: quam opinionem vehementer propugnat Seneca statuens (1), *Multa quidem natura consentire, sed tam pusilla esse, ut non conveniat illis boni nomen*. Prætermissis Pallavicini rationibus contra istos esto hæc una pro cunctis, quod teste Apostolo illa Deus ipse (2) *præstet abunde adfruendum*, scilicet *in Domino*, ut alibi dicit idem Apostolus (3), quod est juxta S. Augustini (4) doctrinam sæpius repetitam ita frui delectatione terrena, ut ea referatur ad finem ultimum, veram vitam, beatitatem æternam, quæ eodem definiente S Doctore est hominis bonum (5) *quo non est aliquid melius, quo pervenire homo possit, & quod non amittit invitus*. Ac de alterutra vel de utraque bonitate, honesta vel delectabili intelligendus est S. Thomas,(6) ubi dicit bonum importare habitudinem causæ finalis.

327. Objicitur. S. Ambrosius dicit bonum non esse, sed potius incommodum, quod (7) *ad delectationem præsentis* pertinet, bonumque statuit *nihil omnino esse, nisi quod deceat & honestum sit*: ergo bonum non dicitur proprie de bono delectabili saltem præsentis vitæ.

Resp. conc. antec., & dist, conseqs. Bonum non dicitur proprie de bono delectabili præsentis vitæ in sensu mystico S. Ambrosii, qui est aliorum Sanctorum, conc., aliter nego conseqm. Sensum mysticum apertissime sequitur ibi S. Doctor, cum dicat se rem istam definire *futurorum magis quam præsentium formula*, & quatenus *ad vitæ æternæ profit gratiam*.

ARTICULUS III.

Argumenta pro secunda propositionis parte.

328. PRO II. propositionis parte bonum primario dici de honesto, & secundario de delectabili, fuit jam olim Tullius inquiens (8) *Natura nihil habet præstantius, nihil quod magis expetat quam honestum*: & alibi irascitur contra Epicurum (9) *quod cum*

(1) Senec. epist. 118.
(2) 1. Ad Timoth. cap. 6. v. 17.
(3) Ad Philem. ver. 20
(4) S. Aug. ad Honoratum epist. 140. alias 120. cap. 10. n. 27.
Id. de Doct. Christ. lib. 1. cap. 33. n. 37.
(5) Id. de Morib. Eccl. cap. 3. n 5.
Id. Serm. 72. n. 7.
(6) S. Thom. 1. par. quæst. 5. art. 2. ad 3.
Idem lib. 1. contr. Gent. cap. 38. art 3.
(7) S. Amb. de Offic. cap. 9.
(8) Tull. Tusc. lib. 2. n. 20.
(9) Id. ibid. lib. 3. n. 20.

cum virtus maxime expetatur, ille a virtute summum bonum separavit. Sed quod pluris est, pro ea habetur S. Thomas affirmans, (1) *bonum per prius prædicatur de honesto, & secundario de delectabili.* Ea sic I. probatur. Constat exemplis in omni ætate frequentissimis aliquos ab honestate morali non dimoveri neque suppliciis neque præmiis. Ipsis etiam Ethnicorum temporibus dicebat Tullius (2) *Tanta vis honestatis est, tantumque ea rebus omnibus præstat & excellet, ut nullis nec suppliciis nec præmiis dimoveri possit ex eo, quod rectum esse decreverit.* Contra vero homines a voluptatibus retrahi sola etiam spe præmii, aut comminatione pœnæ evidens est quotidie in quavis non solum bene ordinata Rep., sed in ipsa etiam latronum societate: ergo honestas moralis majus bonum est quam delectatio: ergo de ipsa primario dicitur bonum.

329. II. Bonum primario dicitur de bono, quod potest esse ultimus terminus appetitus naturæ rationalis, quæ juxta rectam rationem moveatur: secundario vero de bono, quod non potest esse ultimus terminus appetitus naturæ, quæ juxta rectam rationem moveatur. Sed bonum honestum moraliter potest esse ultimus terminus appetitus naturæ, quæ juxta rectam rationem moveatur, non vero bonum delectabile: ergo bonum primario dicitur de bono honesto moraliter, secundario vero de bono delectabili.

330. Minoris secunda pars probanda primo est contra tales Epicureos, quales Mahometani, qui non solum summum bonum hominis pro hac vita ponunt in voluptate corporis, sed illud etiam, quod inaniter sibi promittunt post resurrectionem corporum ab ipsis pariter admissam, cujus stultitiæ testimonia ex Alcorano recitat & reiicit Lessius (3). Sic igitur arguitur. Illud bonum potest esse ultimus terminus appetitus naturæ, quæ juxta rectam rationem moveatur, quod non est bonum privans eam bono, cujus sola natura rationalis capax est, & cujus prosequutione distinguitur ipsius appetitus ab appetitu brutorum: sed solum bonum honestum moraliter est bonum, cujus sola natura rationalis capax est, & cujus prosequutione distinguitur ipsius appetitus ab appetitu brutorum: ergo. Declaratur magis argumentum hoc pacto. Appetere aliquid propter delectationem vel sensibilem, vel quæ ad sensibilem reducatur, est appetere more Brutorum, deficiendo ab usu rectæ rationis, quæ sibi procuret bonum rationalis operationis, quæ est bonum moraliter honestum; (4) *propter operationes enim institutor natu-*

(1) S. Thom. 1. par. quæst. 5. art. 6. ad 3.
(2) Tull. de Fin. lib. 4. n. 21.
(3) Less. de summ. bon. num. 12.
(4) S. Thom. 1. 2. q. 4. art. 2. ad 2.

naturæ delectationes (sensiles) *apposuit*, ut observat S. Thomas. & non contra instituit operationes propter sensilem delectationem, quod etiam fieri non potuisse suadet S. Doctor, quia inquit (1), *Delectatio consistit in quadam quietatione voluntatis: quod autem voluntas in aliquo quietetur, non est nisi propter bonitatem ejus, in quo quietatur*, quam rationem alibi (2) etiam repetit addens alias multas tum ibi, tum ubi paulo infra ex professo demonstrat (3) *felicitatem humanam non consistere in delectationibus corporalibus*: ergo bonum delectabile non solum in sensu Epicureorum, sed in nullo sensu potest esse ultimus terminus appetitus rationalis.

331. Confirmatur argumentum ex S. Augustino, qui enumeratis variis bonis in genere boni delectabilis dicit, (4) *peccatum admittitur, dum immoderata in ista inclinatione, cum extrema bona sint, meliora & summa bona deseruntur, tu Domine Deus noster, & Veritas tua, & Lex tua*: Quare alibi inculcat (5), *Homo rerum mortalium & fluentium nihil diligat, nihil per se appetendum putet, sed ad vitæ hujus atque officiorum necessitatem, quantum sat est usurpet utentis modestia, non amantis affectu*. Voluptarii aliter recusare non possunt vim hujus argumenti, nisi profitendo se non intelligere, quisnam sit sensus hujus nominis natura rationalis, per quam discernantur a brutis, uti revera faciunt, qui apud Tullium (6) *voluptatem primo dumtaxat expeti dicunt: deinde consuetudine quasi alteram naturam effici, qua impulsi multa faciunt nullam quærentes voluptatem*.

332. Eadem minoris pars probanda secundo est contra illos, qui Gaudium quod est delectationis species volunt esse præcipuum finem naturæ rationalis. Hos jam redarguit allata nuper S. Thomæ ratio, quod cum ideo aliquid naturæ rationali afferat gaudium, quia ipsi bonum est, non viceversa ideo bonum sit, quia affert gaudium, nequit gaudium esse præcipuus illius finis. Cujus rationis vis sic magis exponitur. Illud bonum potest esse ultimus terminus naturæ rationalis, ad quod acquirendum urget appetitus rationalis: Atqui gaudium non est actus appetitus rationalis urgens ad acquirendum ullum bonum, sed est actus, qui sequitur & significat bonum jam acquisitum: ergo gaudium nequit esse ultimus terminus appetitus rationalis.

333. Iterum sic arguitur. Illud bonum potest esse ultimus terminus naturæ rationalis, quod convenit illi ipsius quodammodo parti, per quam est formaliter rationalis: sed per intellectum na-

 tura

(1) Id. ibid. O.
Id. contr. Gent. lib. 3. cap. 26. n. 6.
(2) Id. ibid cap. 27.
(3) S. Aug. Conf. lib. 2. cap. 5. n. 10.
(4) Id. de Morib. Eccl. cap. 21.
(5) Tull. de Fin. lib. 5. n. 25.

tura rationalis est formaliter rationalis, non vero per appetitum, qui ut intelligatur rationalis, intelligi debet directus a ratione, a qua proinde per quamdam quasi denominationem dicitur rationalis: ergo illud bonum potest esse ultimus terminus naturæ rationalis, quod convenit intellectui, non quod convenit appetitui: Atqui intellectui prout distinguitur a natura & ab ipsius appetitu non convenit delectatio: hæc enim significat quietem appetitus: ergo.

334. Tandem bonum primarium, est id, in quod ipsemet appetitus rationalis tendit tamquam in ultimum terminum, non id quod passive dumtaxat terminat ipsius motum: sed honestum est id, in quod appetitus rationalis tendit tamquam in ultimum terminum, (1) *Vocatur honestum* sic S. Thomas, *id quod appetitur, ut ultimum terminans totaliter motum appetitus, sicut quædam res in quam per se appetitus tendit*: Delectatio vero seu gaudium est id quod passive dumtaxat terminat motum appetitus: ergo honestum est bonum primarium, & non delectatio. Hoc argumentum est maxime opportunum contra illos, qui a ratione termini appetitus, quam inveniunt in delectatione, sinunt se pertrahi in contrariam nobis opinionem nolentes distinguere terminum, qui intenditur ab illo, qui jam est acquisitus.

Articulus IV.

Argumenta contra Epicureos, & pro tertia propositionis parte.

335. Contra Epicureos speciatim sic arguit Plutarchus in Commentario, cujus titulus *Ne suaviter quidem vivi posse secundum Epicuri decreta*. Si Voluptas est summum hominis bonum tunc quando nullo Dei timore animus perturbetur, jam Voluptas nequit esse summum hominis bonum, vel longe minus bonum erit homini quam brutis; Nam homo vel nullo modo potest se liberare a timore Divinæ vindictæ pro tempore tum præsenti tum futuro, vel certe non potest ita se ab eo liberare, ut bruta non sint semper magis libera ac ipse est: ergo. Epicurei non solum credere debent (2) *Similiter pecudis & hominis idem bonum esse*, quod faciunt, ut illis exprobrat Varro apud Tullium, sed præterea majus esse bonum pecudis quam hominis? Quæ sunt apertissime falsa & stulta. Tullius ex eo etiam capite urget hoc argumentum, quod a vo-

(1) S. Th. 1. p. q. 5. art. 6. O. (2) Tul. Acad. lib. 1. n. 1.

a voluptatibus melius comparatæ sint bestiæ (1) *quibus ipsa terra fundit ex sese pastus varios, varieque abundantes nihil laborantibus: nobis autem vix aut ne vix quidem suppetunt multo labore quærentibus.* Quare Epicurei iterum adiguntur profiteri majus esse bonum pecudis quam hominis.

336. II. Contra eosdem idem Plutarchus, & copiosius Tschirnhausen (2) sic arguunt. Delectationem appetitus sensitivi esse majus bonum homini, quam delectationem appetitus rationalis falsum evincit intima hominum conscientia; quæ non raro manifesta fit externa mœstitia aut exultatione & aliis modis: Nonne qui cum Tobia cæcitatem incurrant, per quam impeditur illis honesta delectatio acquirendi novas cognitiones, quarum instrumentum præcipuum sunt oculi, dolent cum illo sublatum sibi esse gaudium quasi ex integro, (3) *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo & lumen Cæli non video?* Nunquid similis lamentatio audita unquam est ab iis, qui modico & vili cibo coguntur vivere? Compertum est referente Tacqueto (4) cum multis Pythagoram victimas Diis obtulisse ob inventum præclarum theorema de ratione, quam habet quadratum lateris majoris in triangulo rectangulo ad quadrata reliquorum laterum, quo universa Mathesis utitur frequentissime: non tamen novimus simile quid factum ab ullo qui potitus fuerit quacumque voluptate. Testis est Plutarchus (5) Eudoxum solitum dicere, dum sibi daretur soli propius accedere ad illius figuram speciem & magnitudinem cognoscendam, quemadmodum de Phaetonte narrant fabulæ, non recusaturum parem cum illo deinde mortem ex fulmine, At quis unquam certam mortem, pactus fuit pro quocumque convivio aut alia voluptate. *Quem rogat Tullius* (6) *deditum voluptatibus, cupiditatum incendiis inflammatum, in iis ponendis quæ acerrime concupivisset tanta lætitia perfundi arbitramur, quanta aut superiorem Africanum Annibale victo, aut posteriorem Carthagine eversa?* Illud addam his simile, quod minus antiquum est de Philippo II. Hispaniarum Rege, qui accepto per intempestam noctem nuncio de Antuerpia a suis tandem expugnata tanta affectus fuit lætitia, ut severitatis suæ plusquam Philosophicæ oblitus e cubili prosilierit, & ad filiæ Isabellæ cubiculum accurrens ejusque fores pulsans exclamaverit *Antuerpiam tenemus*. Quænam ad hujusmodi nuncium delectatio sensuum?

(1) Id. de Fin. lib. 2. n 34.
(2) Tsch. Medic. ment. par. 1. §. Dum in hac re.
(3) Tob. cap 7.
(4) Tac. Elem. Eucl. lib. 1. prop. 47.
(5) Plut Non vivi suaviter secundum Epic.
(6) Tull. de Fin. lib. 4. n. 24.

337. Frequentiora sunt exempla eorum qui ad theatra convolant, ubi ceteroqui norunt jam ex repetita experientia, pati opus esse situm incommodum, sudorem continuum, ipsum etiam aliquando luctum violenter expressum a ficto aliquo Belisario post triumphos emendicante, & similibus tragoediarum personis. Nonne hi plane demonstrant præferre se molestiæ sensibili oblectationem quam superior pars animæ experitur, vel ex cognitione quam acquirit aut renovat tot tantarumque rerum, quæ vivida ibi imitatione proponuntur ut verius dicitur, vel quod arbitrati sunt Castelvetrius in sua Poetica & Cartesius (1), ex animadversione probitatis nostræ quam deprehendimus in honestissima commiseratione erga eorum quos in heroum numero habemus calamitate. Multo fortasse frequentius idem ostendunt, qui ex literis cujuscunque generis etiam infimis ut ex lectione historiarum & fabularum tantam hauriunt suavitatem ut pigeat ab illis vacare ad reficiendas vires, & ad ipsum cibum capiendum quandoque urgendi etiam sint: (2) *Nonne videmus*, sic Tullius, *qui ingenuis studiis atque artibus delectantur, eos nec valetudinis nec rei familiaris habere rationem, omniaque perpeti ipsa cognitione & scientia captos?* nulla exclusa ne Metaphysica quidem, in cujus studio, quando Malebranches dixit (3) mens nullam percipit voluptatem, dixit quod ipsi Epicurei negabant.

338. III. Illa delectatio est majus hominis bonum, quæ convenit potiori parti hominis: sed potior pars hominis est animus non corpus: ergo delectatio intellectualis quæ convenit animo, est majus hominis bonum quam delectatio sensilis quæ convenit corpori. Hoc argumentum utpote petitum a parte, per quam homo ut ait Aristoteles (4) *maxime homo est*, luculentius declarat stultitiam Epicureorum, qui tamen eo fortasse minus commovebuntur, nisi prius e luto materiæ, in quo fortasse sunt immersi, sinant se extrahi iis argumentis, quibus materiam non posse cognoscere alibi (5) demonstravi. Quibus quando se dedant, jam habebit locum ulterius argumentum Tullii (6) *Si sunt Dii* (nos dicamus puri spiritus) *ut vos etiam putatis, qui possunt esse beati, cum voluptates corpore percipere non possint? aut si sine eo genere voluptatis beati sunt, cur similem animi usum in sapiente esse nolitis?*

339. IV. Voluptas utpote (§ 306.) medicina malorum, quibus corpora animata naturaliter subjacent, non semper in promptu

(1) Cart. Hist. par. 1. ep. 8.
(2) Tull. de Fin. lib. 5. n. 18.
(3) Maleb. de inquis. verit. lib. 4. § 2.
(4) Arist. Eth. lib. 10. cap. 7. num. 11. juxta Maurum.
(5) De Ideis. n. 136. & seq.
(6) Tull. de Fin. lib. 2. n. 34.

ptu est aut facile parabilis quoties quis eam maxime vellet, quandoquidem a multis dependet externis adjunctis loci temporis occasionis objecti, neque constanter retinet rationem boni: retinet vero delectatio intellectualis, qualis præsertim cum animi cultura & scientiæ acquisitione conjungitur: eaque solum nec exilio nec carcere nec furum violentia nec tyrannorum inhumanitate separari a nobis penitus potest, sed tunc maxime opportune accurrit ad minuendas externas quasvis calamitates: ergo delectatio intellectualis potior est voluptate. Duo proxime facta argumenta adhibet etiam Benedictus Rogacci in suo *de optimo statu* tractatu (1) quem ipsemet dicit esse quasi epitomam librorum Hieronymi Plati *De bono status Religiosi*.

340. V. Si voluptas est potius bonum honesto, dicendum est insanire tum illos, qui pericula labores dolorem etiam pro patria & pro suis suscipiant, ut non modo nullam captent, sed etiam prætereant omnes voluptates, dolores denique quosvis suscipere malint, quam deserere ullam officii partem: tum illos qui hos laudant; sed hoc opponitur judicio non solum hominum omnium temporum, ut constat ex historiis & monumentis, sed ipsorum etiam Epicureorum, qui sibi maxime nocerent, si contrarium dicerent: ergo voluptas non est potius bonum honesto.

341. VI. Cum Tullio (2) Nemo sanæ mentis & multo magis alicujus nominis auderet pro concione dicere optimum in vita judicare voluptatem, omnia quæ facit cogitat contendit, ad hanc referre & hujus caussâ perficere. Cum per se pateat hæc propositio, eadem confirmatur etiam primo ex eo, quod Tullio pariter observante (3) *consilium faciendi omnia voluptatis caussa esse honestum nemo dicit*. Secundo ex eo, quod juxta eumdem (4) *Voluptarii virtutes habent in ore totos dies*, aliter ex hominum coetu ejecti locum, nisi inter bestias non invenirent. Atqui nemo non audet pro concione dicere id, quod censet verum laudabile gloriosum; ergo si nemo auderet eo modo pro concione dicere pro voluptate, ne potest quidem eo modo de illa judicare. Quare vel insani vel mendaces fuerunt, qui ut idem Tullius refert (5) *voluptates gloriosas interdum dixerunt*, non tamen palam, sed inter se.

342. Tertia tandem propositionis pars probatur. Illud dicitur bonum dumtaxat per analogiam, quod dicitur bonum dumtaxat per denominationem a sibi extrinseca bonitate derivatam. Sed bonum utile dicitur bonum dumtaxat per denominationem a sibi extrin-

(1) Rog lib. 3 cap. 1.
(2) Tull. de Fin. lib. 2. n. 22.
(3) Id. ibid. lib. 5 n. 6.
(4) Id. ibid. lib. 5. n. 25.
(5) Id. ibid. lib. 4. n. 18.

trinseca bonitate derivatam; Nam dicitur bonum a fine (§.314.), bono scilicet vel honesto vel delectabili, ad quem tamquam medium ordinatur. Sic Viator negat bonum sibi esse currum, qui aliqua sui parte necessaria ad usum expers sit, & Bellator proiicit a se bombardam quantumvis accurate perfectam tamquam incommodum pondus, quoties materia tormentaria exhausta jam est nec amplius speratur: ergo.

343. Hinc cum homo utpote naturæ non sensibilis solum, sed etiam rationalis licite non possit habere pro fine ultimo delectationem sensilem, vel aliud quod non referat ad summum bonum, negat S. Augustinus bona terrena esse bona illi, qui malus sit in ipso usu talium bonorum, (1) *Aurum*, inquit, *argentum bonum est: sed si bene usus fueris: bene autem non uteris si malus fueris. Ac per hoc aurum & argentum malis malum est, bonis bonum est, non quia eos bonos facit, sed quia bonos invenit in bonum usum convertitur*. Idem jam antea fassus fuerat Plutarchus, & præclare in hunc modum declaraverat, (2) *Prudentia est id quod potest recte uti his, auro argento gloria valetudine divitiis robore pulchritudine: ac singula horum jucunda facit laudabilia utilia, cum sine hac inutilia sterilia damnosaque sint, & molestiam ac dedecus possidenti ea afferant:*

ARTICULUS V.

Objectiones contra secundam partem.

344. I. Objicitur. NON est universaliter verum, ideo naturam rationalem de aliquo delectari, quia illud est sibi bonum: ergo hoc modo non suadetur delectationem non esse bonum majus omni alio bono. Probatur antec. Si illud esset universaliter verum, jam dicendum esset famem & vulnera esse hominibus bona; Nam delectamur sentientes fame nos pungi, & contra tristamur, si statis temporibus a nobis non sentiatur. Similiter sicuti qui tactu etiam vehementi ferri & ignis in brachio vel crure animadvertit se non affici, luget tamquam de emortuis membris, ita contrario modo se habet, qui illis commovetur: sed ridiculum est dicere famem & vulnera esse homini bona: ergo illud non est universaliter verum.

Resp. nego antec. Ad probationem nego maj. quam ratio allata non suadet, quandoquidem delectatio, quam experimur ex fame & vulnere in objectis circumstantiis, non habet pro suo objecto famem, sed persuasionem ex illis utique molestis sensatio-

(1) S. Aug. serm. 72. n. 3. (2) Plut. de Fortuna.

tionibus quasi erumpentem de bono corporis habitu, in quo versamur juxta supra (§.310) dicta.

345. II. Objicitur. Bonum primarium est bonum, quo possesso natura rationalis quiescit: Sed bonum quo possesso natura rationalis quiescit, est gaudium: ergo gaudium est bonum primarium.

Resp. conc. maj. & nego min.; Nam imprimis hi termini bonum, quo possesso natura rationalis quiescit, est gaudium, videntur continere quamdam contradictionem: Gaudium enim nequit intelligi, nisi affectus quidam circa bonum possessum: ergo ante gaudium intelligitur jam possessio boni: ergo gaudium nequit esse ejus possessio, sive ut ajunt, finis quo.

346. Praeterea natura rationalis appetit, quod sibi magis convenit: magis autem sibi convenit operatio moraliter honesta respondens intellectui quam gaudium, quod pertinet ad voluntatem sive ad suum appetitum rationalem; Nam per operationem propriam intellectus, ut per claram boni objectivi cognitionem, intellectus seipsum similem illi vitaliter & intentionaliter reddens, se & totam naturam, cujus est potentia, in ipsum expetitum bonum quodammodo transformat: at per gaudium cum non sit nisi inclinatio quaedam naturae in bonum cognitum, ipsa non acquirit hujusmodi cum bono similitudinem & quasi in illud transformationem: ergo natura rationalis magis appetit operationem moraliter honestam, quam gaudium. Hinc doctrina illa profluit, quam non semel statuit Aristoteles ad felicitatem pertinere contemplatricem sapientiam seu cognitiones, quae non ordinantur ad bonum a se diversum, cujusmodi sunt in disciplinis actuosis seu practicis, sed quae sibi satis sint, cujusmodi sunt in disciplinis mere speculativis.

347. III. Objicitur. Semoto gaudio, & concessa scientia quantumvis recondita, naturam rationalem non posse esse beatam, suadent damnati Daemones, quibus quaevis fortasse Philosophiae mysteria aperta sunt: ergo gaudium est bonum unicum primarium & caeterorum finis.

Resp. dist. antec. Concessa est Damnatis scientia, quam expetunt vehementer, illa scilicet sita in visione intuitiva Dei, nego antec. alia, scilicet naturalis, conc. antec., vel omitto, & nego conseqam. Infelicitas naturae rationalis habetur necessario, deficiente possessione boni, quod appetit, sicut accidit in Damnatis.

348. IV Objicitur. Ita se habet bonum respectu felicitatis, sicuti se habet malum respectu infelicitatis: sed respectu infelicitatis *malum quo* est solus dolor; Hic enim est ipsa possessio mali: caete-

cætera antem mala, ut paupertas ignorantia morbi sunt *malum quod*, cum infelicitatem non inferant, nisi dolor accedat: ergo respectu etiam felicitatis *bonum quo* scilicet possesso quis est felix, est sola delectatio.

Resp. conc. maj., & nego min., quam affirmat quidem Pallavicinus (1) consequenter ad stabilitum in delectatione finem, sive bonum quo & in reliquis omnibus bonum quod. Verum cum etiam dolor sive animi cruciatus sit effectus necessario consequens possessionem mali, non vero ipsa possessio mali, sicuti simili modo probari potest, ac factum est de delectatione seu gaudio, reformatur objectio in confirmationem nostræ assertionis. Nec probatio adducta in argumento, quod quæ apprehenduntur tamquam *malum quod*, non inferant infelicitatem, nisi eadem sequatur dolor, evincit propositum; siquidem quando accidat, ut dolor non sequatur mala, quæ actu afficiant illum, qui ab eis abhorrebat, idem etiam fatebitur falso se putasse illa abhorrenda esse: sed perseverante judicio, quod ea sibi essent mala, quoties in se inciderent, necesse est sit infelix, dum in illis actu versatur, & ex hoc jam possesso malo tamquam caussa necesse est dolorem tamquam illius effectum experiatur.

149. Instat (2). Idem est dicere a natura rationali appetitur res illa, ac dicere natura rationalis gauderet de re illa: sed dicere natura rationalis gauderet de re illa, significat naturam rationalem ordinare rem illam ad gaudium: ergo etiam dicere a natura rationali appetitur res illa, significat naturam rationalem ordinare rem illam ad gaudium: ergo quicquid appetitur a natura rationali appetitur in ordine ad gaudium: ergo gaudium est primarium bonum, seu finis omnium bonorum. Argumentum confirmat, quia inquit, (3) *potiri & frui, quorum alterum possessionem, alterum vero gaudium significat, synonima sunt*.

Resp. conc. maj., & nego min. Nam natura rationalis appetit etiam bonum intellectus: intellectus autem non habet tamquam actum sibi proprium gaudere, sed intelligere. Melius itaque, si generaliter loqui velimus, dicetur, quicquid appetitur a natura rationali, appetitur in ordine ad sui perfectionem, quæ perfectio, cum relate ad ipsum appetitum sit gaudium, appeti potest etiam gaudium, sed relate ad alias potentias appeti debent, quæ singulis conveniant. Quod pertinet ad confirmationem, potiri & frui proprie synonima non sunt; dicitur enim etiam potiri morte, in qua volu-

(1) Pall. del Bene. lib. 2. cap. 52. n. 2.
(2) Id. Ibid. lib. 3. cap. 40.
(3) Id. Ibid. lib. 4. in fine cap. 21.

voluptas non habet locum; synonima tamen fieri posse, non est negandum nisi ab iis, qui tropos, & signate metonymiam, quæ hic intercedit, vellent ab oratione eliminare.

350. Instat iterum. Gaudium pertinet ad naturæ rationalis felicitatem, tamquam ipsius pars essentialis; neque enim ipsius felicitas concipi potest sejuncta a gaudio: ergo gaudium saltem est bonum æquali loco habendum, ac aliud quodvis bonum.

Resp. nego antec., cujus probatio non est ad rem; Quod enim felicitas non possit concipi sine gaudio, hoc non provenit ex eo quod gaudium constituat essentiam felicitatis, sed ex eo quod hoc pone semper sequatur felicitatem jam constitutam. Id suadent qui cum S. Thoma propugnant essentiam cælestis Beatitudinis consistere in sola Visione Dei, inter quos videri potest Sylvester Maurus (1), apud quem invenio expeditam etiam solutionem eorum, quæ ex eodem Pallavicino ulterius possent objici. Mihi satis est ita sentire S. Thomam, qui uniformiter ad alia loca supra allata, expressius alibi sic dicit, (2) *Non ipsa delectatio, quæ sequitur bonum perfectum, est ipsa essentia beatitudinis, sed quoddam consequens ad ipsam*: Et infra in delectatione admittit quidem rationem boni, non illius tamen quod sit finis ultimus, quia (3) *delectatio est appetibilis propter aliud idest propter bonum, quod est delectationis objectum*.

351. V. Objicitur. Gaudium seu delectatio est bonum primarium, si bonum ipsum honestum necessario expetatur etiam propter delectationem: Sed ita est. Probatur minor. Ad rationem boni honesti pertinet esse appetibile; Nam esse appetibile ita est connexum cum ratione cujuscumque boni, ut multi ex dictis (§. 76.) definierint bonum in genere per appetibilitatem. Esse autem appetibile idem est ac esse hujusmodi ut placeat: Et quod est hujusmodi ut placeat, tale est, ut necessario expetatur propter delectationem: ergo bonum ipsum honestum necessario expetitur etiam propter delectationem.

Resp. conc. maj. & nego min. Ad hujus probationem conc. primam soritis propositionem, & dist. secundam, esse appetibile idem est ac esse hujusmodi ut placeat, sumpto hoc verbo placet in significatione delectationis vel approbationis aut æstimationis, quæ a bono proposito immediate in anima excitetur, concedo: sumpto hoc verbo placet in significatione solius delectationis, quæ in nobis immediate & directe a quovis bono excitetur, nego hanc

 pro-

(1) Maur. quæst. Theol. tr. de Beatit. qu. 5.

(2) S. Tho. 1. 2. qu. 2. art. 6. O.

(3) Id. Ibid. ad 1.

propositionem, & cadunt reliqua. Observavit jam Yvo Andre (1) hanc objectionem habitam ab aliquibus tamquam demonstrationem primatus delectationis in ratione boni supra ipsam honestatem esse miserabile sophisma innitens æquivoco verbi placet, quod ad significationem delectandi determinatur, quæ fortasse minus propria, certe minus usitata significatio est. Placet enim dicitur non solum de cibis & sonis, & objectis ceteris, quæ nos afficiant jucunda quadam affectione, sed de iis etiam quæ dumtaxat approbentur, ut necessaria aut honesta aut utilia. Et quando etiam quis vellet in notione verbi placet inclusam notam delectationis, illud saltem animadvertat, quod delectatio in nobis excitata ab objectis alia est directa, alia reflexa. Directa est quæ provenit ex bono, quod nos allicit solum propter apprehensam in ipso rationem delectationis, reflexa vero delectatio est, quæ nascitur ex conscientia recti judicii, quod circa propositum objectum habitum sit: Atque iis contradicimus, qui directam statuunt esse ultimum bonorum, & de hac proinde primario dici bonum, non vero illis, qui reflexam admittunt tamquam effectum necessarium boni honesti, quo potiti sumus.



SE-

(1) And. Le Beau. Nouv. Edit. tom. 2. disc 1. Amour desinteresse.

SECTIO XII.

De naturali Felicitate hominum dum vivunt.

PROPOSITIO I.

Ad naturalem felicitatem hominis singularis dum vivit, requiruntur ex bonis ipsi intrinsecis hæc, intelligere, bene valere, tranquillum esse, & honeste agere: ex bonis autem extrinsecis, hæc duo amari & honorari.

ARTICULUS I.

Argumenta pro tota propositione, & prima etiam parte.

352. Propositionis sensus ex iis, quæ supra in notione hujus felicitatis (§. 62.) dicta sunt, apertus est. Illa quatenus requirit ad felicitatem humanæ vitæ bona tum intrinseca tum extrinseca, suadetur ex eo, quod primi ex Philosophis, cujusmodi sunt, qui ex Platonis Schola prodierunt, ita censuerunt. Ab Aristotele, qui ex primis ejus alumnis fuit, habemus hæc (1) *eum felicem dicamus, qui ex perfecta virtute operatur, externisque bonis abunde fuerit instructus*. De aliis testis est Tullius dicens, (2) *constituebant extremum rerum expetendarum & finem bonorum, adeptum esse omnia e natura & animo & corpore & vita*: quæ verba ita explicat, ut illud *e natura* significet totum aliquod: illud autem *& animo & corpore & vita* significet partes singulas hujus totius, hoc est bona animi, & bona corporis tum intrinseca tum extrinseca, quæ ultima veniunt nomine vitæ. Neque quod dixerint opus esse ad hanc felicitatem adipisci omnia, facessere debet negotium, si ut debet illud *omnia* intelligatur de omni genere bonorum, non de singulis ipsius speciebus etiam infimis, & perfectionibus, quæ in singulas cadere possunt. Idem cum sæpius alibi dicat, expeditius

(1) Arist. Eth. cap. 10. num. juxta Maurum. 10. pag. 30.

(2) Tull. Aca. lib. 1. num. 5.

tius declarat ubi ait (1) *est sententia veterum Academicorum & Peripateticorum, ut finem bonorum dicerent secundum naturam vivere, idest virtute adhibita, frui primis a natura datis*, scilicet membris sensibus ingenio & aliis quasi sponte oblatis externis bonis, confirmatque addens Zenonem, qui tanto post Platonem extitit, auctorem seu restauratorem fuisse illius sententiæ, quam (2) *magnifice tamquam ex oraculo edidit, Virtus ad beate vivendum se ipsa contenta est*.

353. Cum hæc ex Tullio audierimus, quæri potest, quonam modo cohæreant, quæ paulo infra in citata Academica quæstione dicit, *omnis illa antiqua philosophia sensit in una virtute esse positam beatam vitam*. Equidem dico cohærere, quia utrumque revera dictum fuit (3) *a veteribus illis Aristotele, Speusippo, Xenocrate, Polemone*, quin crederent se repugnantia loqui, quia (4) quemadmodum Stellæ in radio Solis, sic cætera bona in virtutis splendore ne cerni quidem dicebant. De quo cum tamquam de contradictione acriter Tullius expostulet M. Pisonem in quinto de Finibus, ille omni quidem studio, sed nequicquam conatur se suamque sententiam tueri. Verum in eamdem videtur tandem descendisse ipse Tullius ex levissimis argumentis in quinto Tusculanarum, quas deinde scripsit. Hujusmodi argumentorum infirmitatem proferam inferius, quo quidem modo tum illi tum Tullius impugnabuntur, quandoquidem ipse vetuit, ne quæ in uno loco dicit (5) *quasi tabella obsignata*, contra ea quæ in alio dicit producantur. Nam *nos*, inquit, *in diem vivimus. Quodcumque nostros animos probabilitate percussit, id dicimus. Itaque soli sumus liberi*.

Antiquos nobis faventes sequuti deinceps sunt alii Philosophi. In his habemus Paulum Parutam in libro primo Italici sui operis *de Perfectione vitæ politicæ* ad paginam 71. editionis 1582., quæ ignota fuit Apostolo Zeno, quoniam in notis ad Fontaninum de eloquentia dicit secundam editionem factam ann. 1586., post alteram ann. 1579: Et Pallavicinum, qui aliquas in particulari propositionis partes admisit, statuens (6) *Sitam esse felicitatem hanc in bonis animi, supponendo tamen indolentiam, & integritatem in corpore, & sufficientiam in re familiari*: Et Walterum de Tschirnhausen propter generis & inventorum nobilitatem Lusatiæ decus, ubi ann. 175, natus vita decessit ætatis suæ 57, qui ex professo in prima parte suæ *Medicinæ mentis* propugnavit, *in his*

(1) Id. de Fin. lib. 2. num. 11. & lib. 3. num. 12. & lib. 4. num. 5.
(2) Id. Ibid. lib. 5. num. 27.
(3) Id. Tusc. lib. 5. num. 10.
(4) Id. de Fin. lib 5. num. 24.
(5) Tull. Tusc. lib. 5. num. 11.
(6) Pall. In 1. 2.

his tribus conjunctis (intelligentia honestate & tranquillitate) *summum hominis bonum , quod in hac vita via naturali possideri potest solum consistere*.

354. Distinctius autem eadem suadetur primo quod pertinet ad intelligentiam, quo nomine utor in sensu omnium amplissimo, qui non est determinatus ad illam, quæ est de actu particularis potentiæ, quam in anima ab aliis distinguimus, & versatur maxime circa objecta spiritualia : sed complectitur quamcumque cognitionem, quæ homini conveniat pro diversa status sui conditione, quæ ipsi contigerit; Impetus enim in felicitatem, de qua hic agimus, reperitur in quibusvis hominibus sive nobili sive humili loco natis, adeoque sive ii possint in sublimioribus disciplinis excoli, sive debeant in vilioribus artibus versari. Sic itaque arguitur. Exclusa intelligentia illa, quæ est ut ajunt in actu primo & quidem proximo, ne habetur quidem subjectum capax felicitatis, quam inquirimus, quæ scilicet possit ab eo, qui eam possideat, cognosci & intendi, sed habetur vel stupidus vel insanus vel brutum vel lapis : Exclusa autem illa, quæ est in actu secundo non habetur in homine, nisi frustratio naturalis appetitus sciendi ipsi ingenitus, quam necesse est sequatur ægritudo animi, quæ non componitur cum felicitate.

355. Confirmatur hæc pars ex aliorum philosophorum opinionibus. Socrates ex Diogene Laertio *ajebat unum tantummodo bonum esse, scientiam, atque unum tantummodo malum, inscitiam*. Tullius meminit de Herillo (1), qui tantum tribuit scientiæ, ut eam summum bonum esse censuerit; & de Platone (2), Pythagora, Democrito, qui tantam vitæ beatæ partem in rerum cognitione posuerunt, ut ad eam modis omnibus cumulandam, longa & difficilia itinera susceperint : & de aliis veteribus philosophis (3), qui Beatos insulas nescio quas habitantes cura omni liberatos nihil aliud esse acturos putarunt, quam quærere, discere, & in naturæ cognitione versari.

356. Res tota luculentius fortasse declaratur ex errore, qui est malum intelligentiæ oppositum. Error certe naturam rationalem hominis ita deturpat, ut quodammodo e sede ac dignitate sua illam deturbet. Quare si ipsa errorem suum agnoscat, jam pudet eoque affligitur : ergo felix non est : Sin vero non agnoscat, sed possit olim agnoscere, jam poterit etiam affligi : ergo non possidet felicitatem, quæ est status in possessione suorum bonorum permanens & diuturnus : Sin tandem non cognoscat, nec propter stoli-

(1) Tull. de Fini. lib 5. num. 25.
(2) Id. Ibid. num. 18 & 29.
(3) Id. Ibid. num. 19.

stoliditatem suam unquam potis sit cognoscere, non est hæc subjectum felicitatis, de qua quærimus; neque enim hic de alia agimus, nisi de ea, quæ conveniat homini, qui talis sit non in actu dumtaxat primo, sed in actu secundo: ergo intelligentia pertinet ad singularis hominis in hac vita felicitatem.

357. Illis, qui objiciant Academicos qui (1) *constituisse dicuntur extremum bonorum esse obsistere visis, assensusque suos firme sustinere*, adeoque profiteri perfectam omnium rerum ignorantiam, respondit jam Tullius, cujus sunt allata verba, cum nondum eorum sectæ accessisset, illos dicens esse *perabsurdos*, siquidem id dicunt, quod si sani sunt, non est in eorum potestate; Intellectus enim necessario trahitur ad assensum in multis.

358. Qui iterum objiciant Jo. Jacobum Rousseau in Dissertatione, quæ Academiæ Divionensis præmium anni 1750. reportavit, & in iis, quæ pro ejusdem defensione deinde scripsit, ostendisse scientiam artium liberalium, & omnium etiam severiorum disciplinarum esse vel causam vel effectum corruptionis morum; Nonne enim, inquit, picturæ & statuæ elegantes, ædificia magnifica, theatra personantia sunt totidem mollis vitæ & luxus detestabilis argumenta? Nonne Astronomia nata est ex superstitione? Eloquentia ex ambitione odio adulatione fraude? Geometria ex avaritia? Physice ex inani curiositate? quibus similia habent locum in reliquis facultatibus. At his responderunt jam Trevoltiani (2). I. aliam Academiam, quæ Gallica dicitur præmio affecisse ann. 1752. Dissertationem oppositam. II. Rousseanam lucubrationem nihili faciendam esse, tum quia scatet quamplurimis contradictionibus, etsi dispersis & involutis sub splendido & erudito dicendi genere, quarum aliquas alibi (3) exponunt: tum quia argumenta contra omnem scientiam desumit ex earum abusu, quasi vero hic pro malitia hominum non contingat circa ipsa optima atque sanctissima. Hujusmodi argumentorum obliti fuerunt iidem Trevoltiani, ubi (4) dixerunt quæstionem de influxu literarum in mores, bonus ne an malus dicendus sit, esse fortasse solutu tam difficilem, quam est quæstio de quadratura circuli.

359. Urgeo utramque responsionem commemorans scriptum esse, (5) *Quam magnus qui invenit sapientiam & scientiam, sed non est super timentem Dominum*: quibus in verbis egregie expositis a Segnero (6) eximia laus proponitur scientiæ, non quidem qualiscum-

(1) Tullius de Fini. lib 3. num. 31. col 110.

(2) Mem. de Trev. ann 1752. art.128. pag. 2464.

(3) Ibid. art. 8. pag. 141.

(4) Ibid. ann. 1755. art.118. pag.2896.

(5) Eccli 25. v.13.

(6) Seg. Manna. 9. Giugno.

cumque, sed ejus quæ dirigatur a timore Domini, sive ejus, quæ cadat in virum bonum non in malum, de quo argumento extat præclara oratio Jo.Baptistæ Geoffrii merito a Trevoltianis (1) commendata, qua ratione sublata omnino controversia est.

360. Illud addo eamdem Genevensis Philosophi opinionem abundantius & eruditius jampridem tractatam fuisse a duobus aliis. Alter est celebris in historia Literaria Henricus Cornelius Agrippa, Coloniæ nobili loco natus ann. 1486., & Gratianopoli mortuus ann. 1523., a quo habemus librum *De Incertitudine & Vanitate Scientiarum atque artium*, cujus institutum intelligitur ex his ipsius verbis (2) *scientias magna ex parte vituperandas esse, mea opinio est, neque ullam esse, quæ careat justa reprehensionis censura, neque rursus, quæ ex seipsa laudem aliquam mereatur, nisi quam a possidentis probitate mutuatur*. Alter est Alexander Tassoni in suis libris Italice editis *Cogitationes diversæ*, Gallice etiam redditis, qui contra omnem scientiam & artes declamavit non ex animo, sed animi causa, ut ipsemet ait (3), & remoto respectu ad Religionem Catholicam, pro qua tuenda & conservanda necessarias esse literas ex professo (4) propugnavit. Plura alia eidem Rousseavii dissertationi directe opposita videri possunt in tomo primo operum hujus scriptoris ex editione Neocomiensi ann. 1764., ubi habentur tres ejusdem impugnationes exaratæ a Gauthierio, a Borde, & nescio quo R. D. P. Contra ipsum extant etiam Dissertatio Italica, *De Scientia & bonis artibus* Isidori Bianchi Panormi edita ann. 1771, & duodecim epistolæ Antonii Genuensis, laudatæ in notitiis Literariis Florentinis ad 8. Mai. ann. 1773. De aliis impugnatoribus mentionem faciunt Trevoltiani (5) qui referunt Parisiis audiri circa hanc quæstionem, Ohe jam satis est: sed frustra; Nam iidem ad ann. 1753. meminerunt de aliis similibus lucubrationibus (6), & iterum aliam examinant ann. 1755. (7)

361. Qui tandem objiciant viros doctissimos in continuis querelis & gemitibus viventes palam facere abundantem doctrinæ apparatum nihil conferre ad felicitatem, videant, undenam hujusmodi lamentationes oriantur. Si ab improbitate vitæ, hoc opportunum est ad cognoscendum errorem veterum, qui scientiam naturalem, ut vidimus, statuerunt esse summum bonum, atque (8)

hac

(1) Trev. ann. 1756. art. 48. §. Paris. pag. 1120.
(2) Agr. cap. 1.
(3) Tass. lib. 7. qu. 1. in fine.
(4) Id. Ibid. qu. 9.
(5) Mem. de Trev. ann. 1752. ar. 43. pag. 926.
(6) Ibid. ann. 1753. art. 78. §. France. pag. 1521.
(7) Ibid. ann. 1755. art. 78. p. 1733.
(8) Pall in 1. 2. disp 2. qu. 2. art. 8, num. 10. pag. 47.

hæc est ratio, inquit Pallavicinus, *cur hanc scientiam humanis viribus assequibilem permiserit Deus etiam in aliquo excellenti gradu viris improbis*. Si ab eo, quod imparati sint a divitiis aut dignitatibus, quas optarent credentes in iis contineri bonum majus, quam reipsa est, vel ex eo quod sibi persuasum sit, plura se scire aut promereri, quam revera noverint aut promereantur, jam cum multiplici scientia conjunctas habent hujusmodi falsas existimationes; ex quibus proinde, non vero ex sua doctrina hauriunt volentes suam miseriam. Sin tandem causa horum gemitus sit nimia tenuitas eorum bonorum, quæ ad vitam necessaria sunt, aut aliæ calamitates in consanguineis vel aliis sibi sive prudenter sive imprudenter caris, hoc jam viam aperit ad alia duo, quæ ad constituendam felicitatem diximus requiri, comprehensa sub nomine bonæ valetudinis & tranquillitatis, & quæ per opposita sibi mala, dolorem & tristitiam jam declaro.

Articulus II.

Argumenta pro secunda tertia & quarta propositionis parte.

362. Pro secunda parte quæ est de bona valetudine sic dico. Cum dolor corporis sit pars infelicitatis tam manifesta, ut fuerit jam ante citatum supra (§. 125.) Rhodium Hieronymum Socraticus Aristippus, qui referente Tullio (1) non dubitavit summum malum dolorem dicere; necesse est bona valetudo, quæ diuturn... em vitæ, & aliorum bonorum nobis pollicetur, & a doloribus nos eximit, ita requiratur ad hanc felicitatem, ut pars ipsius primaria dici possit, quandoquidem ab ea dependet primarium ejusdem attributum, esse scilicet statum permanentem, pars inquam & quasi fundamentum felicitatis, non vero absoluta & perfecta felicitas ut docuit Metrodorus eodem Tullio sæpius testante, (2) *perfecte putans beatum, cui corpus bene constitutum sit, & exploratum ita semper fore*, hoc est, ut ego interpretor, morali quadam certitudine notum ita ad multos annos fore.

363. Nec audiendi sunt Stoici, qui ponentes totam hominis felicitatem sitam esse in sola virtute sive voluntatis sive intellectus, quæ sapientia proprie dicitur, neque enim satis unam ab altera distinguebant, consequenter affirmabant sapientem fore beatum etiam in equuleo. Effatum hoc gloriosissimum fassi deinde sunt ineptissimum etiam esse tot illi hujus olim disciplinæ alumni, qui cor-

(1) Tull. Tusc. lib. 2. num. 6. juxta Oliret.

(2) Id. Ibid. & lib. 5. nu. 9. & de Fin. 2. nu. 18. & de Offic. li. 3. num. 33.

correpti doloribus desciverunt a Stoicis, ut compertum est (1) factum ab Heracleote Dionysio propter oculorum dolorem. Certe nullum ipsi proferre possunt exemplum, quo possit quis jure de illius falsitate dubitare. In eo enim, quod Tullius commemorat de noto sibi Possidonio, nobilissimo ut ait philosopho, quod sæpe diceret in dolore artuum vehementiori (2) *nihil agis dolor, quamvis sis molestus, numquam te esse confitebor malum*, equidem video tum contradictionem, dum molestum dicit dolorem, & negat esse malum: tum mendacium, dum contra id, quod experientia extorquebat ab ipso judicium, pronunciabat. Atque quando illis aliter videatur, & invictam animi constantiam in eo eluxisse arbitrentur, nonne hæc apparebat etiam in gladiatoribus (3)? *Quis enim*, teste Tullio, *mediocris gladiator ingemuit? quis vultum mutavit unquam? quis cum decubuisset, ferrum recipere jussus collum contraxit?* Nonne eadem non raro apparet etiam in tortura sceleratorum? quos tamen cum ipsi reputent spurcos homines, adeoque negent beatos esse, agnoscant necesse est male ab ipsis confundi constantiam, seu pervicaciam, seu insaniam, seu verius certam persuasionem de inutilitate cujusque conatus ad præsens malum effugiendum cum beatitate, quæ semper conjuncta est cum sincera & invidenda lætitia, qualis numquam se protulit in cruciatibus beatorum juxta veteris cujusvis philosophiæ placita. Sola Christiana Religio exhibere potest exempla eorum, qui in exilio carceribus summa rerum inopia suppliciis ipsis immanissimis hilaritatem præsetulerunt admirabilem. Sed hæc acciderunt virtute dumtaxat supernaturali, quæ vivide objiciebat eorumdem animis veram beatitudinem proxime obtinendam per illa supplicia tamquam per meritum, ut huic ipsi merito factum fuerit commune nomen beatitudinis, etsi cum addito *in spe non in re*, ut contra Stoicos Jo. Ciampoli (4) jam observavit.

364. Tertia propositionis pars est de animi tranquillitate. Hæc quanta sit felicitatis pars, intelligi potest ex iis, quæ ipsi opponuntur perturbationibus, & ægritudine inde nascente, quæ est infirmi animi molesta quædam experimentalis cognitio, per quam solam aliquando etiam summam calamitatem designamus. Atque hinc veteres tantopere solliciti fuerunt obstruendi hujusmodi fontes infelicitatis, ut apparebit legenti tertium & quartum librum Tusculanarum quæstionum Tullii, qui sunt de lenienda ægritudine, & obsistendo reliquis perturbationibus, eumque qui id peregisset,

 bea-

(1) Id. de Fini. lib. 5. num. 31.
(2) Id. Tusc. lib. 2. num. 25.
(3) Id. Tusc. lib. 2. num. 17.
(4) Ciam. Proæ. Disc. 9. cap. 5.

beatum dicebant. *Is*, sic Tullius (1), *qui moderatione & constantia quietus est, sibique ipse placatus, ut nec tabescat molestiis, nec frangatur timore, nec scienter quid expetens ardeat desiderio, nec alacritate futili gestiens deliquescat, is est beatus.*

365. Quarta pars est de honestate in operando. Hanc omnino requiri ad felicitatem quae humanitus obtineri potest sic confiteor. Honestas in operando sumi potest, vel pro qualitate ipsius actus humani, vel pro habitu qui ex pluribus repetitis actibus coalescit, & aliter dicitur virtus moralis. Jam vero si sumatur pro qualitate actus, certe exclusa honestate ab actu humano infertur, illum opposita infici qualitate, per quam actus ille jam est vera culpa: Sed haec per se ipsa ita dedecet naturam rationalem, ut in eam non incidat, nisi per errorem omnium maximum, juxta illud *Omnis peccans est ignorans*, quem quidem brevi omnino advertet, cum deferbuerit tumultus malarum perturbationum, quibus mens quodammodo obcaecata in malum istud sub specie boni imprudenter se conjecit: Jamque actum est de omni ejus tranquillitate. Sin autem honestas in operando sumatur pro virtute, hujus necessitas ad humanam felicitatem ostenditur, tum quia sine illa triumphant in homine mali appetitus, quibus ceu navis a procelloso mari misere in omnem partem jactatur & fortasse etiam discerpitur, quo in statu ne umbra quidem felicitatis habetur sed cumulus calamitatum: tum quia ita comparati sumus, ut si a nobis abit virtus, jam vitium nos occupet, quod est per se summum hominis malum & teterrima malorum omnium origo, ut luculenter declarat Plutarchus in suo supra etiam (§. 188.) citato eleganti & erudito opusculo etsi imperfecto, *An vitiositas ad infelicitatem sufficiat.*

366. Ex quibus a vitio profluentibus malis, quando caetera in hac vita deficiant, non deficit certe continuus conscientiae latratus mentem perpetuo obtundens, ejusque attentionem a quibuscunque deliciis avertens, & in Divinae ultionis terrore vel saltem suspicione licet reluctantem infigens: (2) *Etenim*, ut inquit Plato, *quae de Inferis dicuntur, quemadmodum, qui injuste egerunt, poenas illic dare oporteat, movent animum ne forte vera sint suspicantem.... Et ex ipso somno tamquam pueri frequenter excitus extimescit & pessima in spe vivit.* Quod Lucretius ipse scelestorum omnium nomine iterum iterumque (3) fassus est. Sed apertius Sacrae Literae affirmant, (4) *Homini bono dedit Deus laetitiam, peccatori autem afflictio-*

(1) Tull. Tusc. lib. 4. num. 16.
(2) Plato 2. de Repub. circa princ.
(3) Luc. lib 1. v. 108. & lib. 3. v. 35.
(4) Eccles. 2 6.

ctionem, & alibi *Impii* (1) *quasi mare fervens*, *quod quiescere non potest*: (2) *Non est pax impiis dicit Dominus*, de quo Divino oraculo extat Soreti oratio commemorata a Trevoltianis (3), quam Gallica Academia præmio affecit ann. 1758. Ergo honestas in operando necessaria est ad humanam felicitatem.

367. Id confirmatur ex eo, quod potiores philosoph orum sectæ, quotquot ex dictis supra (§.58.) bona animi prætulerunt omnibus reliquis, idem unanimi consensu quovis tempore statuerunt: & aliqui ipsorum enucleate etiam, ut Genuensis (4), ostenderunt ad præsentis vitæ beatitudinem necessitatem prudentiæ justitiæ temperantiæ fortitudinis, adeoque earum omnium virtutum, quibus illæ ita præsunt, ut proinde Cardinales vulgo appellentur.

ARTICULUS III.

Argumenta pro reliquis propositionibus partibus.

368. Ex bonis extrinsecis requiri ad privatam felicitatem amorem & honorem sic conficio. Nemo hominum est, qui ingenito quodam appetitu non adspiret ad utrumque bonum, quod consistit in aliorum existimatione atque testificatione suæ vel bonitatis quam respicit amor, vel alicujus excellentiæ, quæ est ex S. Thoma (5) causa honoris, ita ut minus doleant homines de amissa pecunia, quam de sublatis sibi hujusmodi bonis per alterius contumeliam vel calumniam. Quare statuunt Theologi, ut Platelius (6) privare aliquem bonis famæ & honoris esse peccatum ex genere suo gravius furto, juxta illud etiam quod scriptum est (7) *Melius est nomen bonum*, *quam divitiæ multæ*: *super argentum & aurum gratia bona*: & S. Thomas docet, quod (8) *honori qui exhibetur propter virtutem renunciare non competit religiosis*: ergo qui utrunque bonum amoris & honoris aliquo modo non possideat, felix nequit esse.

369. Antecedens planum fieri potest ex eo, quod quisque cujusvis conditionis conscius est, non solum ab injuriis inferendis & vitiis

(1) Isai. 57. 20.
(2) Isai. 48. 22.
(3) Mem. de Trev. ann. 1758. art. 107. pag. 2578.
(4) Gen. Elem. Metaph. par. 2. propos. 47. & seq. pag. 249.
(5) S. Thom. 3. par. quæst. 25. art. prim.
(6) Plat. Curs. Theol. par. 3. num. 769.
(7) Prov. 22. 1.
(8) S. Thom. 2. 2. q. 186. art. 7. ad 4.

vitiis se absterreri a timore, ne aliorum in se odium & execrationem, quæ semper conjuncta est cum animi molestissima tristitia: sed ad beneficia etiam impertienda virtutemque se impelli a spe amoris honorisque sibi conciliandi, quæ voluptatem in intimas usque medulas infundunt. Qui in privata & occulta fortuna vivunt, non habent fortasse, unde hos animi sui involuntarios etiam impetus deprehendant, nisi paucos vel domesticos vel socios, quibuscum necesse est vivant, sed qui paulo altius sublati sunt, & multo magis qui aliis dominantur, hoc luculentius intelligunt. Soluti magna ex parte vel ex toto ab humanis legibus, hanc tamen sentiunt sibi impositam, ut aliorum judicia & publicam existimationem de iis, quæ agant vel dicant, revereantur. Norunt enim bonis actionibus respondere amorem & approbationem, & malis contra maledicta & vituperium commune. Hinc magnum a flagitiis frœnum, & vehemens ad virtutem incitamentum, & necessaria compensatio ad plurima, quibus dominantium conditio subjicitur, incommoda propter perpetuam sollicitudinem in consulendo justitiæ administrationi, annonæ commodis, munerum distributioni, commercii incremento, redituum indemnitati, invasionum securitati, aliisque hujusmodi.

370. Hanc ipsam partem felicitatis juvat ulterius declarare ex odio & infamia, malis amori & honori oppositis. Hæc cum plerunque sequantur velut umbra vitium & improbitatem, jam planum est ex dictis de malo culpæ, nunquam posse esse ne humanitus quidem felicem, qui propterea odio habeatur aut nota infamiæ inuratur. Et quoniam, qui calliditate aliqua aliis hominibus sua vitia celans hæc mala, prout ab illis proveniunt, possit evitare, eadem nequit effugere, prout sunt a Deo, quem existere, omnia penitus intelligere, & odio habere omnem iniquitatem, nemo hominum, ne ii quidem, qui atheos se profitentur, ignorat, siquidem hi quoque velint nolint, eum revera esse saltem suspicantur: Proinde necesse est quisque fateatur cum vitio conjunctam semper esse etiam in hac vita infelicitatem, quemadmodum innumeri Auctores integris libris contendunt, & sacri identidem Oratores pro concione exponunt.

371. Aliquando tamen accidit pro hominum perversitate, aut furore, ut eadem mala comites sint insignis alicujus virtutis & probitatis. Ita Aristides ille, qui apud Athenienses Justi agnomen habebat, propter hanc ipsam justitiam suam expulsus in exilium fuit per Ostracismum, hoc est per suffragia descripta in testa a singulis corruptæ jam Athenarum Reipublicæ civibus. Certe narrante

te post Cornelium Nepotem (1) Plutarcho (2) ille, qui literarum rudis, & ne de facie quidem ipsum nesciens, eidem tradidit testulam, in qua damnationem suam scriberet, respondit ab eodem rogatus, non alia de caussa hominem damnare, nisi quia, *molestum*, inquit, *mihi est Justi cognomentum*. Quod exemplum commemorans jam olim Tullius, & aliud praeterea, illud rogat (3), *an non ita fit in omni populo? nonne omnem exuperantiam virtutis oderunt?* Sed exemplum admirationem omnium vincens veneramur in Christo Domino omnis Sanctitatis fonte, qui propterea odium hominum, & omnis generis ignominias passus fuit in terris, idemque eventurum prædixit iis, qui illum conentur imitari, quia *non est*, inquit, *discipulus supra magistrum*. Quoties autem mala hujusmodi superveniant virtuti, minor quidem est inde orta tristitia: attamen adhuc ingens, & aliquando tanta, ut tædeat jam vivere, & mors loco beneficii a Deo exposcatur, sicuti alibi (4) dico factum esse a Moyse Elia & Tobia: ergo felicitas in hac vita nequit esse cum odio & infamia; quin immo omnino requirit amorem & honorem.

372. I. Objicitur. Christi Domini sunt hæc verba, (5) *Beati qui lugent. Beati qui persequutionem patiuntur*: Sed hæc verba declarant posse in hac vita haberi felicitatem etiam sine aliorum amore & honore, immo cum odio & infamia apud alios: ergo ad felicitatem hujus vitæ non pertinent amor & honor.

Resp. conc. maj., & distin. min. Ea verba sunt de felicitate supernaturalis ordinis, & quidem quatenus disponit ad felicitatem æternam, conc. min.: ea verba sunt de felicitate ordinis naturalis, de qua hic loquimur, nego min. & conseqm. Dico igitur per illas celebres beatitudines, de quibus Christus loquitur, significari actus bonos per gratiam supernaturalem factos, ut ex professo ostendit Suarez (6): in quibus Christus posuit beatitudinem, quia per illos cælestis Beatitudo comparatur: proinde, *causaliter & dispositive Beatitudines nominantur*, ut idem Auctor advertit.

373. II. Objicitur. Deus est beatissimus, etiamsi odio habeatur à Damnatis, & timeatur unice, non vero ametur ab improbis, a neutris vero colatur: ergo amor & honor creaturarum non sunt pars ulla felicitatis Divinæ: ergo neque felicitatis humanæ.

Resp.

(1) Nep. Vita Aristidis.
(2) Plut. Apophtheg.
(3) Tull. Tusc. lib. 5. n. 36. juxta Oliv.
(4) Diss. de malo n. 67.
(5) Matt. 5 & Luc. 6.
(6) Suar. de Necess. grat. lib. 3. cap. 12.

tum, est fructus successive ad convenientem maturitatem perveniens, & exigens præter labores proprios acquisitionis scientiæ, alios etiam sibi particulares. Sine scientia tandem, & habitu honestatis moralis cum nulli liceat sperare sincerum aliorum amorem & laudem, qui utriusque acquirendi incommodum non sustinuit, his etiam, sine quibus non est hujusmodi felicitas, careat necesse est.

COROLLARIUM II.

375. NEque pueritia, neque adolescentia capaces sunt felicitatis humanæ.

Hoc corollarium independenter etiam ab antecedenti, ex quo sponte sua quodammodo fluit, suadetur, quia in pueritia quidem potest haberi bona valetudo & amor & honor etiam aliquis: sed deficientibus cæteris, & horum etiam cognitione, ea parum dissimilia sunt ab illis, quæ possunt convenire aut dici de Brutis Statuis & Imaginibus. In Adolescentia autem exceptis quibusdam quasi miraculis naturæ, impetus plerunque est ad acquirendam sapientiam & præclara facinora, nondum tamen est aliquis utriusque boni apparatus sufficiens ad rationem felicitatis ex sua parte: honores proinde adhuc ab ea absunt, & æstus vehemens affectuum necessario impedit animi tranquillitatem.

COROLLARIUM III.

376. JUventus, Virilitas, & Senectus sunt solæ hominis ætates capaces felicitatis.

Nam ab infantia quidem omnia, ab adolescentia vero fere omnia exclusa sunt enumerata felicitatis elementa. Inquirendo autem quænam ex diversis felicitatibus pro diversitate hujusmodi ætatum præstantior sit, assentiar Pallavicino (1), qui statuit omnibus postponendam esse illam propriam senectutis, contradicens Tullio, qui in eloquenti suo Commentario de Senectute sub persona Catonis pro ea visus est stare, sed iis argumentis, quæ suadent componi cum senectute posse felicitatem, non vero quæ evincant illam cæteris esse anteponendam; Nam sit in sene magna jam abundantia sapientiæ, sed vis intelligendi est minor: Dirigat ad normam virtutis dicta factaque omnia, at non carebit in multis hæsitantia quadam & cunctatione propter debilitatam ingenii aciem, & aliqua ex suis operationibus erunt potius consequentiæ necessariæ ex defectu

(1) Pall. del Ben. lib. 4 cap. 113.

fectu materiæ, quam actus virtutis aut victoriæ de malis in oppositum propensionibus. Decoretur honoribus amplissimis, at hi communes sunt omnibus, qui inter seniores nominantur, cujusmodi plerunque habentur etiam ii, qui ad virilitatem jam pervenerunt. Habeat plures, qui significationes reverentiæ sibi exhibeant, sed quam pauci qui amorem etiam ostendent in familiari consuetudine. Plerunque consilium aut notitia de rebus præteritis a senibus exquiritur, non solatium aut jucunda convictio. Fruatur tandem valetudine quantumvis bona, at hæc nunquam præscindet ab adjuncto senectutis. Conferendo autem felicitatem juventutis cum ea virilitatis, equidem majorem dicam secundam, quam primam. Sicuti enim meliores sunt fructus, qui suam jam maturitatem obtinent, quam qui eam nondum penitus attigerunt, ita potior videtur felicitas, quæ accidit virilitati, in qua vigor animi & corporis & cætera bona videntur esse in statu quodam summo.

377. Quid quod cum ad felicitatem pertineant honores, hi plerunque juvenibus non conceduntur. Ita apud Romanam Rempublicam juxta Ovidium (1)

Nec nisi post annos patuit tunc Curia seros,
Nomen & ætatis mite senatus habet:

Et Lacædæmonii teste Plutarcho Magistratus, γέροντας, idest senes appellabant, quia solis senibus conferebantur, quæ appellatio proprie ad juvenes non extenditur, sed solum metaphorice ad illos, qui tamen non ita facile inveniuntur, quibus, ut dixit Persius (2) *ingenium & rerum prudentia velox ante pilos venit.*

COROLLARIUM IV.

378. Major felicitatis humanæ copia cadit in viros, quam in mulieres.

Hi enim sunt tum corpore tum mente valentiores: illæ ex utraque parte imbecilliores. Hi a consuetudine ipsa fundata in naturæ constitutione instituuntur ad literas: illæ vix ad eas delibandas admittuntur. Hi ad primos honores per ipsas literas vel per arma, quæ sunt præcipuæ artes illorum conciliatrices, aditum habent amplissimum: illæ ab utrisque exclusæ, ab illis etiam excluduntur. Hi sicuti literis vel armis honores sibi conciliant, ita etiam aliorum cognitionem, & amorem & opportunitatem ad omnia hæc stabilienda & amplificanda: illæ intra domesticos parietes, si sapiunt, latentes horum omnium sunt incapaces. Quæ contra hoc

(1) Ovid. Fast. 5.   (2) Pers. sat. 4.

hoc corollarium obiici possunt, collegit Buffierius (1): sed illa penitus dissipantur per argumentum, quod addi posset, desumptum ex eo, quod universaliter accidit omnibus temporibus in omnibus regionibus respiciendo ad universalitatem moralem, quae sola in humanis sufficit & attenditur.

COROLLARIUM V.

379. Epicurei, sive ii, qui voluptatibus dediti sunt, longe absunt a felicitate.

Hoc quod certum jam est ex Divino oraculo, *Beati immaculati in via*, quod exponens S. Augustinus concludit, (2) *si vis esse beatus, esto immaculatus*, ob oculos etiam ponitur observando nihil eorum, quae necessaria ostendimus ad hanc felicitatem, habere in iisdem locum. Imprimis enim quis quaerat in his doctrinas & artes, quas una cum suo Epicuro aspernantur. Pro ipso enim, quem ineruditum dixerat Tullius, reponit ejus propugnator Torquatus, (3) *An ille tempus aut in poetis evolvendis consumeret? in quibus nulla solida utilitas, omnisque puerilis est delectatio: aut se, ut Plato in musicis geometria numeris astris contereret? quae si essent vera, nihil afferrent, quo jucundius viveremus*. Idem Tullius jure negat ullos ex Epicureis habendos esse in numero philosophorum, utpote qui illud, quod ipsa figura corporis & ratio excellens ingenii humani significat (4) *non viderunt, hominem ad duas res, ut ait Aristoteles, intelligendum & agendum esse natum, contraque ut tardam aliquam & languidam pecudem ad pastum, & ad procreandi voluptatem ortum esse voluerunt*. Atque hac ratione non solum omnibus disciplinis abrenunciant, sed ipsi etiam rationi, per quam illae comparantur, ut merito assimilati sint non solum a Scriptura, (5) *equis & mulis, quibus non est intellectus*, & (6) *cani reverso ad suum vomitum, & sui lotae in volutabro luti*: sed etiam ab ipsis Philosophis & Poetis, qui in celebri fabula de Ulissis sociis in porcos commutatis post haustam veneficam potionem a Circe ipsis propinatam, agnoscunt homines in stoliditatem brutorum abeuntes, quoties voluptati se dedant.

380. Quis affirmet illos frui bonae valetudinis constanti dispositione? Si enim loquamur de voluptate cibi & potus novimus proverbium, plures occidit gula quam gladius, nec controversiam

 habet

(1) Buf. Exam. des prejugez. diss. 3. col. 959.
(2) S. Aug. in psal. 118. ser. 1.
(3) Tull. de Fin. lib. 1. n. 21.
(4) Id. ibid. lib 2. n 13.
(5) Psal. 31. 9.
(6) 2. Pet. 2. 22.

habet in iis, qui ut iterum cibis se ingurgitent, coacto vomitu prius ingestis se exonerant, quo fortasse modo erit, qui censeat verum esse posse, quod de voracitate Albini narrat Capitolinus. Sin autem loquamur de alterius generis voluptate, evidens est effatum Architæ Tarentini laudatum a Tullio: (1) *Nullam capitaliorem pestem quam voluptatem corporis hominibus datam*. Quis non videt animi perturbationes continuas, quibus Epicureorum vita subjecta est? Dolent ipsi *traditos se*, ut ait Apostolus (2) *in immunditiam & in passiones ignominiæ*: execrantur velint nolint depressionem naturæ suæ rationalis ad conditionem irrationalium, sibique nunquam non timent ab Justitia saltem Divina vindictam suorum scelerum. Nulla igitur est in illis tranquillitas.

381. Quod pertinet ad amorem præstat ex illis audire, quonam modo credant illum præsertim amicitiæ, de quo tam præclara dicuntur, componi posse cum sua philosophia, (3) *Si loca, sic illi apud Tullium, si fana, si urbes, si gymnasia, si campum, si canes, si equos ludicra exercendi aut venandi consuetudine adamare solemus, quanto id in hominum consuetudine facilius fieri poterit?* Igitur alium hi amorem non agnoscunt, quam illum, qui primo fuit exercitium appetitus sui cujusdam commodi, & deinde vel eodem fine, vel quadam consuetudine continuatur. Quæ profecto soli voluptarii cogitare & eloqui possunt, qui sicuti sinentes se duci ab appetitu sensitivo privarunt se primo actu rationali, qui est intelligere: ita illo etiam carent, qui est velle; Amor enim amicitiæ, ut Tullius contra illos ait, est (4) *velle bonis aliquem affici quam maximis, etiamsi ad se ex iis nihil redeat*. Quam voluntatem cum ipsi in alios non habeant, multo minus sperare possunt alios erga se habituros. Sed quid de amore & etiam honore ultimis felicitatis partibus mentionem facimus horum respectu, quos vidimus jam Deo & sibi ipsis invisos, & odio cujusvis hominis expositos, cum nemo sit, qui quicquam officii sperare ab his possit, nisi quod in eorum commodum redundet, & timere semper debeat omnia illos contra se facturos, quæ conferant ad hanc ipsorum perversitatem, quoties præpotentes sint, vel occulte credant posse a se fieri. Est enim hoc ipsorum dogma apud Tullium (5) *a voluptatibus abstinere, si fama postulet*. Hujus igitur remoto periculo, & impunitate proposita præsidio alicujus anuli, qualem habuit Gyges juxta fabulam Platonis (6) quam ipse Tullius (7) exponit

(1) Tull. de Senect.
(2) Ad Rom. 1. 24. & 26.
(3) Tull. de Fin. lib. 1. n 20.
(4) Id. ibid. lib. 2. n. 24.
(5) Tull. Tusc. lib. 5. n. 33.
(6) Plat. de Rep lib. 11.
(7) Tull. de Offic. lib. 3. cap. 9.

ponit, bene idem interrogat quo libido non se proripiet aut proiiciet? Cum pudor modestia pudicitia uno verbo temperantia, sanctitate sua apud istos tutæ non sint.

COROLLARIUM VI.

382. Stoici & ante ipsos alii, de quibus supra (§§. 54. & 353.) felicitatem hominis in sola virtute collocantes illud statuunt, quod nullo modo suadere possunt. Idemque dico de iis, ut Francisco Jacquier, qui a Stoicis in hoc solum discrepant, quod velint ut virtus faciens hominem in hac mortali vita beatum sit Christiana, quæ scilicet exerceatur, ut Divinæ voluntati etiam prout nobis revelata est, pareamus. Atque cum hanc non haberent Stoici, concedunt (1) illos nequicquam posuisse in exercitio suæ virtutis beatitudinem.

Juvat pro corollario particularia argumenta subjicere. I. Sicuti cum dicitur homo, nemo est, qui non intelligat compositum quoddam ex corpore & anima rationali, ita cum dicitur felicitas hominis nemo esse potest, qui non intelligat felicitatem hujus compositi: ergo nequit suaderi esse in sola virtute totam felicitatem hujus compositi, quandoquidem virtus afficit solam animam, quæ est pars hominis, non ipse homo. Hoc argumentum teste Tullio (2) adhibuerunt etiam veteres, de quibus supra (§. 352.), & ipse idem non solum fusissime exornat (3), sed etiam ex eo urget, quod quando etiam fingeremus non solum ita præstare animam cæteris partibus hominis, ut hæc pro nihilo habendæ essent, sed etiam nihil esse in homine, nisi solum animum, adhuc non possemus intelligere illum esse beatum, nisi alia præter virtutem haberet, quæ essent secundum ipsius naturam, ut carere ægritudine, & valere.

383. II. Cum Lessio (4) sic arguitur. Virtus etiam moralis & Christiana, quæ dicitur reddere hominem in hac vita beatum, non potest esse habitus recte semper operandi, tum quia quisnam in hac vita gloriari potest de hujusmodi habitu? tum quia habitus sunt propter actus, & nihil destinatum ad aliquid ulterius est summum bonum: ergo virtus faciens beatum debet esse actus virtutis. At si est actus virtutis vel est omnis actus omnium virtutum, & hoc dici nequit, quia cum nemo exercere possit omnes actus omnium virtutum, jam nemo etiam erit beatus: vel est aliquis

 actus

(1) Jac. Phil. mor. par. 1. cap. 3 conclus. 1.
(2) Tull. de Fin. lib. 4. n. 7.
(3) Id. ibid. n. 10. & seq.
(4) Less. de summo bono lib. 1. n. 44.

actus alicujus virtutis, & quinam hic erit, & cujus virtutis? Vel est quivis actus cujusvis virtutis, jamque beatus erit etiam qui tolerat injuriam & afflictionem, & qui actu dolet de aliorum miseria, quod involvit contradictionem. Nullus autem alius modus occurrit, quo sumi debeat actus virtutis aptus ad beatitudinem: ergo neque actus virtutis reddit hominem beatum.

384. III. Cum eodem, qui iterum iterumque adhibet (1) hoc argumentum, sic dico. Illud debet esse felicitas hujus vitæ, quod non solum præseferat rationem boni expetibilis propter se, sed rationem talis boni, quod ad sui acquisitionem vehementer, vel saltem sufficienter animos hominum impellat: Atqui virtus in hac vita talis non est: ergo. Minorem negavit aperte Stoicus Seneca, dicens (2) *Erras dum interrogas quid sit illud, propter quod virtutem petam? Quæris enim aliquid supra summum: Interrogas quid petam ex virtute: Ipsam; Nihil enim est melius ipsa, pretium sui est.* Sed illa suadetur ex eo, quod pulchritudo virtutum, ut temperantiæ justitiæ, cum soli menti cogitanti se prodat, vix unquam mentem ipsam reperit in hac vita ita vacuam ab impressionibus, quas patitur a corpore, cui conjungitur, ut eam ad se possit efficaciter allicere, præsertim cum obsequi virtutibus sejunctum nunquam sit a multis incommodis, a quibus nos retrahit innatus appetitus voluptatis. Quam hoc verum sit testantur Philosophi quamplurimi, quos sequitur Pallavicinus, (3) qui cum Aristotele statuunt, *virtutem secundum se non esse summum bonum; non enim est finis, immo in tantum esse virtutem, in quantum est dispositio ad optimum, hoc est, in quantum est medium ad acquirendum ultimum finem.* Testantur demum omnes omnium temporum gentes, quæ aliud præmium virtuti præter se ipsam, & aliud supplicium improbitati ab ipsa distinctum statuerunt, beatam vel miseram immortalitatem in ea vita, quæ mortalem hanc esset consequutura. Proinde bene Castus Innocens Ansaldus *in Vindiciis Maupertuisianis* Latine primum anno 1754, & deinde Italice etiam editis, quas memini laudatas a Trevoltianis ad annum ni fallor 1759., propugnat virtutem Stoicorum, qui incerti saltem erant de Immortalitate animæ, fuisse essentialiter imparem non solum ad felicitatem aliquam comparandam in hac vita, sed etiam ad temperandas illius calamitates. Quid quod dicente Apostolo, (4) *si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus*, (5) perspicuum

(1) Id. ibid. n. 45 & de Immortalitat. anim n. 35.
(2) Sen. de Beata vita cap 9.
(3) Pall. in 1. 2. disp. 2. q. 2. ar. 1. n. 6.
(4) 1. Corinth. 15.
(5) Less. de Summo Bono n. 50.

spicuum est, inquit *Lessius hanc Stoicorum sententiam communi generis humani sensu & etiam judicio Apostoli esse damnatam*.

385. IV. Suadetur ostendendo infirmitatem eorum, quæ Adversarii reputant opinionis suæ firmissima fundamenta. Aliqua tantummodo seligam. I. sic Jacquierius arguit (1). *Qui Deum amat & timet, Divinæ voluntati obtemperat, & virtutem colit: ac proinde vera fruitur beatitudine*. Resp. conc. ans., & nego consequentiam.

II. Sic Idem. *Nemo eum non dicit beatum, qui id, quod facit, semper cum gaudio & libenter facit, qui ex suis actionibus nihil mali metuit, summum bonum sperat. Talis autem est hominis virtute prædicti conditio*: ergo. Resp. I. dist. maj. Nemo non dicit beatum virtutis studiosum sed in spe, sive in sensu in quo accipiuntur beatitudines a Christo enunciatæ, de quibus supra (§.372.) conc. maj. Nemo non dicit illum beatum in re, nego maj. Numquid Sancti de quibus tota propositio affirmari fortasse potest, erant beati in hac vita, cum a Deo petebant mortem ut a calamitatibus, quibus opprimebantur liberarentur. Quis unquam illos in re beatos dixit, quos novit ipsis pene necessariis ad vitam carere, vel discruciari doloribus a morbis vel a tyrannis sibi inflictis?

Resp. II. Omitto maj. & nego min. Nam Sancti vel virtutis studiosi volutarie quidem sed non cum gaudio faciunt quicquid ad virtutem retinendam est necessarium; & patienter sed non libenter calamitates vitæ & malorum contemptum & injurias sustinent: & strenue sed non sine metu suis erga Deum & alios officiis defunguntur.

386. III. M. Cato apud Tullium sic arguit (2) *Obscuratur & offunditur luce solis lumen lucernæ: interit magnitudine maris Ægei stilla muriæ, & in divitiis Croesi teruncii accessio, & gradus unus in ea via, quæ est hinc in Indiam*: Atqui virtus comparata cum aliis, quæ vulgo dicuntur bona, est in simili ratione cujusdam maximi ad minimum: *ergo omnis ista rerum in corpore sitarum æstimatio splendore virtutis & magnitudine obscuretur & obruatur atque intereat necesse est*.

Resp. perm. maj. & nego min. Donec enim homo vivus componatur ex anima & tali corpore, quod non potest dici in ordine ad vitam ipsius esse quid minimum, ne dici quidem potest defectus bonorum, quæ ad hanc hominis partem corpus pertinent, esse quid minimum. (2) *Non sunt*, sic jam Tullius Catoni respondit, *in eo genere* (rei scilicet minimæ) *tantæ commoditates corporis*

(1) Jac. Phil. mor. par. 1 cap. 3. concl. 1.
(2) Tull. de Fin. lib. 3. n. 14.
(3) Id. ibid. lib. 4. n. 2.

ris, tamque producta temporibus, tamque multa. Idemque dicendum est ad alia similia, quæ urget M. Piso apud eumdem Tullium (1) comparans beatitatem ex virtute cum segete, quæ non desinit esse & dici ampla propter unam arenæ spicam: & cum mercatura, quæ absolute habetur quæstuosa, etiamsi cum maximis lucris aliquid damni contraxerit: & cum homine, qui non potest inter tristes computari, quia aliquando ad modicum tempus hilaris non apparuit. Permittitur autem maior, quia quæ sunt partes alicujus rei, etiamsi minimæ partes sint, non desinunt esse ejusdem partes, adeoque dici quidem possunt obscurari a magnitudine totius, non tamen interire.

387. IV. Dicunt Solum vitium satis est ad miseram vitam: ergo sola virtus satis est ad beatam vitam. Tullius sic habet, (2) *cum fatentur satis magnam vim esse in vitiis ad miseram vitam, non fatendum est eamdem vim in virtute esse ad beatam vitam?* Idem argumentum per multa verba iterum iterumque proponit Jacquierius (3).

Resp. conc. ans, & nego conseqm; Ratio autem est in vulgato axiomate, bonum ex integra caussa, malum ex singulis defectibus: quod in re nostra sic magis exponitur. Beata vita hominis in hac terra, utpote quæ est in genere boni, requirit ad sui tum notionem tum existentiam complexum. variorum bonorum, quorum unum si desit, jam illa etiam deficit: & viceversa vita misera, quæ est in genere mali, toties habetur, quoties vita expers sit proprietate aliqua quæ sibi conveniat, quemadmodum est illa hominis, qui virtutem habeat bonum animæ, sed careat bonis corporis.

388. V. Dicit Stoicus apud Tullium (4). *Quæ pars optima est in homine, in ea situm esse necesse est illud, quod quæris optimum. Quid est autem in homine, sagaci ac bona mente melius? Ejus bono fruendum est igitur, si beati esse volumus. Bonum autem mentis est virtus: ergo hac beatam vitam contineri necesse est.*

Resp. dist. maj In parte optima situm est optimum, hoc est felicitas hominis, si non desint sua bona in cæteris hominis partibus, conc. maj.: si hæc desint nego maj. In qua equidem dissimulo, quod Stoicus, qui aliud bonum non admittit præter virtutem, appellet aliquid, quod non est virtus, optimum, quia id fortasse facit, ut serviat communi modo loquendi. Tullius vero id alibi (5) non dissimulat, rogatque, *quonam modo optimum? si bonum preterea nullum est*, nisi in virtute, quam quis acquisiverit. Reliquis autem concessis, disti. ultimum consequens, ergo beata vita homi-

(1) Id. ibid. lib. 5. n. 30.
(2) Id. Tusc. lib. 5. n. 17.
(3) Jac. Phil. Moral. par. 1. cap. 3. concl. 1.
(4) Tull. Tusc. lib. 5. num. 23.
(5) Id. de Fini. lib. 4. num. 13.

hominis præcipue continetur virtute, conc: sola virtute, nego conseqm. Quoniam conceditur mentem esse partem hominis, non hominem, concedi debet etiam data beatitate, quæ convenit huic parti, si sua desit aliis, non haberi hominem beatum.

389. VI. Dicunt. Sacræ literæ passim prædicant beatos, qui virtute aliqua sunt prædiri. Sic Christus Dom. (1) beatos vocat mites, mundos corde, esurientes justitiam.

Resp. cum Lessio (2), & Benedicto Plazza (3), qui ex professo corollarium hoc propugnant, dist. ut paulo ante (§. 385.) assumptum. Et ibi beati illi dicuntur in spe, conc., in re, nego. Duplicem hanc acceptionem Beatitatis sæpius distinxit S. Augustinus (4), & juxta illam sic hortatur Macedonium, (5) *Assuesce beatus esse interim spe, ut sis & re, cum pietati perseverantissimæ retribuetur merces felicitatis æternæ.*

390. VII. Dicunt. S. Augustinus in libro *de Beata Vita*, concedit hanc consistere in eo, quod quis habeat Deum, & *Deum*, inquit, *habet, qui bene vivit*: ergo S. Augustinus approbat beatam vitam hominis consistere in sola virtute.

Resp. nego ans. Proposita quidem verba sunt in Augustini disputatione, sed non in ejus conclusione; Ita enim ille in citato libro disputat de beata vita, ut concludat illum in hac vita esse beatum, qui non solum bene vivat, sed etiam Deum cognoscat: (6) *Omnis*, inquit, *qui jam Deum invenit* (hoc est ut alibi (7) explicat, Deum perfecte cognoscit) *& propitium Deum habet, beatus est*, illum vero, qui vel a vita bona, vel a cognitione Dei deficiat, negat esse beatum. Quare cum loco nuper citato retractaverit primam partem hujus suæ doctrinæ, quia perfectam cognitionem Dei, qualis in hominem cadere potest, fatetur non esse hujus vitæ mortalis, sequitur, quod Augustinus neget quemquam esse in hac vita beatum, quod jure facit posita illa sua definitione, quam habet in hoc libro, quem nondum baptizatus scripsit, beatam vitam esse illam, in qua habetur id, quod decet velle, & quis reipsa vult. Ceterum frustra quæritur in S. Augustino suffragium pro hac Stoicorum opinione, quos cum ipse audiret docere, ex hac vita emigrandum esse sponte sapienti, si mala illum afficiant, quæ non possit vel non debeat sustinere, exclamat (8) *O vitam beatam quæ ut finiatur, mortis quærit auxilium! Si beata est, manea-*

(1) Matt. 5. v. 3. & seq.
(2) Less. de Summ. bon. lib. 1. n. 60.
(3) Plaz. de Paradiso par. 2. nu. 25.
(4) S. Aug. de Civit. lib. 19. cap. 20. Id. ibid. lib. 11. cap 12.
(5) S. August. epist. nunc 155. cap. 1. num. 4.
(6) S. Aug. de Bea. vit. num. 22.
(7) Id. Retr. lib. 1. cap. 2.
(8) S. Aug. de Civi. lib. 19. cap. 4.

maneatur in ea, si vero propter ipsa mala fugitur ab ea, quomodo est beata?

391. Addo novum pro hoc corollario argumentum ex receptu, cui Tullius quodammodo canit, dum totam quæstionem, quæ erat, an sola virtus sufficiat ad beatam vitam, commutat in hanc aliam nullius momenti, utpote de nomine non de re, an scilicet (1) vita beata recte dici possit illa, cujus præcipua pars sit referta bonis, etiamsi in aliis partibus sua bona deficiant. Et ille quidem sic statuit. Sed alii vel dolent commutatas notiones beatitudinis, vel queruntur, quod velit ab ipsis dici absolute beatum, quem ipse idem confitetur beatum esse solum ex parte.

COROLLARIUM VII.

392. Erat qui ad felicitatem Principis censeat pertinere timeri potius quam amari; quemadmodum docuit Nicolaus Macchiavellius Florentiæ ubi natus erat mortuus circa annum 1529, de quo propterea dixit Pallavicinus (2) *nihilo meliorem fuisse philosophum, quam Christianum*, cui censuræ quammulti consentiant videsis apud Fabam (3).

Missum enim faciens, quod pluribus Tullius persuadet, (4) *Omnium rerum nec aptius est quicquam ad opes tuendas ac tenendas; quam diligi: nec alienius, quam timeri*, hoc unum advertam, quod qui instituit Reip. moderatores ad quærendum primo loco timorem, jam ab illis non solum removet eam felicitatis partem, quæ in aliorum, inter quos vivunt, amore collocata est, sed id etiam illis proponit, quod felle cæteras eorum delicias inficiat amarissimo: (5) *Odio haberi*, inquit Buffierius, *est maximum malorum, & exceptis paucis, qui sunt tamquam monstra generis humani, omnes mallent esse in abjecta fortuna, quam in sublimi, affecti odio publico*. Hujus testem habemus Dionysium Syracusanum Tyrannum, quem Tullius (6) bonos, ut ait, auctores sequutus repræsentat suomet ore confitentem se miserum, utpote diurno & nocturno metu afflictum propter odium omnium civium, & etiam propinquorum, quod sibi natura sua malefica conciliaverat, etiamsi in illum præcipua confluxissent, quæ ad animi & corporis bona pertinent, ut acre & industrium judicium in rebus gerendis, artium ingenuarum, in quibus a puero excultus erat, non mediocris cogni-

(1) Tull. de Fin. lib. 5. num. 30.
(2) Pall. del bene. lib. 4. cap. 34.
(3) Fab. Ritratt. par. 2.
(4) Tull. de Offici. lib. 2. num. 7.
(5) Buff. Societ. Civil. lib. 3. cha. 6. num. 231.
(6) Tull. Tusc. lib. 5 num. 20.

gnitio, bona corporis habitudo per temperantiam in victu, & ludicras exercitationes conservata, opes ingentes, majestas dominatus, magnificentia ædium regiarum, abundantia rerum omnium. Absit igitur, ut solus timor principi quærendus sit. Timor utilis, nec ullius felicitati officiens suum habet locum in ipsa natura humani Dominii, quod leges sanciat & exequatur, quibus justitia conservetur, & quæ commercium perturbant, scelestorum facinora impediantur: Ulterior autem timor directus ad dominandum in animos, actusque multitudinis pro libito & necessitate temporum opportune regendos, idem est ac aqua adhibita ad excitandum ignem, aut compedes impositi ad expediendum cursum. Certe quidem ad hujusmodi fines obtinendos longe potentiorem esse amorem, qui historias Regnorum consulat, planissime intelliget.

393. Confirmo impugnationem Machiavellii mali Principum consultoris dictis Comitis de Tessin educatoris Gustavi Sveciæ nunc Regis, quæ habentur in una ex literis ad ipsum datis, cum valetudinis caussa ab eo abesset valde a Trevoltianis (1) commendatis, quæ est disquisitio de requisitis ad felicitatem Regum. *Hac meo*, inquit, *judicio requirit tranquillitatem animi, non secus ac felicitas hominis privati, quam Rex assequetur, dum ita Regnum administret, ut subditis amicus potius quam Dominus videatur*.

COROLLARIUM VIII.

394. Pecunia & omnia bona nobis penitus extrinseca nequeunt habere rationem partis constituentis naturalem hominis felicitatem.

Nam hæc per se ipsa non sunt quid intrinsecum homini, neque ex parte animi, neque ex parte corporis, & solum expetuntur ut media ad ea, quæ vidimus requiri ad felicitatem. Videtur huic corollario contradicere vulgus beatos appellans divites, & reprehendens avaros, quod beatitudinem quam habent, non agnoscant. Sed verbo tenus dumtaxat contradicit. Neque enim credet ullum esse, qui pecuniam quærat nisi tamquam medium ad explendam suam voluntatem in ejus usu quandocumque libuerit, & metonymia utitur, dum eo modo avaros reprehendit, quatenus scilicet per pecuniam acquiri potest pars aliqua requisita ad felicitatem, non quatenus pecunia habeat rationem felicitatis.

(1) Mem. de Trev. ann. 1755. art. 123. pag. 3012.

COROLLARIUM IX.

395. MElius comparati sunt ad humanam felicitatem possidendam, qui claritatem generis cum aurea saltem mediocritate fortunarum sortiuntur, quam ii, qui infra hanc conditionem nascuntur; Nam quid dicendum sit de illis, qui supra hanc sunt, alii viderint.

Ea certe, quam diximus qualitas generis, plerumque cum ingenii alacritate conjungitur, venerationem quamdam conciliat, commodum ad honestam institutionem largitur, instrumenta ad sapientiam suppeditat, stimulos ad virtutem subjicit, & viam ad honores & amorem parat, quæ sunt felicitatis jam stabilitæ totidem quasi stamina seu semina. Atque in hoc sensu sumi potest, quod Theophrastus Tullio auctore (1) *in libro de beata vita multum admodum fortunæ daret* in hujusmodi vita.

396. Qui nobis objiciant plures Auctores, in contraria pauperum & rusticorum conditione invenientes veram vel saltem potiorem felicitatem, animadvertant hos esse vel Poetas, vel Sophistas, quorum fabulis, & captiosis argumentis imperitum dumtaxat vulgus adduci potest in dubitationem de rebus aliunde certissimis. Huic soli imponere possunt ii, qui cum Luciano inducant (2) Timonem aliquem, qui dum secum haberet Opulentiam, Fastum etiam Intemperantiam Assentationem Odium Mala & Vitia omnia tamquam ejus asseclas alere coactus fuit: dum vero ea pro rerum humanarum vicissitudine & sua imprudentia a se discesserit, & Paupertas supervenerit, confestim domum suam subire observavit Fortitudinem Sapientiam multarumque Virtutum chorum præstantissimum. Quæ enim est hæc argumentatio a singulari ad universale, aut ab aliquibus ad multitudinem? Timoni isti in prædiviti opulentia sceleroso opponuntur veteres & recentiores Mecænates, Luculli, & Macedones Alexandri, quorum ingentes opes copiosum præclaris ingeniis alimentum, amplissimum bonis artibus incrementum, duraturum Reipublicæ universæ ornamentum, ipsis autem gloriam pepererunt immortalem. Interea vero qui observat pauperum aut rusticorum vitam perpetuis obnoxiam laboribus, a Scientiæ, Honorum, Amicitiæ, aliisque humanæ vitæ commodis remotam, ad commiserationem erga illam, non ad invidiam experitur se excitari.

397. At saltem, inquiunt virtus moralis, quæ tanta est humanæ

(1) Tull. de Fini. lib. 5. num. 5. Id. Tusc. lib. 5. num 9.

(2) Luci. Timon. 2 num. 31. juxta Hemsterhusium.

næ felicitatis pars, cum pauperibus & rusticis plerumque habitat. Verum ex hoc, quando permittatur, sequitur solum, sperare illos posse majorem felicitatis æternæ, cumulum non vero sequitur ipsos potiri jam felicitate terrena, quemadmodum sanctissimos viros, qui vitam in cruciatibus acerbissimis, post diuturnum carcerem & rerum omnium indigentiam, pro Fide Catholica amiserunt, nemo dicit fuisse humanitus felices. Permittitur autem, non vero conceditur, eorum, qui objiciuntur, vitam conjunctam plerumque esse cum virtute morali, habendo præsertim præ oculis ethnicos pauperes & ipsorum laudatores. Virtus hujusmodi fructus est Christianæ Religionis, quæ non solum vera Ethices dogmata docet, sed per Gratiam Redemptoris alte in omnium mentibus imprimit, & facilitatem ad illorum observantiam impertitur. Hac deficiente expositi sunt pauperes quicumque ad posthabendam veritatem fidem honestatem omnem cuivis vel tenui lucro vel brutali voluptati: Ea autem excitante & adjuvante tam pauperes, quam divites apti sunt ad magnos in virtutibus progressus efficiendos. Quare non minus de quibusdam pauperibus scriptum est (1): *Beati pauperes*, quam de quibusdam divitibus, (2) *Beatus dives*: quod pluribus persuadet Daniel Bartolus (3).

COROLLARIUM X.

398. QUi secundum Christianæ Religionis dogmata vivant, omnium maxime capaces sunt felicitatis naturalis. Da enim unum ex his bona utentem valetudine, & ea præditum mente, quam parem experiatur ad exequenda munia, quæ suo statui, in quo natus est, conveniunt, hic omnium honestissime agit, utpote qui in Dei & proximi amore continuo versatur, in quibus (4) *duobus mandatis universa lex pendet*: idemque conscius sibi est de liquida animi tranquillitate, quæ legis observantiam sequitur: & plerumque de aliorum etiam amore & honore erga se: ergo habet omnia, quæ ad præsentem felicitatem vidimus pertinere. Prodiit Berolini ann. 1749. anonymus libellus Gallice scriptus, *Specimen philosophiæ moralis*, communiter Maupertuisio adscriptus, in quo Trevoltiani (5) commendant ultima duo capita, quæ circa hoc corollarium exponendum & exornandum versantur.

(1) Luc. 6. 20.
(2) Eccli. 31. 8.
(3) Bart. Ricreaz. del Savio. li. 2. c. 9.
(4) Matt. cap. 5. v. 40.
(5) Trev. ann. 1750. art. 8. pag. 125.

PROPOSITIO II

Ad felicitatem propriam integræ gentis necessaria sunt mentis vigor, corporis robur, animorum concordia, Religionis studium, & bonarum artium, quæ propria pacis sunt, pretium.

399. Propositio, quæ dum ea affirmat requiri, præscindit ab eo, quod eadem sufficiant necne ad felicitatem, sic ostenditur. Imprimis animi vigor requiritur, quia sicuti per hunc homo dominatur Equis Tauris Elephantis Brutis omnibus longe se robustioribus, nec timet sibi a quibusvis feris immanioribus, ita quæ gens majori polleat mentis perspicacia, felicitatem suam contra alienum impetum, & vices ut ita dicam Fortunæ facilius tuetur & latius amplificat. Testes sunt inter veteres Græci & Romani, qui cum alios populos superarent, non jam proceritate corporis, sed ingenii acumine per omnes disciplinas & artes sedulo exercitato, imperium rerum obtinuerunt.

400. Robur etiam corporis ad nationis felicitatem pertinere suadetur ex eo, quod integra gens secura esse nequit in possessione bonorum suorum ad modum hominis privati per robur aliquod sibi extrinsecum legum & Magistratuum: Gens proinde imbellis subjacet periculo serviendi alteri robustiori. Hinc novimus debellatam Europam & Asiam diversis temporibus a populis Borealibus sub nive & gelu ad virium firmitatem robustissimam obduratis: nec ignoramus eversa imperia Assyrium Persicum Græcum & Romanum, statim ut luxus hujusmodi populos enervavit. Inutilis est, dixit Charidemus Dario contra Macedonas ferro armatos & horridos milites tua hæc immensa hominum multitudo auro & argento onusta. Utinam hæc impendas ad milites comparandos, nec velis vindicem neglecti consilii mei Alexandrum experiri, quod contigit, & morte propterea damnatus prædixerat futurum.

401. Quod pertinet ad animorum concordiam, hujus necessitatem suadet ipsummet corporis robur, cujus utilitas nulla est, pernicies vero maxima, quando in ejus usu atque exercitio desit communis ad unum finem conspiratio: quemadmodum plures funiculi si invicem uniantur in rudentes pares sunt ad sustinendos immobiles contra impetus tempestatum myoparones, impares vero si alteri ab alteris dividantur. Sed quid quærimus, quid conferat ad Reip. felicitatem concordia? cum ipsamet Respubli-

publicæ hac deficiente omnino dissipentur juxta Evangelicam sententiam facto ipso frequenter comprobatam, (1) *Omne regnum divisum contra se desolabitur, & omnis civitas vel domus divisa contra se non stabit*.

402. Quod etiam studium Religionis requiratur ad publicam felicitatem sic conficitur. Sublata Religione, quæ includit in sua notione persuasionem immortalitatis animarum, & existentiæ Dei, ut bonorum remuneratoris, & vindicis malorum, emergunt subito vitia omnia atque flagitia: Sed horum effectus sunt languor mentis & corporis, dissensio animorum, & boni publici negligentia, pestes felicitatis: Ergo sublata Religione removetur etiam hujusmodi felicitas. Hoc argumentum confirmari posset, quemadmodum pro dignitate fecit Jo. Baptista Noghera (2) authoritate non solum omnium Legislatorum, & Philosophorum, qui alicujus nominis sunt & simul aut sinceri aut sibi cohærentes, sed etiam testimonio vulgi ipsius & exemplis omnium temporum contra quosdam, qui hoc imprudenter ausi sunt vel in dubium revocare iis rationibus, quarum futilitatem idem Noghera ostendit, vel etiam aperte negare, sicuti facit Montesquius, qui virtutem ad bonum regni statum necessariam non esse aperte pronunciavit ea adhibens argumenta, quæ ipsum plane desipientem, utpote sibi passim contradicentem evincunt, ut Gerdilius demonstravit in præclara ejusdem impugnatione merito a Trevoltianis (3) celebrata.


403. Tandem pars est felicitatis nationis, quod bonæ artes apud illam colantur & foveantur, non vero sola militia in pretio sit. Bonæ enim artes habentur inter fructus pacis, ad quos proinde bellica tamquam medium ordinatur. Præterea, nonne evidens est hominem esse ad societatem natum? cum pluribus indigeat ad victum & vestitum, quæ solus nequit sibi sufficere: necesse est ergo, ut natio, in qua artes negligantur, ab exteris gentibus sibi comparent, quæ sibi opus sunt eo impendio, quod eidem excidium afferet. Quamobrem facile quisque credet Buschingio, qui (4) ex neglectis artibus, præsertim agricultura repetit potissimam caussam de paucitate incolarum, ad quam redactæ sunt aliquæ regiones, quas historiæ commemorant fuisse olim longe magis frequentatas. *O miserrimas propeque perditas civitates, quæ artium studia negligunt*, exclamat Guido Ferrarius in sua *de optimo statu civitatis oratione*, de qua mentionem faciunt etiam Trevoltiani (5), quæ

(1) Math. 12. v. 25.
(2) Nogh. Filos. del bello spiri. Rifl. 5. & seq.
(3) Mem. de Trev. ann. 1755. art. 6. pag. 1360.
(4) Buf. Geogr. tom. 2. Introd. §. 6.
(5) Mem. de Trev. ann. 1755. art. 29. pag. 607.

quæ circa hoc argumentum versatur. Hæc certe studia præter delectationem, qua mentes potissimam hominum partem imbuunt, permittunt cæteris etiam vitæ commodis abunde frui, & veram hominum Rempublicam constant. At his sublatis, & sola militia relicta, videor mihi videre tempore quidem pacis multitudinem barbarorum seu ferarum otiantium, tempore autem belli exemplar publicæ infelicitatis, siquidem quis neget militarem vitam per se esse asperam rudem improbo labore plenam assiduis periculis obnoxiam & felicitati prorsus contrariam.

LAUS DEO.

DE



DE MALO

AUTHORE

ANDREA SPAGNIO



PRÆFATIO.

1. DAri malum eſt pluſquam notum ex propria cujuſque experientia, continuis aliorum querelis, & ipſiuſmet Dei authoritate, qui docuit nos orare in hæc verba (1) *Libera nos a malo*, quod ſi nullum eſſet, fruſtra juberemur illud a nobis deprecari. Diſputatur autem de Mali cauſſâ tum efficienti, tum formali, tum finali. De quibus habetur quidem vera ſententia apud antiquiores Philoſophos & Theologos, ut Suarez (2), inhærentes doctrinæ Sanctorum, maxime S. Auguſtini & S. Thomæ: ſed non item apud quoſdam ultimorum temporum Scriptores, qui etſi copioſe & integris etiam libris de hac re egerint, ut Leibnitius in ſua *Theoditæa*, Kingius in libro *de Origine Mali*, Jo. Chriſtophorus Wolfius in

(1) Matth. 6.

(2) Suar. Metaph. diſp. 11.

Malitia nomen abstractum a malo, quod est concretum, significat carentiam perfectionis. Ea definitur per carentiam, quia ut infra constabit, nulla est malitia, quæ sit forma aliqua positiva. Quod siquis velit malitiæ definitionem, quæ præscindat ab eo, quod sit vel non sit carentia aliqua definiri potest esse id, quod per modum causæ formalis reddit malum subjectum, quemadmodum bonitas abstractum nomen a bono, sæpe dicitur a S. Thoma (1) id, quo bene afficitur subjectum.

3. Definitiones mali & malitiæ datæ sunt inhærendo ipsis nominibus, quorum alterum est concretum, alterum abstractum. Cæterum non solum usus, sed ratio ipsa facit, ut malum pro malitia & vicissim usurpentur. Quod ipsa malitia possit rite vocari malum, ratio est, quia carentia perfectionis (2) *eo modo*, inquit Suarez, *quo concipitur per modum entis, concipitur etiam & denominatur malum quoddam, quamvis non concipiatur ut ens in se malum, sed ut malum ejus, cujus est privatio*. Quod vero ipsum etiam malum vocetur malitia, habemus hæc exempla ex Augustino: alterum, in quo malum quoddam morale, amorem nocendi, vocat malitiam, (3) *quid est*, inquit, *malitia nisi nocendi amor?* quibus similia habet alibi (4), & quidem juxta consuetudinem Latinorum, qui nomine malitiæ non significabant quodvis malum morale, & multo minus malum in genere, sed fallacem nocendi rationem, ut testis est Tullius, qui propterea dicit, (5) *quas Græci κακίας appellant, vitia malo, quam malitias appellare*. Alterum exemplum est, ubi Augustinus malum pœnæ, & aliud etiam quodcunque malum naturale vocat (6) malitiam, citans illud ex Versione Septuaginta, (7) *Propitiatus est Dominus de malitia, quam dixit facere populo*, quod Vulgata legit, *Placatus est Dominus, ne faceret malum, quod loquutus fuerat*, & illud, (8) *Æstimata est malitia exitus illorum*, ubi Vulgata pro malitia habet afflictio.

4. Malum in genere dividitur in malum simpliciter sive absolutum, & malum secundum quid. Malum absolutum significat id, quod caret omni perfectione. Quare malitia absoluta est carentia omnis perfectionis. Ex quo jam intelligitur malum absolutum esse ipsummet totale ut ita dicam nihilum; quod distincte infra ostendam. Malum secundum quid significat id, quod caret aliqua

 per-

(1) S. Thom. 1. p. q. 5. art. 5. ad 2. Id. 1. 2. q. 51. art. 4. ad 1. Id. 3. p. q. 11. art. 5. ad 3.
(2) Suar. Metaph. disp. 11. sect. 4. n. 3.
(3) S. August. Hom. 30. olim, nunc serm. 353.
(4) Id. in Psal. 34. ser. 1. n. 11.
(5) Tull. de Fin. lib. 3. n. 11.
(6) Aug. Quæ. super Exod. q. 143.
(7) Exod. 32. 14.
(8) Sap. 3. 2.

perfectione, & consequenter malitia secundum quid significat carentiam alicujus perfectionis.

5. Malum secundum quid dividitur in malum in se, & malum alteri, quod etiam dicitur malum respectivum, & significat id, quod alteri non convenit. Confirmat S. Augustinus prædictam divisionem, ejusque declarationem dicens, (1) *Mala ideo dicuntur, quia minora sunt, quam esse debuerunt, aut quia non his rebus accomodantur, quibus accomodanda sunt*. Polmanus utramque notionem mali in se, & mali respectivi conjungens dixit (2) *Malum est ens sibi, alterive disconveniens*. Atque hoc modo dedit definitionem per terminos oppositos illis, quibus bonum malo oppositum bene ex dictis alibi definitur (3) per convenientiam. Quod jam olim fecit Durandus dicens, (4) *formalem rationem mali esse privationem convenientiæ rei ad rem*: & ante ipsum S. Augustinus dixit, (5) *Malum esse inconvenientiam*, quæ maxime relucet in malo alteri, ut in veneno Scorpionis, quod corpori humano inconveniens est, dum Bestiæ ita conveniens est, *ut si ei penitus aliquo pacto detrahatur, penitus interiret*.

ARTICULUS II.

De Malo metaphysico, physico, & morali.

6. MAlum in se secundum quid, dividitur in malum improprie tale, & proprie tale. Malum improprie tale, quod aliter dicitur metaphysicum, significat carentiam perfectionis illius, quæ non est debita naturæ entis scilicet creati. (6) *Acceptio ista mali impropriissima est*, inquit Suarez, eodemque teste (7) malum illud non considerarunt Patres & Philosophi usque ad ipsius tempora, quia observarunt in communi usu loquendi non appellari malam rem aliquam per hoc dumtaxat, quod non habeat perfectionem aliquam, quæ est in alia re quacunque, sed per hoc, quod non habeat perfectionem sibi debitam. Nam dicebat Tullius, (8) *Num si cornibus caremus aut pennis, sit qui id dixerit? Certe nemo. Quid ita? quia cum id non habeas, quod tibi nec usu nec natura sit aptum, non careas, etiamsi sentias te non habere*. Et quis, inquit S. Thomas dicat (9) *rem ali-*

(1) S.Aug. de Nat. Bon. cap.28.
(2) Polm.Brev.Theol. p.1.2. §.235.
(3) Diss. de Bono §.72.
(4) Dur. in 2. sent. dist.33. q.2. n.4.
(5) S.Aug.de Mor. Manich. c.8. n.11.
(6) Suar. Met. disp.11. sect.4. n.3.
(7) Id. ibid. sect.1. n.3:
(8) Tull.Tusc. lib. n.36. juxta Oliv.
(9) S.Th. 1. p. q.48. art.3. O.

aliquam esse malam, quia non habet bonum alterius rei, ut hominem esse malum, quia non habet fortitudinem Leonis? vel quis affirmet privato civi malas esse atque deformes suas vestes, quia ipsi adderent formositatem & splendorem pretiosæ & auro gemmisque contextæ, quod est in hac ipsa re exemplum Pallavicini (1). Porro non habere aliquam perfectionem vel carere ulteriori perfectione est quid ita essentiale omni creaturæ, ut apud Philosophos obtineat illam considerare tamquam aliquid habens (2) *mixtionem & compositionem metaphysicam ex ente & ex nihilo, ex perfectione & negatione perfectionis.*

7. Hæc veterum circa malum metaphysicum sententia ignota fuit Moshemio, aliter non dixisset, (3) *Mala imperfectionis recte & prudenter, qui recentius de his philosophati sunt, mala ea proprie vocari posse negarunt.* Interea tamen Recentiores sunt illi, qui inquirentes in originem mali passim mentionem faciunt de malo isto improprie tali: & aliqui, ut Jo: Christophorus Vvolfius (4) fuse contendunt, ex illo nihil posse inferri contra Bonitatem Dei. Leibnitius hujusmodi malum vocavit malum metaphysicum (5), quem sequuti sunt Antonius Genuensis (6), & Vvolfius. Kingius vero (7), & Clarke (8) præter citatum Moshemium, illud vocarunt malum imperfectionis. Hooke (9) malum defectus, scilicet a summa perfectione, & alii tandem imperfectionem negativam.

8. Malum proprie tale significat ens carens perfectione sibi debita, quam notionem iisdem fere verbis dat etiam Suarez (10). Idem formaliter sumptum, hoc est malitia significat carentiam perfectionis enti debitæ, quæ uno verbo communissime dicitur privatio. S. Augustinus (11) illam vocat etiam *corruptionem*, & S. Ambrosius ab eodem (12) citatus, *boni indigentiam*, & alii imperfectionem privativam. Secundum quem modum cum Polmano dicam: (13) *Malum est ens privatum perfectione: malitia est privatio perfectionis in esse.*

(1) Pall. in 1.2. dist. 3. q.2. ar.4. n.3.
(2) Id. ibid. art.2. in fin.
(3) Mosh. in notis ad Cudvvorth. cap.4. §.13.
(4) Vvol. Manich. sec.3. n.16.
(5) Leib. Essai. de Theod. par.1 n.21. Id. Causa Dei ad fin. Theod. n 29.
(6) Gen. Flem. Metaph. par.3. cap.4. prop.25. Id. ibid. in Appen. ad cap.4. §.9. Id. ibid. tom. 4. de Principio Legis cap.3. §.2. pag. 19. & alibi.
(7) Kin: de Orig. mali cap.2. n.2.
(8) Cla. A demonst. of God prop.10.
(9) Hoo. Princ. relig. to.1. sec.3. ar.2.
(10) Suar. Met. disp.11. sec.1. n.21.
(11) Aug. cont. Epis. Fund. c.35. n.39.
(12) Id. cont. Julian. lib.1. cap.9. n.44.
(13) Pol. Brev. Theol. p.1.2. n.235.

9. Malum proprie tale dividitur in physicum seu naturale, & morale seu culpæ. Malum autem naturale dividitur cum Suarez (1) in malum pure naturale, & non pure naturale. Quam distinctionem exhibet etiam S. Augustinus, qui rerum terrenarum corruptibilitatem vocat (2) *vitia rerum non voluntaria*, *neque pœnalia*, adeoque pure naturalia. Rursus malum pure naturale dividitur in malum naturæ solum corporeæ, quod dici potest malum puræ privationis, & malum naturæ animatæ, quod dici potest malum sensibile, non supponens culpam. Malum morale dividitur in Objectivum & Actuale.

10. Notiones mali naturalis & moralis sunt, ut sequitur. Malum naturale sumptum formaliter, sive pro malitia naturali. significat privationem perfectionis enti debitæ in genere naturæ. Malum vero morale, privationem perfectionis enti debitæ in genere moris. Et quandoquidem nomine moris communiter intelligitur actus exercitus a natura rationali ex dictis alibi (3) malum morale aliter definiri potest, privatio perfectionis debitæ actui exercito a natura rationali cum libertate a necessitate.

ARTICULUS III.

De Malo pure naturali.

11. MAlum pure naturale significat privationem perfectionis non inflictam propter culpam. Atque illud, quod est naturæ solum spiritualis, significat privationem illius perfectionis propriæ spiritus, quæ solet explicari per quietem aut per gaudium. qua deficiente perfectione intelligitur natura spiritualis affecta imperfectione contraria inquietudinis aut afflictionis. Ita quoties advertimus ad ignorantiam eorum quæ experientia cognoscimus nos assequi non posse, dum alios novimus probe assequutos, aut ad oblivionem eorum quæ olim noscebamus, toties molestiam sentimus.

12. Malum autem pure naturale, quod est malum naturæ solum corporeæ, significat privationem perfectionis alicujus, quæ convenit naturæ dumtaxat corporeæ, adeoque non conjungitur cum ulla illius sensibilitate. Convenire autem dicitur illi naturæ ea perfectio, vel quia illam cum antea haberet jam amplius non habet, vel quia alia in eadem specie entia novimus illam habere, Tale malum est satis proximum malo metaphysico (§.6.); sicuti enim

(1) Suar. Met. disp. 11. sec. 2. n. 5.
(2) Aug. de Civ. lib. 12. cap. 4.
(3) De Bono §. 10.

enim in communi usu loquendi non dicitur res mala, quæ non habet perfectionem sibi non debitam, ita pariter non solet dici, inferri malum, nisi dum loquimur de malo sensibili, quod cadere proinde non potest in res inanimes. Puer ille, qui ab Areopago capitis damnatus perhibetur, eo quod in eruendis avium oculis deprehensus mirifice se delectaret, creditus fuit immanis indolis, quæ aliquando in Reipublicæ perniciem redundaret (neque enim Senatus ille ex sapientissimis Græcorum compositus, suspicatus fuerat posse controverti, an bruta sint animata) nullius reprehensionem incurrisset, si in lauris aut juniperis exurendis sese occupasset, ut aures crepitu vel nares odore titillaret.

Malum tandem pure naturale rei animatæ significat privationem perfectionis propriæ corporis animati, quæ potest explicari per quietem animæ & indivisionem corporis conjunctim, sine ulla ejus culpa: qua deficiente perfectione intelligitur corpus animatum affectum molesta sensatione.

13. Quemadmodum autem inter bona naturalia propria hominis, alia sunt ipsi intrinseca, alia extrinseca, similiter de oppositis malis dicendum; Ad mala intrinseca, quæ talia absolute sint & non relative, Pallavicinus (1) pertinere vult hæc duo dumtaxat, errorem & displicentiam. Quare juxta ipsum debilitas virium, deformitas corporis, ingenii tarditas, aliaque non sunt intrinseca hominis mala, nisi quatenus illum affligant. Fortasse vulgus ipsum idem sentit, quod homines simplices ignorantes & ad res gerendas inhabiles non solum non vocat malos, sed potius bonos appellat, quod veteres etiam Latini faciebant; Sic Tullius dixit, (2) *Consules duos bonos quidem, sed tantum bonos amisimus*. Inter mala autem homini extrinseca in simili sensu absolute mala statuit hæc duo tantummodo, odium & infamiam. Et revera Ethnici ipsi Philosophi, qui vitam pauperem adamarunt præ opulenta, planum faciunt multa, quæ vulgo tamquam mala extrinseca habentur, non esse in se mala, sed solum quatenus aliquod ex prædictis malis sive intrinsecis sive extrinsecis quodammodo pariunt. Sed de hujusmodi opinionibus alii viderint.

ARTI-

(1) Pall. del Bene lib 4 cap. 4. (2) Tull. ad Brutum.

Articulus IV.

De Malo non pure naturali.

14. MAlum non pure naturale, quod vulgo appellatur malum pœnæ, significat privationem perfectionis inflictam propter culpam. Hoc utpote supponens subjectum intellectivum, bene quidem Leibnitius (1) dixit consistere in perpessione, & melius alibi (2) in displicentia, quod congruit S. Anselmo, qui tale malum non semel vocavit (3) *malum incommoditatis*, & distinxit in illud, quod nihil est, ut cæcitas, & quod est aliquid, ut dolor. Ex quo intelligitur minus bene illud ab Antonio Genuensi explicari (4) per dolorem, cujus ulterior ratio est, quod hoc nomen *dolor* absolute prolatum non excitat in communi acceptione ideam displicentiæ in genere, sed illam determinate, quæ nascitur ex læsione corporis, cui anima conjuncta est, (5) *Dolor*, sic Tullius, *est motus asper in corpore, alienus in sensibus*, improbans Græcos, qui tam dolorem, quam laborem, quem dicit *esse functionem quamdam animi vel corporis gravioris operis*, uno nomine appellabant πόνον. Et S. Augustinus, (6) *Quid est aliud dolor, nisi quidam sensus divisionis vel corruptionis impatiens?* Et Pallavicinus, dolor, inquit (7), presse vocatur tristis illa affectio, quæ opponitur sensili voluptati. Quare non comprehendit spiritus ægritudinem, quæ appellari quidem potest etiam dolor, sed animi, cui subjici potest tum purus spiritus, tum ille qui unitur corpori, vel quia moleste habet, corpus cui unitur carere sua integritate, etsi sine ullo dolore, ut accidit in cæcitate: vel quia sano & integro cæteroquin corpore alia de causa affligitur.

15. Illud quidem verum est dolores corporis in hac vita acerbiores esse illis animi, ut citatus Pallavicinus (8) evincit. Hi enim tam efficaciter lapsu temporis leniuntur, ut mater, quæ mortuo filio primos in luctu dies noctesque transegit, tandem uti solebat exhilaretur & rideat, idemque in plerisque accidere existimat Tullius se persuadere ex quadam, quam persequitur inductio-

(1) Leib. Eff. de Theol. par. 1. n. 21.
(2) Id. ibid. p. 3. n 251.
(3) S Ans. lib. de casu Diaboli c. 26. Id. de Opusc. de Præsc. cap. 1. Id. de Conceptu Virgin. cap. 4.
(4) Genu. Elem. Metaph. par. 3. App. ad cap. 4. § 9.
(5) Tull. Tusc. lib. 2. juxta Olivetum n. 15.
(6) S. Aug. lib. 3. de lib. arb. c. 23.
(7) Pall. del Bene lib. 3. cap. 25.
(8) Id. ibid. lib. 4. cap. 8.

ctione. At illos corporis longinquitas temporis non solum non mitigat, sed magis etiam magisque exasperat, ut plane intolerabiles reddat, & animam ipsam cogat se separare a corpore, quicum tam amice conjungebatur. Hinc Leges in tortura, qua rei sollicitantur ad delicti confessionem, certum definiunt tempus, quod nolunt transgredi, ne ea soli tribuatur cruciamento, cujus vis fit diuturnitate vehementior, & par etiam ad mortem ipsam inferendam vel eligendam.

16. Contrario autem modo, quando anima & corpus cujusvis hominis Divina virtute ad pristinam sui unionem in æternum duraturam revocata fuerint, dolor animi, quo Damnati cruciabuntur, longe vehementior erit dolore corporis; siquidem pœna damni, quæ consistit in tristitia propter carentiam visionis Dei, acerbior erit pœna sensus. Ratio hujus discriminis nota erit quotiescumque innotescat, cur nam in hac vita dies procedens mitiget, & etiam tollat hominibus suas ęgritudines. Tullius quidem hoc credidit ex eo provenire, quod tandem (1) *usus doceat vel minora esse ea mala, quæ sunt visa majora*, vel quod (2) *nihil sit in re mali*: quorum alterum non videtur habere semper locum, ut in orbitate liberorum, in mutatione status a divite fortuna in pauperem & afflictam, & aliis hujusmodi: Alterum vero nemo dabit, nisi qui Stoicæ disciplinæ adhaeserit. Illa igitur mihi hujus ratio videtur esse, quod quamdiu vivimus mortalem vitam, experimur continuas vicissitudines vigiliæ & somni, & variarum impressionum objectorum sensibilium, ex quibus anima ad alias successive sensationes vel reflexiones determinatur, quæ duo necesse est dolorem animi mitigent, aut interrumpant, remotis ab illius apprehensione objectis quæ sunt quasi caussæ ægritudinis. Quare cum post resurrectionem hæc quæ diximus non habeant amplius locum, & in vita immortali præsens animæ perpetuo & constanti modo futurum sit objectum sui doloris, amissio visionis Dei, in quem toto illa impetu sentiet se impelli, opus erit continuo crucietur dolore, qui tantum superabit dolores corporis seu pœnam sensus, quanto anima potior est corpore, & quodvis subjectum vehementius affligitur malo suo, quam malo alterius.

17. Malum proprie tale respectu creaturarum rationalium, in quarum numero nos homines sumus, aliter dividitur in malum culpæ, & malum pœnæ, quam divisionem sub nomine mali injustitiæ & incommoditatis adhibuit citatis nuper locis S. Anselmus, eam-

(1) Tull. Tusc. lib. 3. n. 22. (2) Id. ibid. n. 30.

eamdemque approbat S. Thomas dicens, (1) *Omne malum in rebus voluntariis est pœna vel culpa*. Et ratio est, quia in his creaturis scimus ex Divina revelatione nullum esse malum pure naturale, ut infra distinctius dicam. Hinc S. Augustinus loquens de malis, quæ nos tangunt, dixit (2) *duobus modis appellare solemus malum, uno, cum male quemque fecisse dicimus, alio, cum mali aliquid esse perpessum*. Idemque propter eamdem caussam dixit (3) *constare diligenter ratione discussa, malum non exortum nisi ex libero voluntatis arbitrio*: quia scilicet constat ex hoc unice esse malum culpæ, quod secum quodammodo trahit malum pœnæ.

18. Divisio ista in malum culpæ & pœnæ respondet partitioni boni, respectu habito pariter ad ens rationale, in bonum honestum & delectabile. Nam malum culpæ est aliquid non honestum, quod solet dici turpe: malum autem pœnæ est aliquid non delectabile, utpote contristans. Alteri vulgari membro boni, quod est bonum utile, dici potest opponi malum, seu medium inutile, & declarari per hoc, quod sit id, quod cum ex natura vel institutione sua aptum esse debeat ad finem aliquem acquirendum, ex aliquo accidenti redditum est improportionatum, ut ait Suarez (4). In hoc sensu dicunt Theologi Mystici divitias honores & similia non esse connumeranda in bonis, sed potius in malis, quatenus scilicet per horum facilem abusum redduntur inutilia ad cælestem beatitudinem acquirendam. Hoc modo Genuensis etiam, etsi Philosophum agat, cujus est non uti sermone, qui vulgares & receptas nominum & rerum notiones perturbet, dixit (5) *plurima quæ bona habemus & dicimus, mala esse reperiuntur*.

19. Advertit tamen citato loco Suarez partitionem istam mali trimembrem non esse usitatam, quia cum de ratione mali proprie talis sit, esse privationem, non vero negationem, in malo inutili non invenitur nisi ratio negationis; Nam quod est inutile ad aliquem finem, si ex natura sua caret proprietate seu perfectione necessaria ad talem finem, jam hujusmodi carentia non est privatio, sed tantummodo negatio: Sic currus sine rotis inutilis est ad cursum, & bombarda sine nitrario pulvere inutilis est ad bellum. Sin ex accidenti tantum, non vero ex natura sua caret perfectione illa, jam ea carentia est quidem privatio respectu rei, prout in se consideratur, non tamen prout habet rationem medii, sub qua ratione respectiva ad finem est solum quædam negatio: Sic debilitas in rotis currus habet respectu illarum rationem

(1) S. Thom. 1. p. p. 48. ar. 5. O.
(2) S. Aug de lib arb. lib 1. c. 1. n. 1.
(3) S. Aug. Retract. lib. 1. cap. 9.
(4) Suar. Met. dist. 11. sec. 2. n 7.
(5) Gen. Elem. Met par. 3. app. ad cap. 4. §. 8.

nem privationis illius firmitatis, quæ debita est rotis, sed respectu finis, scilicet facilis cursus, habet rationem negationis; Nam currus rotis infirmis munitus negatur esse medium ad cursum. Ne tamen omnino inusitata ea partitio dici nunc possit, impedit Pallavicinus (1), qui dividens malum in inhonestum, injucundum, & damnosum conatus est eam declarare per oppositam divisionem boni.

Articulus V.

De Malo Morali objectivo.

20. Malum morale, uniformiter ad bonum morale ipsi oppositum, dividitur in objectivum & actuale. Malum morale objectivum significat actum, quem natura rationalis operari potest, qui expers est perfectionis sibi debitæ. Quomodo actui malo, non quidem qui exercetur, sed qui possit exerceri conveniat esse malum objectivum, eadem est ratio ac illa, quæ data est explicando bonum morale objectivum (2). Nec curandi sunt Stoici, qui sicuti boni nomen uni bono morali actuali proprium fecerunt, ita malum noluerunt appellare, nisi actum turpem: hujus autem objecta, & alia, quæ mala vulgo appellantur, (3) *ex contortulis quibusdam*, ut ait Tullius, *ac minutis conclusiunculis* dixerunt ἀποπροηγμένα, hoc est postposita, & reiicienda. Malo morali objectivo respondens malitia significat privationem perfectionis in actu, quem natura rationalis operari potest.

21. Malum morale objectivum dividitur cum S. Thoma (4) in malum morale per se, quod nempe tale est antecedenter ad omnem nostram cogitationem; & malum morale per accidens, quod potest esse tale, vel propter legem positivam, vel propter ordinationem agentis, vel propter ejusdem errorem. Notiones malitiæ pro singulis membris hujus divisionis utendo terminis, quibus opposita singulis bonitas alibi definita est, sunt hujusmodi.

Malitia moralis objectiva per se significat discrepantiam, quam actus, quem natura rationalis operari potest, habet cum illa independenter ab omni cujusvis cogitatione. Talis malitia est in omnibus per Decalogum prohibitis. Malitia moralis objectiva per accidens in genere, significat discrepantiam, quam actus,

qu em

(1) Pall. in 1. 2. disp. 1. qu.3. art.2.
(2) De Bono §. 19.
(3) Tull. lib. 2. num. juxta Oliv. 18.
(4) S. Thom. 1. 2. qu.19. art.5.

quem natura rationalis operari potest, habet cum illa non independenter ab omni cujusvis cogitatione. Simili modo Suarez dicit, quod (1) *Sicuti bonitas objectiva fundatur in re convenienti natura rationali ut sic, ita malitia consistit in disconvenientia.* Et Vasquez (2) *Malitia*, inquit, *est inconvenientia cum natura rationali, vel privatio rectitudinis secundum virtutem.*

22. Malitia, quæ est per accidens ex Lege positiva, significat discrepantiam, quam actus, quem natura rationalis operari potest, & qui præscindendo a Lege est objective indifferens, habet cum ipsa natura consequenter ad positionem legis illum actum vetantis. Talis malitia est in omnibus per Ecclesiam prohibitis.

Malitia, quæ est per accidens ex ordinatione agentis significat discrepantiam, quam actus objective non malus, quem natura rationalis operari potest, habet cum ipsa natura, dum fiat ex motivo per se moraliter malo. Talis malitia est in bonis hypocritarum operationibus.

Malitia, quæ est per accidens ex errore agentis, significat discrepantiam, quam actus objective per se moraliter bonus, quem natura rationalis operari potest, habet cum ipsa consequenter ad creditam per errorem ejus malitiam. Talis malitia est in eo qui verum dicat, ubi putat per errorem invincibilem teneri se ex charitate ad mentiendum.

ARTICULUS VI.

De Malo Morali actuali, & originali.

23. MAlum morale actuale significat actum a natura rationali peractum, qui ipsi non convenit, utpote carens perfectione sibi debita. Quare respondens malitia significat discrepantiam, quam actus a natura rationali peractus habet cum ipsa, utpote carens perfectione sibi debita. Porro nomine actus naturæ rationalis venit non solum actus positivus, sed etiam negativus, qui vulgo dicitur omissio: Quod certum est ex consensu Theologorum, ut videre est apud Antoinem (3), & Juristarum (4) & vulgi universi, quod alios videmus laudare vel vituperare non solum propter illa, quæ faciunt, sed etiam quæ facere omittant, quin immo ex doctrina Christi Domini, quando ait (5), *Licet sabbatis*

(1) Suar in 1. 2. tr. 3. disp. 2. sec. 2. num. 20.

(2) Vasq. in 1. 2 dis 129 ca. 9 nu 32.

(3) Antoi. Theol. Mor. tr. de Pecc. cap. 1. qu. 1.

(4) L. ù mora. Et Glossa ibidem verbo facto. ff. soluto matrimo.

(5) Mar. 3 v 4.

batis benefacere an male? ubi malum ut ex contextu patet appellavit omissionem beneficii. Illud in peccato omissionis animadverti debet, quod privatio seu negatio rectitudinis, quæ ad omne peccatum pertinet, reperiri nequit in actu, qui nullus est, sed in sola voluntate, quæ actum omisit.

24. Malum morale actuale dividitur sicut oppositum bonum in materiale & formale. Quod materiale est, significat actum a natura rationali peractum, qui ipsi non convenit objective tantummodo consideratus, hoc est non habita ratione ad finem propter quem fiat, qui potest esse objective bonus, nec ad modum quo fiat, qui potest esse sine libertate a necessitate. Exempla hujusmodi mali materialis innumerabilia sunt in humana Republica; sunt enim qui adeunt & retinent hæreditatem eorum, quos credunt suos genitores, cum non sint, cum damno eorum, qui legitimi hæredes sunt: & qui ineunt contractus etiam matrimoniales in gradibus jure positivo, & forte etiam naturali prohibitis, sed invincibiliter ignoratis: & qui militarem vitam ducentes ex pari ignorantia de injustitia belli occidunt vastant & dominia a veris dominis ad alienos transferunt: & sic de aliis sexcentis casibus.

25. Malum morale actuale formaliter tale significat actum a natura rationali peractum, qui ipsi non convenit subjective consideratus, hoc est habita ratione tum ad finem propter quem fit, qui non est objective bonus, tum ad modum quo fit, qui est cum libertate a necessitate, & præceditur a judicio vel vero vel invincibiliter erroneo, quod actus ille sit vel certo vel saltem probabiliter objective malus moraliter.

26. Notio actus moralis materialiter mali præscindit tum a fine propter quem fiat, tum a modo quo fiat. Utrumque vero postulat notio actus formaliter mali. Atque actus quidem, qui reipsa non habeat nisi malitiam objectivam, vel quia fit sine libertate a necessitate, cujusmodi sunt actus hominis, qui essent & dicerentur peccata formalia, si voluntarii essent, ut illi, de quibus queritur Apostolus dicens (1), *quod nolo malum, hoc ago*: vel quia fit ex fine objective bono, ut sententia prolata ex amore justitiæ contra vitam innocentis, vel contra bona veri possessoris, ex vi testium aut instrumentorum, quorum falsitas ab Judice humanitus deprehendi non potuit, esset actus moralis, malus dumtaxat materialiter. Actus vero, qui reipsa habeat non solum objectivam malitiam vel realem vel aliquo modo creditam, sed etiam subjectivam, quæ ex dictis dependet tum ex fine objective malo, tum ex modo agendi illum libero a necessitate, cujusmodi est quod-

 vis

(1) Ad Rom 7. 19

vis peccatum formale, hic erit actus moralis tum materialiter tum formaliter malus.

27. Malitia igitur moralis materialiter talis significat discrepantiam, quam cum ipsa habet actus a natura rationali peractus objective tantummodo consideratus. Antoines definitio sic habet: (1) *Moralis malitia materialis consistit in disconvenientia actus cum natura rationali & Lege Divina*, quem modum loquendi passim adhibet in suo tractatu de Peccatis. Quod ille exprimat in sua definitione etiam disconvenientiam cum Lege, ex eo ut opinor est, quia vult longius quam potest, distare ab opinione damnata ab Alex. VIII., quæ admittebat dari peccatum Philosophicum, quod in proscripta ab illo propositione definitur, *actus humanus disconveniens naturæ rationali & rectæ rationi*. At quoniam Pontifex præter alias censuras propositionem declarat esse erroneam, hoc est oppositam conclusioni Theologicæ erutæ ex præmissis omnino certis, ut latius exponit Viva (2), qui etiam proponit argumenta, quibus præscindendo a censura Pontificia suadetur metaphysice impossibile esse actum cognosci, ut dissonum naturæ rationali, quin cognoscatur ut repugnans Divinæ Legi, quia hoc secundum includitur in illo primo, jam satis est ad notionem talis malitiæ dicere illam consistere in discrepantia cum natura rationali.

28. Malitia formaliter talis significat discrepantiam, quam vel per se vel per accidens cum natura rationali habet actus ab ipsa peractus cum libertate a necessitate. Per se enim eam habet actus, si prævium judicium de ejus objectiva malitia, quod pertinet ad notionem mali hujus moralis, non sit erroneum: Talis est in mendacio prolato cum cognitione de illius objectiva malitia. Per accidens vero habet, si judicium illud prævium sit invincibiliter erroneum. Talis est in loquutione facta juxta mentem cum prævio judicio invincibiter erroneo, quod in iis circumstantiis teneatur quis mentiri. Aliter malitia moralis formaliter talis definiri potest privatio perfectionis debitæ actui a natura rationali peracto cum libertate indifferentiæ, quæ includit præviam cognitionem de illius malitia morali objectiva. Antoine loco nuper citato malitiam hanc formalem definit per hoc, quod sit, *materialis malitia imputabilitas ad vituperium &, pœnam*, quæ quidem est definitio, per ipsius effectum quemdam necessarium declarans hanc malitiam, non vero per id, quod est talis imputabilitatis quasi caussa, quæ consistit in iis, quæ proposita a nobis definitio exponit. Hanc autem non solum esse malitiæ hujus formalis definitionem nominalem,

(1) Ant. Theol. Mor. tr. de Pecc. ca. 4. qu. 5. in nota.

(2) Viv. Thes. damn. de peccato Phil. num. 1.

lem, sed etiam realem probant, quæ alibi dicta sunt (1) ad suadendum realem esse definitionem oppositæ bonitatis formalis in linea morum: eamdem esse communem, & veram propugnat Suarez (2).

29. Permultas esse species sub genere mali moralis actualis cum evidens sit, juvat meminisse eas solere inter se distingui quinque modis. I. per oppositionem cum diversis specie virtutibus: Sic blasphemia opposita religioni differt a furto opposito Justitiæ commutativæ. II. per oppositionem cum diversis honestatibus ad eamdem virtutem pertinentibus: Sic detractio famæ & furtum, quamvis opponantur eidem justitiæ commutativæ, tamen differunt specie, quia sicuti bona famæ, & bona fortunæ diversæ sunt speciei, ita diversa honestas est non lædere jus proximi ad famam, ac non lædere jus proximi ad fortunas. III. per diversum modum tendendi contra eamdem virtutem. Sic differt furtum a rapina. IV. per excessum in uno & defectum in alio actu eidem virtuti opposito: Sic præsumptio opponitur spei per excessum, & desperatio per defectum; & quia peccatum per excessum aliquid participat de virtute, quod non contingit in peccato per defectum, ideo hoc secundum majus peccatum est primo. V. tandem per hoc, quod unus actus sit mera omissio, alter positiva actio contra eamdem virtutem: Sic differunt non amare Deum, & illum odisse.

30. Malum morale originale, seu ut vulgo dicitur Peccatum Originale est privatio charitatis & gratiæ, quæ hominem convertunt ad Deum ut finem supernaturalem, orta in omnibus posteris Adami, statim ut naturaliter ab eo propagantur, ex eo, quod in ipso peccaverunt. Peccatum originale esse in genere mali moralis non dubitatur, quod etsi respectu nostri dicatur Originale, respectu tamen primorum parentum sine controversia fuit actuale.

Ulterior mali moralis divisio habetur apud Theologos Morales, ut Antoinem (3). Sed quæ huc usque perducta est, sufficiens est ad intelligendum dari in re malum morale eo modo, quo dari in re possunt privationes, cujusmodi est hoc malum: & hinc obsistendum illis, qui sicuti omne bonum morale, ita & huic oppositum malum perperam dicunt, vel non posse intelligi sine Lege, vel consistere in arbitraria hominum opinione, contra quos alibi (4) jam dixi.

SE-

(1) Diss. de Bono §. 147.
(2) Suar. in 1.2. tract. 3. disp. 7. sect. 8. num. 12.
(3) Ant. Theol. Moral. tract. de Pecc. cap. 1. qu. 4.
(4) Diss. de Bono §. 148. & sequ.

SECTIO II.

De Natura Mali proprie talis.

PROPOSITIO I.

Definitio mali proprie talis, quod sit privatio perfectionis, est recepta definitio nominis, & legitima definitio rei.

31. 
Ecunda propositionis pars habet Adversarios, I. Manichæos, de quibus infra fusius dicam. Horum celebris est sententia de duabus rerum primis caussis efficientibus, quæ a se existant, altera summe bona, quam Deum dicunt, altera vero summe mala, quam sexcentis nominibus plerunque metaphoricis nuncupant. II. Florianos a Florino quodam sic dictos, qui non quidem dicebant dari naturas malas a se, & ab æterno existentes, sed referente S. Augustino, (1) *dicebant Deum creasse malas naturas, atque substantias, in quantum sunt naturæ atque substantiæ*. III. Lutherum, Matthiam Flacium Illyricum, aliosque, qui apud Bellarminum (2) docuerunt peccatum originale esse malam quamdam substantiam. IV. Petrum Lombardum, aliosque paucos impugnatos ab eodem Bellarmino (3), qui determinate peccatum originale docuerunt esse qualitatem in sensu Peripatetico, hoc est entitatem quamdam animæ inhærentem, quam morbidam vocabant, prava desideria perpetuo excitantem. V. Cajetanum & paucos illius asseclas, qui locis a Suarez (4) citatis malum dumtaxat naturale (§.9.) docuit consistere in privatione, non vero malum morale, quod voluit esse entitatem positivam de genere qualitatis juxta systema Peripateticum, quæ inhærens actui facit ejus differentiam ab actu bono. Hujusmodi tamen entitatem, ut advertit Vasquez, non dixit esse in se ipsa malam, quin immo (5), *esse in ipsa bonum quoddam, & homini dumtaxat malam*. AR-

(1) S. Aug. de Hæref. num. 59.
(2) Bellar. de Amiss. Grat., & stat. pecc. li. 5. ca. 1. & seq.
(3) Id ibid. ca. 15.
(4) Suar. in 1. 2. tract. 3. dist. 7. sect. 3. num. 3. Id. Met. disp. 11. sec 1 nu. 3.
(5) Vas. in 1. 2 dis. 95. ca. 1.

ARTICULUS I.

Argumenta pro propositione.

32. PRima pars, communem definitionem hujus nominis malum esse per privationem, sic probatur. Sancti Patres tum Græci tum Latini, & Theologi ac Philosophi communiter definiunt malum proprie tale per privationem perfectionis: ergo. Antecedens probatur a (1) Suarez, quod pertinet ad Patres Græcos, citando SS. Dionysium, Basilium, Gregorium Nyssenum, Damascenum, Athanasium, Nazianzenum, Epiphanium, Chrysostomum, & Justinum, quorum testimonia copiosius retulerunt Vasquez (2) & Petavius (3), qui pro suo instituto alia etiam adducit Origenis, Theophili Alexandrini, Titi Bostrensis, Methodii, Procopii, Maximi, & Dorothei. Ex Patribus Latinis idem Suarez citat SS. Ambrosium, Hieronymum, Gregorium, Fulgentium, Anselmum, Bernardum, & imprimis Augustinum in duodecim diversis locis, quibus addam alios quatuor: (4) *Omnino natura nulla est malum, nomenque hoc non est nisi privationis boni. Malum* (5) *non secundum essentiam, sed secundum privationem verissime dicitur. Nulla* (6) *natura, vel si melius ita dicitur, nulla substantia, sive essentia malum est. In quantum* (7) *mali sumus, in tantum minus sumus.* Nec omittendi sunt S. Leo I., cujus sunt hæc. (8) *Prorsus nulla est substantia mala, nec ipsius mali est ulla natura.* Et alibi (9) *Fides vera confitetur, mali nullam esse naturam*, & Petrus Damiani dicens (10) *Quod malum est, prius debet dici nihil, quam aliquid: atque ideo nihil præjudicat, si dicamus Deum omnia posse, licet mala omnia non possit: cum mala non intra omnia, sed extra omnia potius debeant supputari*, præter alia, quæ tum ex his, tum ex aliis Latinis adducit citato loco Petavius.

33. Quod spectat ad Theologos, horum principem S. Thomam sic docentem in novem distinctis locis adducit ibidem Suarez, quibus hunc addam, (11) *Nullum ens dicitur malum, in quantum est ens, sed in quantum caret quodam esse.* S. Doctori consentire omnes.

(1) Suar.Met. disp.11.sec.1.num.3.
(2) Vas. in 1.2.dis 95.cap.4.
(3) Pet.Theol.Dogm li.6.c1.4.
(4) Aug.de Civi.li.11.ca.22.
(5) Id.de mor.Manich li.2.ca.4 nu 6.
(6) Id de Ver.Reli ca.13.n 4.
(7) Id. de Doct.Chris lib.1 cap.32. num.35.
(8) Leo. Serm. 4. de Quadrag. circa medium.
(9) Id.Ep.93.ad Turbium. ca.6.
(10) Dam. de Divin. Omnipot. Opusc.36.
(11) S.Th.1.p.qu.5.ar.3.ad 2.

omnes Theologos Idem dicit, & confirmat Vasquez (1) nominans plures ex antiquis; Nam Cajetanus, & pauci cum illo sentientes, qui in entitate quadam reali dicunt consistere malitiam moralem, recedunt solum ex hac parte, & propter suam paucitatem non tollunt universalitatem moralem.

34 Quod tandem pertinet ad Philosophos, hi pariter definiunt ex unanimi consensu malum per privationem boni. Concepta verba, quibus hoc iterum iterumque docuerunt Plato Aristoteles Plotinus Proclus & Sallustius philosophus libro de Diis collegit Petavius (2). Inter recentiores Cartesius loquens de malitia peccati dicit Deum hanc non velle (3) *quia non est res*. Idem loquens de erroribus nostri intellectus statuit (4) *non esse res, ad quarum productionem realis Dei concursus requiratur, sed cum ad ipsum referuntur, esse tantum negationes, & cum ad nos privationes*. Occasio inferius occurret nominandi alios, qui post exortos Manichæos ex professo illos impugnantes, hujusmodi definitionem statuunt. Et quamvis pauci quidam auctores temporibus præsertim nobis proximioribus extiterint, qui argumenta Manichæorum plus justo extulerunt, attamen quoniam advertunt neminem propterea debere constituere malum in positivo, jam stabilitæ mali definitioni etiam ipsi consentiunt.

Qui dicerent malum melius definiri dicendo esse id, quod aversationem sui iniicit, refellerentur simili modo ac illi, qui malunt definire bonum per appetibilitatem ex dictis alibi (5).

35. Secunda pars, malum non esse in re nisi privationem perfectionis, probatur I. cum Suarez sic (6). Nulla entitas positiva est mala, propterea quod habeat essentiam suam, quæ consistit in aggregato attributorum seu perfectionum sibi consentientium; Nam hoc esset commutare rerum nomina, cum bonum dicatur & non malum, quod habet perfectiones aliquas, quæ eo ipso quod existant, jam possunt existere, sive nullam contradictionem in se involvunt invicem associatæ, & bene inter se conveniunt: ergo in tantum entitas aliqua positiva est mala, in quantum non habet aliquam perfectionem sibi debitam: ergo malum in re est privatio perfectionis. Confirmatur argumentum verbis S. Thomæ, (7) *Forma, per quam aliquid est actu, bonum quoddam est. Et similiter omne ens in potentia, in quantum est hujusmodi, bonum quoddam est, scilicet in potentia*.

36. II. Nul-

(1) Vas.in 1.2.disp 95 ca.4.
(2) Pet. Dogm. Theol. li. 6. cap. 4. num.xi.
(3) Car.Princ.par.1.nu.23.
(4) Id.ibid.nu.31.
(5) De Bono. §.76.
(6) Suar Metaph.disp.11.sec.1. nu.2.
(7) S.Thom 1.p.quæst 48 ar.3.

36. II. Nullum ens positivum, quod sit a se, potest in intrinseca sua natura esse malum; Nam ens a se est etiam ens infinite perfectum, ut ubi agitur de existentia Dei demonstratur: neque ullum ens positivum, quod sit ab alio, potest esse in intrinseca sua natura malum propter argumentum nuper factum. Quamobrem jure scriptum est, (1) *Opera Domini universa bona valde*: ergo malum non est ens in se positivum. Hoc ipsum argumentum late persequitur S. Augustinus in pluribus, quæ scripsit contra Manichæos, præsertim libro de Natura boni (2), & Auctor libri de Fide contra Manichæos inter opera S. Augustini, & S. Thomas (3).

37. Probatur speciatim malum naturale, sive pure naturale sit, sive non pure naturale (§. 14.) esse privationem quamdam. Corpus inanime habere partem sui a toto aliquo modo divisam, est malum quoddam pure naturale, & corpus animatum habere similiter vel vulnus aliquod, vel humores aliter dispositos ac convenit; est malum quoddam non pure naturale: Atqui utrumque malum non est quicquam positivi, sed privatio alicujus boni, ut collocationis aut modificationis cujusdam convenientis toti machinæ; neque enim, cum hujusmodi mala tollere volumus, (4) *id agitur*, inquit Augustinus, *ut recedant hinc & alibi sint, sed utique ut non sint*: ergo malum quodvis naturale non est nisi quædam privatio.

38. Probatur definite malum morale esse privationem. I. Si Malum morale consisteret in aliqua entitate positiva, sequeretur, quod creatura posset efficere entitatem aliquam positivam; Nam Deus non facit malum morale: atqui impossibile est, ut creatura efficiat ullam entitatem, ut alibi (5) declaravi: ergo.

II. Intellecta dumtaxat in actu creaturæ rationalis privatione vel carentia rectitudinis, jam intelligitur esse in illo actu malum morale: ergo sola hujusmodi privatio vel carentia facit malum morale. Privationem dixi vel carentiam rectitudinis pertinere ad actum moraliter malum, quia cum actus moraliter malus sumi possit, vel prout est actus humanus, sive in genere, vel prout est talis actus, sive in specie, aut in individuo, primo modo consideratus est quid capax rectitudinis, adeoque hujus absentia accurate loquendo privatio dicitur: secundo autem modo acceptus, quia incapax est rectitudinis, ea absentia proprie carentia vocatur: quemadmodum cæcitas relate ad animal in

(1) Eccli.ca.39.v.21.
(2) S.Aug.ca.40.& 41.
(3) S.Thom. 1. par. q. 49. art. 3. & alibi sæpe.
(4) S.Aug.Enchir.ca.11.nu 3.
(5) De Cauff.Effic.nu.234.

in genere privatio appellatur, quia animal generice sumptum capax visus concipitur, eadem vero in ea animalium specie, cui debitus non sit visus, ut olim creditum est de talpa, privatio dici nequit sed carentia.

39. III. Patres statuentes malum consistere in privatione, præcipue loquuti sunt de malo morali; multorum concepta verba recitat Suarez (1). Sic inter alios S. Augustinus loquens de peccato ait, (2) *esse primum creaturæ rationalis malum, idest primam privationem boni*, & alibi (3) expresse dicit peccatum esse nihil, & non esse a Deo, quod alibi (4) repetens quodam modo confirmat ex illo Joannis, (5) *Sine ipso factum est nihil*: & potest juxta Layman (6) confirmari etiam ex illo Davidis, (7) *Ut quid diligitis vanitatem*: ergo sententia Cajetani, aliorumque (§ 31.) statuentium malum morale in entitate positiva est contra SS. Patres.

40. Probatur definite Peccatum Originale esse privationem sic cum Suarez (8) & Bellarmino. Peccatum Originale non potest dici consistere in ulla entitate positiva, quia non potest dici a Deo producta, qui nullius peccati Author esse potest: neque potest dici producta a Creatura, quia Creatura nullius entitatis caussa efficiens est: ergo dicendum etiam illud consistere in quadam privatione.

41. Confirmatur quia teste Francisco Turriano in suo *de definitione Peccati Originalis* Opuscolo, hoc peccatum (9) *esse privationem, ut negari non potest, ita plerique auctores, qui de eo tractarunt confessi sunt*: atque cum his probat Suarez (10) illud esse privationem charitatis & gratiæ, quæ hominem convertunt ad Deum ultimum finem supernaturalem, quam privationem habent animæ omnes posterorum Adami, statim ut naturaliter ab eo propagentur. Qui dicunt hujusmodi peccatum consistere in privatione Justitiæ Originalis, quam explicant per Gratiam sanctificantem, quæ non solum animam Deo subjiceret, idest illam in ipsum ut finem supernaturalem converteret, sed etiam subderet rationem inferiorem superiori, appetitum sensitivum voluntati, & corpus animæ, hi sumunt peccatum originale pro culpa, & aliqua ipsius pœna conjunctim, seu pro eo quod pertinet ad formale hujus peccati, & simul ad ejus effectus: Nam cer-

(1) Suar. in 1.2.tra.2.disp 9.sec.2.n.6. num. 3.
(2) S. Aug.Enchir.ca.24.
(3) Id.li.2.de lib.arbit.ca 20.num.54.
(4) Id.trac.1.in Joan.nu.13.
(5) Joan.Evang.ca.1 v.3.
(6) Lay.Theol.moral.li.1.tr.3. ca.3.
(7) Psal. 4.
(8) Suar. in 1.2.tr.5.disp 9.sec.2.n.19. Bell.de Amiss.Grat.li.5. ca. 15.
(9) Tur. pag. 8.
(10) Sua.in 1.2.tr.5.dis.9.nu.19.

certum est ex Concilio Tridentino peccatum originale (1) *totum tolli* per Baptismum: sed per Baptismum non tollitur rebellio partis inferioris in superiorem: ergo hæc non pertinet ad formale peccati originalis. Similiter dicendum est sumi a S.Thoma peccatum originale pro complexo culpæ & pœnæ, ubi de illo dicit, quod (2) *non est privatio pura, sed est quidam habitus corruptus*: Ipse idem inferius quodammodo se explicat dicens, (3) *privatio originalis justitiæ, per quam Voluntas subdebatur Deo, est formale in peccato originali, omnis autem alia inordinatio se habet, sicut quiddam materiale*:

42. Speciatim contra Cajetanum sic arguitur. S Thomas non solum sæpe ex dictis (§ 33.), sed in iis ipsis locis, quæ pro sua opinione citat Cajetanus, aperte docet contrarium; Citat enim illum in 1. partem qu. 48. art. 1., & in librum 3. contra Gentes ca. 19., in quorum primo in ipso articuli corpore ait, *Non potest esse quod malum significet quoddam esse, aut quamdam formam seu naturam: relinquitur ergo quod nomine mali significetur quædam absentia boni*. In secundo vero dicit, *Malum in moralibus non est aliquid, quod in se malum sit, sed in quantum privat ordine rationis, qui est hominis bonum*: ergo ejus sententia est etiam contra S. Thomam in iis ipsis locis, quibus credit sibi suffragari. Alia contra ipsum argumenta habentur apud Vasquez. (4)

ARTICULUS II.

Objectiones.

43. I. OBjicitur. Si Malum non esset ens positivum non posset dici, malum esse in bono tamquam in subjecto, quemadmodum cum S. Augustino, (5) & S. Thoma (6) communiter dicitur; Nam ens negativum seu privativum, cum sit merum nihil, nulli subjecto inest: ergo malum proprie tale est ens positivum.

Resp. nego antec., vel claritatis gratia sic dist. Malum non potest esse in subjecto, tamquam ponens aliquid in ipso, conc. antec. tamquam removens aliquid ab ipso, sive per modum privationis, nego antec. Et simili modo ad probationem dico, ens quidem pure negativum non indiget ullo subjecto, sed ens

 pri-

(1) Triden. sess. 5.
(2) S. Thom. 1. 2. qu. 82. ar. 1. ad 1.
(3) Id. ibid. ar. 3. O.
(4) Vas. in 1. 2. dis. 195. ca 2.
(5) S Aug. Enchi. ca. 13. & 14.
(6) S. Thom. 1. p. qu. 48. ar. 3.

privativum illo indiget, quatenus non intelligitur privatio, nisi intellecto eo, quod afficitur privatione. S. Augustinus, & Theologi in prædicto sensu dixerunt malum esse in bono, scilicet per modum privationis perfectionis, quæ rei alicui conveniens erat.

44. II. Objicitur. Error est malum intellectus, & dolor est malum corporis animati: Sed utrumque est aliquid positivum; Nam aliter error non distingueretur a nescientia, quæ intelligitur esse privatio, nec dolor a carentia voluptatis: ergo. Confirmatur ex S. Anselmi relata supra (§. 14.) distinctione mali pœnalis in illud quod nihil est, ut cæcitas, & illud quod aliquid est, ut dolor: quam confirmationem urget Jo. Ciampoli observans (1) pro mente capto haberi, qui contenderet suadere eiulanti propter colicem, hanc aliud non esse, quam nihil.

Resp. conc. maj., & nego min., cujus etiam probationem nego; Nam nescientia est privatio actus cognitionis, adeoque ejus subjectum proximum & immediatum est mens: at error est privatio rectitudinis in actu cognitionis, cujus proinde subjectum immediatum est actus ipse. In quo patet unius ab altero discrimen & distinctio. Quod vero pertinet ad dolorem, ille potest considerari, vel prout est sensatio quædam, & hoc modo est quid bonum, & non malum: vel prout est sensatio, cum qua conjungitur carentia tranquillitatis animi orta ex læsione corporis, in qua carentia consistit quasi forma doloris, iamque ipse dolor formaliter sumptus consistit in privatione hujusmodi tranquillitatis. Igitur cum carentia voluptatis sit quædam privatio, cujus subjectum immediatum est potentia sentiendi, distinguitur a dolore, qui prout formaliter sumitur, seu eo modo, quo est malum, habet pro suo subjecto actum sentiendi. S. Anselmus qui dolorem dixit esse aliquid, sumpsit illum in concreto, non vero in abstracto, sive quatenus est sensatio tollens tranquillitatem animæ, non quatenus est hujus tranquillitatis privatio, ad quam restituendam, cum opus sit statim incumbere, jure stultus est, qui moras duceret in natura mali abstracte sumpti explicanda.

45. III. Objicitur. Mors est malum naturale juxta communem sensum, & horrorem naturæ, & leges divinas & humanas minitantes & infligentes mortem tamquam malum pœnæ. Nec enim audiendi sunt Epicurei, ac Stoici, ex quorum doctrina suam scholam ex Tusculanis primam contexuit Tullius, qui terrificum mortis aspectum obvelare conati sunt, & in amabilem etiam

(1) Ciam. Frammenti, Del bene 227.

etiam commutare fucatis argumentis, quæ deinde Sophistarum declamationes & Poetarum argutiæ in immensum auxerunt. Illa evanidos fructus esse non sinceræ eloquentiæ, sed illius quæ tribuitur Mercurio furunculorum, & defraudatorum Numini ostendit jam Pallavicinus (1) ea discutiens singillatim: Atqui mors non esset malum naturale, si esset ens privativum: ergo hoc saltem malum mors non est ens privativum sed positivum. Minor probatur. Semel mortuo animali non habetur amplius subjectum, cui tribui possit illud ens privativum. Nam subjectum illud est totum animal, quod si mortuum dicatur jam non est: sed malum, quod non potest esse in aliquo subjecto, nihil est: ergo.

Resp. conc. maj., & nego min. Ad probationem nego maj. & ejus probationem; Non enim est totum animal subjectum mortis, nisi prout hæc est ut ajunt in fieri per alterationes compositi: prout vero est in facto esse, subjectum ipsius est corpus simul, & anima, ex quibus utrumque privatur unione cum altero, quæ erat mutuum in ipsis bonum: utrumque autem persistit, si loquamur de morte hominis, persistit enim ipsius corpus quantum ad materiam, quæ ipsum componit. & ipsius anima divisim: Si vero loquamur de morte bruti, saltem persistit ipsius corpus quantum ad materiam, quæ ipsum componebat. Suarez (2) putans totum animal esse subjectum mortis, respondet argumento concedendo maj., scilicet mortem esse malum naturale, si sermo sit de morte in fieri, illam vero negando, si sermo sit de morte in facto esse, quam negat esse aliquod malum. Sed mihi placet mea responsio; Cur enim negari debet duas illas substantias componentes animal non posse esse singulas subjectum privationis illius unionis mutuæ, in qua consistit vita?

46. IV. Objicitur, Annihilatio est malum naturale; nam odio habetur: sed annihilatio non est ullum malum, si non est aliquid positivi; nam excludit omne subjectum, cui possit tribui illud malum: ergo.

Resp. nego maj. cum S. Thoma (3), & S. Augustino (4), ubi late probat, destructa omnino natura non manere malum. Ante istos Tullius illum, qui sub persona Auditoris in primo Tusculanarum propugnabat miseros esse, qui mortui sunt, etiamsi crederet nihil eorum post mortem superesse, coegit tandem sub-

(1) Pall. del Bene. li. 4. ca. 6. & seg.
(2) Suar. Metaph. disp. 11. sec. 3. num. 9.
(3) S. Thom. de Potent. quæst. 5. ar. 3. ad 4.
(4) S. Aug. Enchir. ca. 11 & 13.

subtilissimis ratiociniis (1) *fateri*, *qui omnino non essent*, *eos ne miseros quidem esse posse*, & ut infra ait in hypothesi de interitu universo totius hominis inter *Hyppocentaurum*, *qui nunquam fuerit*, *& regem Agamemnonem nihil interesse*. Quod pertinet ad probationem, dico annihilationem prout apprehenditur, esse subjectum odii propter displicentiam, quam affert hæc cogitatio, nimirum totalis ablatio boni, quæ est privatio status quietis animæ. Quod si annihilatio contrario modo esset ablatio malorum, quæ numero & atrocitate majora essent bonis, jam amaretur & optaretur: ac falsum proinde esset illam odio haberi, quemadmodum accidit damnatis ad ignem æternum.

47. V. Objicitur. Malum morale opponitur contrarie bono juxta Aristotelem (2), quæ oppositio importat, ut utrumque oppositum sit quid positivum. Sed si malum consisteret in privatione, non opponeretur contrarie sed privative, quæ est oppositio, quæ datur inter aliquid positivum & hujus privationem: ergo.

Resp. dist. mai. Malum sumptum in concreto pro actu malo opponitur contrarie bono, conc. mai. Sumptum in abstracto pro malitia seu pro ratione formali, qua actus dicitur malus, nego mai. Et simili distinctione applicata minori, nego conseq. Cum igitur dicitur bonum & malum, si intelligatur actus bonus & actus malus, hi certe ambo sunt quid positivum, & contrarie profecto opponuntur, quia sub eodem genere entis sunt, scilicet sub genere modi animæ, & maxime inter se distant, & eidem subjecto inesse possunt, quæ sunt notæ constantes juxta Dialecticos notionem contrariorum: At vero si intelligatur nomine boni ratio formalis, propter quam actus est bonus, & nomine mali illa, propter quam est malus, non jam amplius oppositio boni & mali est illa, quæ dicitur contraria, sed illa, quæ dicitur privativa; Nam alterum dumtaxat ex duobus oppositis, scilicet ratio boni est quid positivum: at ratio mali est quid negativum, cum sit carentia bonitatis non quidem quæcunque, sed illa, quæ præsupponit subjectum capax habendi bonitatem, per quam suppositionem distinguitur oppositio privativa ab oppositione contradictoria; Hæc enim solam dicit negationem alterius ex duobus oppositis, ex quo fit ut alterum contradictoriorum debeat necessario competere cuilibet, sive sit ens, sive non ens. Ita chimæra est bona vel non bona, lapis vel non lapis, & omnia vel non omnia: at oppositio privativa cum imbibat

(1) Tul. Tusc. li. 1. nu. 7. Id. Ethicb. 2. ca. 8. juxta Maurum
(2) Arist. ca. de Oppositis.

bibet etiam suppositionem prædictam, impedit, quo ... terum ex hujusmodi oppositis dici necessario debeat de quolibet tam ente, quam non ente: ita chimæra nec est bona, nec est mala.

48. VI. Obiicitur. Dantur aliqui actus positivi, qui quoties fiant a creatura libera a necessitate & sine ulla ignorantia, nequeunt unquam existere separati a malitia morali formaliter tali, ut odium Dei, & voluntas furandi: ergo saltem in his malitia moralis est aliquid positivi; Nam pertinet ad ipsorum constitutionem physicam.

Resp. conc. antec., & nego conseq. ad cujus probationem dico, malitiam illam pertinere ad talium actuum physicam constitutionem, non tamquam hujus partem positivam, sed solum negativam, quæ consistit in carentia talis determinatæ rectitudinis, quam voluntas tribuere debebat suo actui, eamque necesse est concipiat, qui ideam animo velit informare significationis hujusmodi nominum odium Dei & similium. Quare objectio, cujus solutionem alii, ut Suarez (1), aliter expediunt, mihi quidem videtur non habere majorem difficultatem, quam illa, quæ ex eo quod peccatum nequeat existere separatum a malitia morali formaliter tali, contenderet hanc esse aliquid positivum; Differt enim una ab alia non aliter, ac differat peccatum in genere a peccato in tali specie: Pallavicinus, qui in disputationibus in 1. 2. S. Thomæ (2) late propugnat peccatum consistere in privatione, in libro 1. de Actibus humanis jam antea edito tantum momenti in facta obiectione credidit esse, ut eam vocaverit (3) *validissimum argumentum*, vi cujus visus ibi fuit a sententia de privatione abhorrere. Saltem quænam sit ibidem sua circa hanc rem opinio mihi quidem non est facile dictu.

49. Instat. (4) *Videtur luminê naturæ notum, plus malitiæ inesse in odio Dei, quam in carentia cujuscunque rectitudinis positivæ: ergo odium Dei habet aliquam malitiam supra omnem carentiam rectitudinis debitæ.*

Resp. disti. antec. plus malitiæ inest odio Dei, quatenus privatio constituens ipsius malitiam est magis dissona naturæ rationali, quam privatio quæ constituit malitiam alterius cujusvis actus, conc. antec. quatenus aliquid positivum constituat malitiam odii Dei, nego antec. & simili distinctione excipio consequens.

50. Instant alii. Si actus humani essent mali propter carentiam

(1) Sua in 1.2.tr.3.disp.7.sec.4.n. 10.
(2) Pal.disp.3.qu.2.ar.3.
(3) Id.de Ac. hu. nu. 201.
(4) Id. Ibi. nu. 202.

tiam debitæ rectitudinis, nulla esset distinctio specifica in actibus malis moraliter; Nam eadem esset in illis malitia: neque actus, qui in una specie est malus, in ea augeretur aut minueretur a quibusvis circumstantiis; Nam in carentia totali non datur magis & minus. Sed hæc dici non possunt: ergo. Vasquez tanti fecit tum hanc instantiam tum totam objectionem, ut ex his motus fuerit ad suam quamdam in hac re opinionem propugnandam, quæ statuit malitiam moralem consistere in quadam relatione rationis extrinseca ipsi actui, quam nominat (1) relationem disconvenientiæ, de qua alii viderint.

Resp. nego assumptum. Nec prima probatio urget. Nam carentia debitæ rectitudinis est quidem multiplicis speciei, quemadmodum multiplex specie est debita rectitudo, eaque dignoscitur & æstimatur, ut declarat Layman (2), & distinctius supra (§. 29.) adnotavi, vel ab oppositione, quam actus habeat cum præceptis nobis impositis, vel a modo tendendi contra determinatam virtutem, quandoquidem una eademque virtus plerunque est in medio duorum vitiorum. Quod vero pertinet ad secundam; dico jure dici malitiam actus augeri aut minui a circumstantiis, quia, ut ex S. Thoma dicit Suarez (3), licet privatio integra in se non recipiat magis aut minus, recipit tamen in causa aut in fundamento: ex quo fit, ut actus magis vel minus remotus sit a debita sibi rectitudine.

51. VII. Objicitur. Saltem aliquod malum est aut esse potest natura positiva; ergo non omne malum est ens privativum. Antec. probatur. Id quod non convenit alteri, est aut esse potest positiva natura: Sed id quod non convenit alteri, est aut esse potest malum: ut sextus digitus est quid positivum non conveniens manui, & intrinsecum ejus malum: ergo aliquod malum est aut esse potest positiva natura.

Resp. nego antec. Ad ejus probationem conc. maj. & dist. min. Est malum ratione defectus proportionis seu aptitudinis ad convenientem compositionem, conc. min. ratione suæ entitatis nego min. & conseq. Distinctionis æquitas confirmatur authoritate S. Dionysii, vel auctoris librorum de Divinis Nominibus (4), qui loquens de monstrositate, quam affert sextus digitus in manu, illam dicit consistere in privatione: nam eam vocat, *defectum proportionis debita juxta natura institutionem*.

(1) Vasq. in 1.2. disp. 95. ca. 6. 7. & 8.
(2) Lay. Theol li. 1. tr. 3. ca. 2.
(3) Sua. in 1.2. tr. 3. disp. 1. sec. 3. n. 15.
(4) S. Dion. cap. 4.

SECTIO III.

In quibus sit vel non sit malum proprie tale.

PROPOSITIO I.

Dantur Creaturæ sine ullo malo proprie tali.

52. 
Robatur. Dantur Creaturæ irrationales & inanimatæ in suo genere naturaliter perfectæ, ut perfectus equus, perfectus adamas, perfectum aurum, quæ aliunde non sunt capaces mali moralis. Antiquiores Philosophi, ut Suarez (1) inter creaturas inanimatas ab omni malo naturali liberas numerarunt cælestia corpora, *quatenus dicebant, incorruptibilia sunt, & a peregrinis impressionibus libera*, quod tamen extra controversiam jam est falsum. Inter creaturas vero rationales capaces mali naturalis & moralis dantur Beati Angeli, qui nullo unquam malo, neque naturali neque morali, subjecti fuerunt, nec futuri unquam sunt: ergo dantur creaturæ sine ullo malo proprie tali.

Inter creaturas rationales præscindendo a Beatis Angelis nullam aliam novimus, quæ malo proprie tali subjecta aliquando saltem non fuerit. Certe Christum ipsum Dominum credimus & veneramur passum & crucifixum, ejusque Matrem Beatissimam ut Reginam Martyrum invocamus: quicquid autem reliquorum hominum est, subjicitur malo tum culpæ tum pœnæ.

(1) Suar. Meta. disp. 11. sec. 4. nu. 3.

PROPOSITIO II.

Omne malum proprie tale respectu creaturæ rationalis est malum vel culpa vel pœna: numerus tamen malorum respectu hominum in hac vita non est major illo bonorum, quæ iisdem concessa sunt: nec ea mala sunt semper pœna culpæ illorum alicujus actualis.

ARTICULUS I.

Argumenta pro prima propositionis parte.

53. Sic arguo. Omne malum proprium tale respectu creaturæ rationalis est malum vel culpæ vel non culpæ, quod est vel malum pure naturale, vel malum pœnæ: sed malum pure naturale (§. 11.) nullum est in creaturis rationalibus: ergo malum omne proprie tale respectu creaturæ rationalis est malum vel culpæ vel pœnæ. Probatur minor. Siqua mala pure naturalia essent in creaturis rationalibus, essent vel in Angelis vel in hominibus, hæc enim sunt duo creaturarum rationalium genera unice nobis nota: Sed quæ in Angelis malis sunt mala, novimus universa esse mala pœnæ: in Angelis vero bonis nulla sunt mala proprie talia (§. 8. & 52.): in hominibus tandem, siqua essent mala pure naturalia essent ex parte quidem animi ignorantia in intellectu, difficultas ad bonum in voluntate, & continua molestia ex rebellione illa corporis in animam, quæ vulgo dicitur concupiscentia: ex parte vero corporis, infirmitas suæ conditionis, quæ perpetuo etiam augetur ab iis, quæ extra ipsum sunt creaturis tum animatis tum inanimatis, quæ cedunt in ipsius nocumentum, & ipsam tandem ejusdem mortem: Atqui hæc mala scimus a Sacra Scriptura esse in hominibus mala pœnæ, (1) *Ignis grando fames & mors, omnia hæc ad vindictam creata sunt. bestiarum dentes & scorpii & serpentes & romphæa vindicans in exterminium impiorum*; & Apostolus loquens definite de morte hominum, non aliter hanc eis esse necessariam, quam per positivum Dei Decretum, quo sustulit donum immortalitatis primo homini & omnium patri sub conditione obedientiæ concessum, satis insinuat per illa verba,

(1) Eccli. 39. 35.

ba, (1) *statutum est hominibus semel mori*, ut observat Paulus Segneri (2). Nam Deus creavit hominem omnino expertem ab his malis illum in paradiso collocans, (3) *in quo*, inquit Augustinus, *vivebat sicut volebat, quandiu hoc volebat, quod Deus jusserat: vivebat fruens Deo, ex quo bono erat bonus: vivebat sine ulla egestate, ita semper vivere habens in potestate. Cibus aderat ne esuriret, potus ne sitiret, lignum vitæ ne illum senecta dissolveret. Nullus intrinsecus morbus, nullus ictus me tuebatur extrinsecus. Summa in carne sanitas, in anima tota tranquillitas. Nihil omnino triste, nihil erat inaniter lætum, gaudium verum perpetuabatur ex Deo, in quem flagrabat charitas ex corde puro & conscientia bona*: ergo nullum est malum pure naturale in creaturis rationalibus.

54. Essent fortasse aliqui, qui sub eadem majori facti syllogismi subsumerent etiam hoc modo: Atqui ratio naturalis dictat hæc mala esse in hominibus mala pœnæ; Nam dicit S. Augustinus: (4) *Hujus evidentia miseriæ* (scilicet humanæ) *Gentium Philosophos, nihil de peccato primi hominis sive scientes sive credentes compulit dicere, ob aliqua scelera suscepta in vita superiore pœnarum luendarum caussa nos esse natos, & animos nostros corruptibilibus corporibus eo supplicio, quo Hetrusci, prædones captos affligere consueverunt, tamquam vivos cum mortuis esse conjunctos*. Et Bellarminus reputat, (5) *Omnino verisimile esse, non fuisse Deum Optimum & nostri generi amantissimum conditurum hominem tam miserum quam nunc est, nisi peccati nostri magnitudo tale supplicium meruisset*: ergo. Verum hoc argumento non utar, quia cum Augustinus ipse dubitet, an veteres illi eo modo dixerint per quamdam notitiam haustam ex traditione circa peccatum primi hominis, & cum Bellarminus ipse paulo ante citata verba dixerit, *non posse certo statui corruptionem humanam, pœnam esse peccati*, deficit robur requisitum ad argumentum, quod rem suadeat, quæ certissima est ex Revelatione Divina.

55. Objicitur. Si mors corporis inflicta esset homini in pœnam culpæ originalis non morerentur illi, quibus ea remittitur per Sacramentum Baptismi: Atqui hoc est evidenter falsum: & observatione constat in pueris etiam baptizatis antequam ad usum rationis perveniant, adeoque nullius prorsus culpæ rei sint, videri frequentiores strages, quam in alia quavis ætate, præsertim si variolarum morbo corripiantur: ergo.

 Resp.

(1) Ad Hebr. 9. 27.
(2) Segn. Mann. del anima. 13. Maggio
(3) S. Aug. de Civit. li. 15. ca. 16.
(4) Id. li 4. contr. Julian. ca. 16. n. 83.
(5) Bell. de Amiss. Grat li. 6. ca. 15.

Resp. nego maj. cum S. Augustino, qui cum sæpius de hac Pelagianorum objectione contra Peccatum Originale loquutus sit, constanter docet, quod omnia hujus sæculi mala & (1) *temporalis mors corporis etiam in his, qui morte Christi redimuntur, relinquitur interim ad exercitationem fidei & agonem præsentis luctationis*; Sicuti enim siquis quærat, cur David subierit poenas sui peccati, quas per Prophetam Deus illi comminatus fuerat, etiamsi illius remissionem certissime obtinuerit, (2) *rectissime* inquit: *respondebitur remissionem illam peccati factam, ne homo a percipienda vita impediretur æterna, subsequutum vero illius comminationis effectum, ut pietas hominis in illa humilitate exerceretur atque probaretur: sic & mortem corporis propter peccatum Deus homini inflixit, & post peccatorum remissionem propter exercendam justitiam non ademit*. His similia habet alibi (3).

56. Quum eadem doctrina habeat locum relate ad frequentes puerorum etiam baptizatorum mortes, est alia præterea, quod scilicet sic consulitur æternæ illorum felicitati, vel cavetur eorumdem prævisa damnatio, vel reipublicæ aut parentum scelera puniuntur. Ceterum ne in posterum lugeantur tot funera ex variolis naturaliter erumpentibus, quæ decimum quemque juxta Condaminem, vel duodecimum juxta VVallagem apud Trevoltianos (4) occidunt, obtinebitur ipsarum furorem præveniendo opportuna inoculatione, quam pleræque excultæ gentes in dies adhibent confidentius post superatas obiectiones quorumdam Theologorum eam impugnantium tamquam illicitam, de quibus loquuntur Trevoltiani (5), & post tot jam scriptorum suffragia, quorum compendium aliquod iidem (6) exibent, in quibus sunt etiam Poetæ, ut Poinsinetus in gallico de hac re carmine ab iisdem (7) laudato. & Geoffroius in sexto libro Hygieines, sive de arte conservandi sanitatem.

57. II. Obiicitur. Christus Dn. subiit mala proprie talia, cruciatus & mortem crudelissimam, idemque certum est de Matre ejus Sanctissima, quæ doloribus gravissimis, ipsique morti subiecta fuit, etsi ambo fuerint immunes ab omni culpa etiam originali: ergo in his saltem malum proprie tale fuit malum pure naturale.

Resp.

(1) Aug. Epist. ad Hilarium 167. n. 19. alias Epist. 89

(2) Id. de peccat. merit. & remiss. lib. 2. cap. 34. num. 56.

(3) Id. de Civit. li. 13. ca. 4. Id. de Trin. li. 13. ca. 16 num. 2.

(4) Trev. an. 1754. art. 115. pag. 2355 & art. 117. pag. 2388.

(5) Trevian. 1757. art. 6. pag. 117.

(6) Ibid. an. 1756. art. 118. pag. 2735.

(7) Ibid. art. 113. pag. 2615.

Resp. conc. ant, & nego conseqm. Christus Dn. passus est, ut satisfaceret pro peccatis hominum. Igitur illius cruciatus habuerunt rationem poenæ peccatorum: Virgo autem beatissima passa est, quia cum descendentes ex Adamo per carnalem generationem incurrant tum culpam originalem tum poenam, a culpa quidem Deus illam præservavit, quia id conveniens erat Filio Dei ex illa nasciturо, non autem a poena, tum quia ut Suarez exponit (1) decuit illam esse similem Christo ad majorem sui coronam: tum quia hoc modo constabat evidentius indiguisse Christi morte, qua fuit redempta.

ARTICULUS II.

De Adversantibus secundæ propositionis parti.

58. SEcunda pars est contra aliquos vel Divinæ Bonitatis inimicos, vel ad instar Terentiani Henutoatimorumeni fuimet tortores, certe quidem malos ratiocinatores, qui dicunt mala vita longe plura esse bonis ipsi contrariis. Horum opinionem jam confutarunt Pallavicinus (2), Ciarletta Caracciolus (3), Cœlius Rhodiginus (4), Christophorus VVolfius (5), Leibnitius (6), Genuensis (7), Franciscus Zanottus apud Trevoltianos (8), & alii, qui ab his citantur. Equidem credam adversarios saltem aliquos in hanc opinionem descendisse, vel quia unum idemque malum sibi repræsentarunt ut multiplex, iis similes, qui immensam credunt esse hostium vim, quia eorum cohortes numerant, non secundum quod realiter sunt, sed secundum quod ante ipsorum oculos per gyrum ad eos decipiendos redeunt: Itaque audias malum, quod posuerant in iis, quæ sunt ab animi perturbationibus generice consideratis, collocare deinde in iis quæ proveniunt a determinata aliqua perturbatione, & iterum in iis, quæ sunt propria certæ ætatis. Vel quia uni quodammodo homini propria fecerunt mala, quæ toti solum generi tribui cum veritate possunt. Itaque labore inquiunt opus est continuo, ut vita sustentetur: sollicitudine ut caveantur errores fraudes insidiæ æmuli hostes: industria ut arceantur morbi languores dolores infortunia calamitates. Nulla unquam securitas ab aeris ignis elementorum omnium periculis: Timendum

(1) Su. in 3. p tom. 2. disp. 21. sect. 1.
(2) Pal del bene li. 2. ca. 21. nu 8.
(3) Car. della felicita li 4. ca. 2. & seq.
(4) Cœ. Antiq li. 3. ca. 10.
(5) VVol. Manich. sec. 3. nu. 41.
(6) Lei. Essai de Theodic. par. 3. n. 231.
(7) Gen. Metaph. par. 2. in Scholio, prop. 68., & par. 3 propos. 34.
(8) Trev. an. 1759. art. 4. pag. 67.

dum de fortunarum jactura, de paupertate exilio carceribus servitute orbitate: Pœnitet præteritorum, angimur de futuris, exagitamur timoribus, cruciamur desideriis. In matrimonio invenitur jugum, in liberorum educatione molestia, in solitudine mœstitia. Aliam malorum abundantem segetem ex libris S. Augustini de Civitate Dei collectam dabit Georgius Vuicelius in libello *Bona & mala humani generis* edito Moguntiæ anno 1554.

59. Confirmantur in sua opinione primo aliorum authoritate. Citant pro se illud Homeri (1)

Οὐδὲν ἀκιδνότερον γαῖα τρέφει ἀνθρώποιο

seu ut habet Cosmas Paccius in interpretatione Maximi Tyrii, qui hoc versu utitur in sua hypotyposi miseriæ humanæ (2)

Nil homine tellus, alit infelicius ipso.

Commemorant morem Thracum, qui ut referunt Herodotus & Strabo convocabant consanguineos & amicos ad luctum, cum quis nasceretur, propterea quod vitæ supplicium subiret: ad lætitiam vero cum quis moreretur, utpote libertatem a miseriis consequutus. Celebrant Tullii effatum, (3) *a malis mors abducit, non a bonis, verum si quærimus*: qui etiam ibidem refert Hegesiam Cyrenaicæ sectæ philosophum, qui creditur circa tempora Ptolemæi Philadelphi floruisse, tam robuste de vitæ malis egisse, præsertim in quodam suo libro Ἀποκαρτερῶν, hoc est *inedia se perimens* inscripto, ut *a rege Ptolemæo prohibitus esse dicatur illa in scholis dicere; quod multi his auditis mortem sibi consciscerent*, fortasse quia in eo congesserat historiolas illas vel superstitiosas vel fabulosas, quas etiam Tullius inferius habet, (4) *& Deorum immortalium judicia de morte* appellat. Illud præterea ex eodem laudant, quod referente S. Augustino (5) asseruit libro tertio de Republica, *hominem non ut a matre, sed ut a noverca natura editum in vitam*, quam sententiam aliquantulum mollitam observant imitatum esse Plinium seniorem, dubium dicens an natura (6) *parens melior homini, an tristior noverca fuerit*. Proferunt Gallum Luciani (7) qui expertus diversas metamorphoses in bestias, & variæ conditionis homines pronunciat statum hominis quemcunque esse omnium pessimum: & Plutarchum, qui nolit ut Apollonius lugeat diutius obitum filii, quia in vita (8) *multo plura sunt mala, quam bona*: & Eduardum Youngium, qui eamdem conclusionem habet in prima ex

(1) Hom. Odyss. 1. 18.
(2) Tyr. serm. 23.
(3) Tull. Tusc. li. 1. nu. 34. juxta Olivet.
(4) Id. ib. nu. 47. & seq.
(5) S. Au. li. 4. cont Julian. ca. 12.
(6) Pli. Hist nat li. 7. in proem.
(7) Luc. de Gallo.
(8) Plu Consolat. ad Apollon.

ex suis noctibus, quæ in contemplatione malorum hujus vitæ versatur: & Maupertuisium celebrem nostræ ætatis philosophum & mathematicum, qui in *specimine moralis Philosophiæ* apud Castum Ansaldum (1) & apud Genuensem dicit concludi (2) *ex accuratissimo calculo longe esse in vita humana majorem miseriam, quam felicitatem*: & tandem tot illos tantosque authores, qui mortem vita potiorem statuunt. Sed hos ad objectiones transmittam.

60. Alteram pro sua satis tristi opinione confirmationem desumunt ex tristiori spectaculo aut doctrina, Autocheiria, qua multi a malis se vindicarunt, vel eam hac de causa licitam esse docuerunt. Quod multi usi sint autocheiria, sola Anglia testatur, in qua tam frequentes occurrunt, ut Carolus Montesquius crediderit (3) a climate ejus regionis id provenire, de quo tamquam de insigni ejus errore extat censura in monumentis Trevoltianis (4). Quod multi etiam licitam dixerint, docebit Buonafede Monachus Cælestinus, qui sub græco nomine Agatopisti Cromaziani edidit Lucæ anno 1761 historiam ut ajunt Suicidii, & Joannes Dumas in Gallico de eadem re tractatu, quem laudant Romanæ Ephemerides ad ann. 1774. nu. 53. Qui mihi occurrunt sunt idem Montesquius in alio suo libello (5), & Maupertuisius, qui postquam ex dictis plura censuit esse mala quam bona humanæ vitæ, deinde in alio suo libro *systema naturæ* aperte propugnavit licere sibi aliquando violentas manus inferre. Idem cum his sentire Olivetum de Ciceronis operibus tam benemeritum dixerat Dictionarium Trevoltianum ex editione anni 1752., sed ipsemet ab hac quasi calumnia se defendit in Monumentis Trevoltianis (6).

61. Placet statim proponere, quomodo horum authoritas pessumdetur, quippe de thesi, quæ error esse passim demonstratur non solum a Theologis Moralibus, ut Laynan (7), sed a permultis, quorum aliquos nominat Jo. Nicolaus Funcius (8) in dissertatione præliminari ad librum posthumum ab ipso editum, & impugnatum Joannis Robeck *De Morte voluntaria*, de quo quædam epitoma habetur in Academia Regia Berolin. anni 1745. (9). Summa demonstrationis est. Extat præceptum (10). *Non occides*, non solum scriptum, sed naturale; Nam mortalis

(1) Ans. Vindiciæ Maupert. §. 5.
(2) Gen. Elem. Metaph. par. 2. def. 18. in notis.
(3) Mon. Esprit des Loix cha. 12.
(4) Trev ann. 1749. art 40.
(5) Mont. Literæ persicæ Oper. tom 1. let. 76.
(6) Trev. ann 1754. art. 77.
(7) Lay de Just. tr. 3. par. 3. ca. 1. nu. 3.
(8) Fun. pag. x11.
(9) Ber. art Meutre volontaire pa. 95.
(10) Exod. 20. v. 13.

ta experimur, graviora essent bonis, ne cogitantes quidem in nostram mortem rueremus; Sicuti enim natura impellit ad studium suæ existentiæ illos, qui ea perfruantur, ita ad oppositum urget, qui in ea nihil nisi tormentum inveniant, ut paulo infra ostendam.

63. Præterea peccat falsa circa fortitudinem notione, quam cum insania aut mollicie confundit. Doctrina sanæ Ethices, inquit Sylvester Maurus (1) est, fortis esse non fugere laboriosa & molesta, sed ea constanter perferre. Tullius illam definit (2) *animi affectionem cum in adeundo periculo & in labore ac dolore patientem, tum procul ab omni metu*: & in eamdem sententiam conspirant aliorum definitiones, quas idem alibi (3) congerit; ergo qui se occidunt ad hæc fugienda, non sunt fortes, sed timidi & molles. Hinc meliores veræ virtutis æstimatores sunt ipsi Poetæ. Virgilius describit mœstos vagari per inferos (4)

. . . qui sibi lethum
Insontes peperere manu, lucemque perosi
Projecere animas:

Martialis Decianum laudat (5), quod Catonem qui se Uticæ interfecit, perperam de hoc laudatum a Tullio (6) nolit unquam imitari; & Chæremonem irridet (7), qui in afflicta fortuna nomen fortis captabat laudando mortem juxta dogmata Stoicorum, nesciens, quod

Rebus in angustis facile est contemnere vitam.
Fortiter ille facit, qui miser esse potest.

Eduardus Young de Autocheiria loquitur tamquam de horrendo monstro, quod Angliam invaserit, & furias omnes invocat (8) ut ipsum exterminent. Quamobrem optima apparet illatio Kingii.

64. Simile facto argumento est hoc aliud citati Pallavicini. Quoties bona vitæ superantur a malis, optatur mors: sed communiter homines mortem exhorrent: ergo bona vitæ non superantur a malis. Minor est evidens; Nam (9) *quis est*, rogat Tullius: *aut quotusquisque, cui mors cum appropinquet, non refugiat timido sanguen, atque exalbescat metu?* Et gravius S. Augustinus observat, quod (10) *diem mortis omnes, aut pene omnes differre conantur, etiam qui post mortem se beatius credunt esse vi-*

 ctu-

(1) Mau.in 5.Ethi ca.7.nu.8.
(2) Tul Tuscu.li 5.n.14.
(3) Id.ibid li.4.ca 24.
(4) Virg.li.6.Æn.
(5) Mar.li.1 Epig.9. juxta Juvenc.
(6) Tul.de Offic.li.1.ca 31.
(7) Mar.li.11.Epig.54.
(8) You Nuit. 16. Le plaisir, & le Suicide.
(9) Tul.de Fin.li.5.nu.11.
(10) Aug. de Gratia novi Testam. ep.140 alias 120.c.6.n.16.

cturos. Quin immo S. Thomas inter caufas doloris interioris Chrifti patientis numerat (1) *amiffionem vitæ corporalis, quæ naturaliter eft horribilis humanæ naturæ*. Atque in hoc naturali mortis horrore innituntur leges, quæ pœnam mortis, non pro quibufvis criminibus, ut Dracon voluit, merito de hac lege tamquam evidenter iniqua reprehenfus, fed pro gravioribus ftatuunt, tanquam frœnum omnium validiffimum ad nequitiam hominum coercendam. Huc etiam facit, quod de Clitomacho Carneadis fucceffore refert Heinius in Actis Berolinenfis Acad. ann. 1743. quod fe ipfe occiderit, ut effet qui amori vitæ non fuccumberet, non videns alios fe imitari, quibus vulgus ipfum locum inter infanos, non inter philofophos conceffit.

65. Majorem vifus eft accufare falfæ fuppofitionis Antonius Genuenfis, qui ait, (2) *Vix hominem reperias in maximis etiam animi corporifque cruciatibus conftitutum, qui non malit effe potius qualifcunque, quam nullus*, qui quidem poffet fe tueri authoritate S. Auguftini, aliorumque, quos citat Cornelius a Lapide (3), quibus ex eo, quod melius fit effe, quam non effe videntur concludere, quod fatius fit effe etiam in Inferno damnatum, quam non effe. Verum aliud eft dicere, effe nude & fimpliciter fumptum melius eft, quam non effe, & hoc eft verum, quia effe eft bonum aliquod phyficum, at non effe eft nihil: aliud vero eft dicere, effe conjunctum cum continuis cruciatibus fine ulla levamenti fpe melius & eligibilius eft, quam non effe, quod repugnat ipfi Auguftino, qui dum dicit, (4) *tam nemo eft, qui effe fe nolit, quam nemo eft, qui non beatus effe velit*, jam tenet, quod ubi non habeat locum fpes beatitudinis, ne poffit quidem effe defiderium vitæ: & expreffe jam negavit S. Hieronymus, (5) *melius eft*, inquiens, *non effe, quam male effe*, & deinde citatus a Lapide, & Suarez (6), quin immo omnes; quandoquidem omnes in Carnifices fremunt, fi cafu aliquo videant ab iis reos occidi lentiori morte, quam illorum damnatio poftulet, & Phalarifmum vocant illis mortem quafi per exiguos hauftus propinare: actum vero clementiæ eos ftatim interfici, qui ex legibus inter diuturniorem cruciatum deberent expirare.

66. Sed idem extra controverfiam effe debet, tum quia generaliter fcriptum eft (7) *Melior eft mors quam vita amara*, & de

(1) S.Tho 3.par.art.6.
(2) Gen.Elem.Met.par.3.c.4.prop.24.
(3) A Lap.in Eccle.ca.4.v.3. §. Contrarium.
(4) S.Aug.de Civit.li.11.ca.26.
(5) S Hie in Jerem 20.
(6) Sua.in 1.2.tr.5.dif.7.fec.3.nu.16.
(7) Eccli.30.v.17.

de impiis, quod *quærent mortem, & non invenient* (1), & de Juda proditore (2) *Bonum erat ei, si natus non fuisset*: tum quia idem expresse docent passim Patres, & Doctores, quorum aliquos citat idem a Lapide, de hoc ex professo agens (3): tum quia exempla eorum, qui professi sint vitam sibi in summis miseriis & doloribus constitutis adhuc caram esse, nulla novi, eorum autem qui dixerint malle se vivere etiam in cruce, quam sibi animo fingebant sed non experiebantur, occurrit exemplum Mæcenatis apud Senecam (4), qui de hoc acriter illum reprehendit & vituperat: at vero exempla eorum, qui desperato omni malorum, quibus cruciabantur levamento, mori maluerunt, multa occurunt. Plinius junior de tribus suis amicis Corellio Rufo, Silio Italico, & Tito Aristone hæc memoriæ prodidit (5). Corellius podagra a multis jam annis laborans vitam finire aliquo modo decrevit, & quoniam alio non poterat, inedia passus est se enecari, suis & amicis ad cibum sumendum hortantibus, tetrum κέκρικα respondens, hoc est decrevi scilicet mori: idemque mortis voluntariæ genus propter natum insanabilem clavum (6) Silius sibi intulit. Ariston tandem Plinium paucosque alios maxime familiares post multos gravis morbi dies ad se advocans rogavit, (7) *ut Medicos consulerent de summa valetudinis, ut si esset insuperabilis, sponte exiret de vita*. Sed numero pauci sunt qui impediti adstantium cura cum physicam non haberent potentiam se statim occidendi, inedia se enecarunt: alios, qui hac potentia quam habebant, usi sunt quis numeret?

67. Utrosque tamen omittamus, qui inter insanos vel sceleratos numerari debent, utpote de vita, quæ ex dictis (§. 61.) solius Divini juris est contra fas disponebant. Potiora sunt exempla Sanctorum, qui probe intelligentes datam sibi non esse potestatem ullam in suam vitam, quam gravissimis malis oppressam jamdiu tolerabant, Deum enixe rogabant, ut ille sibi eam eriperet. In mentem revoco Eliam, qui fugiens per desertum ab Jezabelis furore (8) *petivit animæ suæ ut moreretur, & ait: sufficit mihi Domine, tolle animam meam*: & Tobiam, qui captivitate cæcitate & domesticorum etiam increpationibus oppressus orat, (9) *præcipe, in pace recipi spiritum meum*: & Moysem, qui sub onere gubernationis sibi impositæ totius populi

(1) Apoc 9.v.6.
(2) Matt.26.
(3) A Lap. in Eccle.cap.4.v.3. §. Secundum esto.
(4) Sene.ep.101. circa finem.
(5) Plin.li.1.epist.12.
(6) Id.Ibid.li 3.epist.7.
(7) Id.Ibid.li.1.epist.22.
(8) 3.Reg.ca.19.4.
(9) Tob.3.6.

puli Hebræi jamdiu gemens, inquit ad Dominum, (1) *obsecro ut interficias me*: & Job, cujus est illa vox, (2) *Tædet animam meam vitæ meæ*, quam etiam ab Apostolo Paulo expressit tribulatio, quam in Asia patiebatur (3) *ita ut*, inquit, *tæderet nos etiam vivere*.

68. Probatur II. cum Genuensi (4) sic. Facta partitione malorum, quæ sunt in vita hominum, alia reperiuntur oriri a nostramet constitutione seu natura in pœnam peccati originalis sibi quodammodo relicta, & spoliata donis illi a Deo superadditis in prima ipsius creatione: alia vero ab abusu nostræ rationis vel libertatis; Atqui mala primi generis non sunt plura oppositis bonis: mala vero secundi generis vel non debent computari, cum quæritur, in qua ratione sint cum bonis vitæ, vel non esse numerosiora bonis, satis suadet prima probatio: ergo mala vitæ hominum non sunt plura bonis. Singulas minoris partes distincte suadere oportet in gratiam præsertim eorum, qui oppositam assumptionem clamant ex dictis (§. 60.) esse consequentiam *accuratissimi calculi*.

69. Igitur pro prima minoris parte sic arguo. Imprimis bona opposita malis ortis ex nostra natura, alia sunt stabilia, ut usus rationis libertatis lucis aeris pluviæ fructuum, diversitatis temporum, salutis corporum, vitæ denique totius: alia temporaria, ut divitiæ honores amici & similia. Jam vero quis adeo malus computator erit, qui non videat longe majorem esse bonorum, quam malorum illorum copiam. Si enim sunt cupiditates, quæ aliquando intimas medullas dilacerant, sunt contra, quæ illas frequentius mulcent & recreant. Si pungit sollicitudo vestitus victus fortunæ & famæ: at oblectat interea ipsa horum possessio. Si subiicimur morbis pro unaquaque etiam corporis parte innumeris: at a longo jam tempore bona utimur valetudine, & plerunque pro pede qui infirmus est, caput vegetum est, & cæterorum membrorum usus non est impeditus. Si nihil est in rebus nobis externis, quod molestiam nobis creare non possit: at multa interim liquidam in nobis voluptatem producunt, & nihil est quod commodum nobis esse non possit. Exemplo sit Scarronius celebris Poeta auctor ludicræ poeseos apud Gallos, sicuti apud Italos fuit Bernius, cui occasionem dabant ipsi morbi, quibus crura tibiæ brachia totum corpus sensim a propria figura discedebat ut Gouietus (1) & ex illo Trevoltiani

(1) Num. 11.15.
(2) Job.10.v.1.
(3) 2 ad Corin.ca.1.v.8.
(4) Genu.Elem.Metaph par. 2. prop. 68.nota 4.& par. 3.ca.4 Append.
(5) Gou. Biblio. Francoise tom. 14.

ni (1) apposito specimine illius carminum docebunt. Concludam bona concessa nobis in hac vita esse longe abundantiora malis, quæ ex ipsa nostra natura nascuntur. Si qui sunt, qui contrarium adhuc dicant, profecto vel inconsiderate loquuntur, vel falluntur. Nam Cato quidem jam senex spe vitæ melioris in divino animorum concilio posthac ducendæ dicebat, (2) *Si-quis Deus mihi largiatur, ut ex hac ætate repuerascam, & in cunis vagiam, valde recusem*. At idem non deploravit vitam: Cum hi igitur non sint Catones, imitabunt credo jam morituri vel Theophrastum, qui Tullio referente (3) *moriens accusasse naturam dicitur, quod cervis & cornicibus vitam diuturnam, hominibus autem exiguam dederit*, vel rusticum, qui ut est in fabula, cujus meminit Cartesius (4), & quam egregie exponit Fontana apud Trevoltianos (5) morti dixit accurrenti ad ejusdem repetitos & late resonantes accitus hoc unum se ab ea exposcere, auxilium in onere ferendo.

70. Deinde mala ex humana constitutione provenientia, quæ homo non sentit, non amplius respectu ipsius ut est vivens, mala sunt, sed æquivalent malis naturæ dumtaxat corporeæ (§. 12.): Atqui mala ex humana constitutione provenientia, quando in hac vita sunt gravissima, homo amplius non sentit; constat enim retundi omnem vim animi ad exercendas suas operationes & sensationes, siquid mali paulo intensioris superveniat homini sive in ejus corpore, sive in ejus anima; Nam ita in utroque casu pervertuntur organa corporea, quibus indiget anima hominis in hac vita, ut ille vel tamquam Brutum expers sit reflexionis, ex qua oritur potissima malorum sensatio. vel tamquam Planta, nulla prorsus mali experientia afficiatur, & e viventium numero aperte pronunciaretur abiisse, nisi intercederet aliquod indicium, vel etiam vitæ adhuc remanentis suspicio: ergo mala ex humana constitutione provenientia, cum in hac vita sunt gravissima, non sunt jam amplius mala respectu hominis, ut est vivens: ergo neque opponuntur ejusdem hominis bonis, prout est vivens: ergo bona hæc restant adhuc plura oppositis malis.

71. Confirmari tota hæc probatio potest ex opinione Epicuri, qui tot bona in vita hominis, prout sibi contigit a naturali sua constitutione invenit, ut in ejus potestate statuerit positam esse felicitatem, quoties noverit illis frui, nec vel effroenatis cupi-

(1) Mem de Trev. an. 1754. art. 81. pag 1609.
(2) Tull. de Senec. ca. 23.
(3) Id. Tusc. li. 3. nu. 28.
(4) Cart. Epist. par. 1. epist. 10.
(5) Mem. de Trev. an. 1756. art. 48.

cupiditatibus indulgendo brevem voluptatem cum magnis consequuturis doloribus commutet, vel sollicitudine futuræ alicujus miseriæ, vel desiderio plurium bonorum, quam quæ natura sponte objicit, præsentem delectationem recuset. Cum qua opinione optime intelligitur, quam bene cohæreat, quod aliqui volunt ex dictis alibi (1), nulla corruptelæ dogmata ab ipsomet Epicuro fuisse proposita, sed severissimas potius temperantiæ leges constitutas; cujusmodi sunt, ut homo vulgaribus cibis, vilissimis vestibus, incommodæ habitationi, fortunæ abjectissimæ, mendicitati ipsi assuesceret, ne deditus deliciis per industriam conquisitis, si forte propter terrenarum rerum vicissitudines illis privaretur, vivendi naturalis voluptas foret impedita, aut, ut ex illo ait S. Hieronymus, (2) *quia exquisita majorem pœnam habent in inquirendo, quam voluptatem in abutendo*.

72. Quæ fuerunt documenta aliorum etiam ante Epicurum Philosophorum; Nam ex Tullio (3) habemus Anacharsim philosophum Scytham temporibus Solonis, qui pecuniis & muneribus sibi oblatis præposuit tegi se scythico amictu, esse nudum pedibus, humi cubare, & cibo vulgari vesci; & Plutarchus refert, quod (4) *lacerna, pera, quotidiana cibi emendicatio, beatitatis principia Diogeni, libertatis gloriaque Crateti fuerunt ... Et Metrocles hyeme inter oves, æstate in vestibulis templorum dormiens provocat ad certamen de felicitate Persarum regem, Babylone hyemantem, & æstivo tempore in Media degentem*. Et alibi meminit de columna quadam (5) *Thebis in templo positam, in qua diræ imprecationes inscriptæ fuerant in Minim regem, qui primus Ægyptios a tenui, & opum pecuniaque non indigente victus ratione deduxisset*. Quam Philosophiam mihi videor videre continuo vigentem in tot erronibus, quorum semper in frequentioribus saltem civitatibus magna est copia, eamdemque promovit Buffierius (6) contendens incultos Americanos posse de gentibus magis expolitis cogitare quod nos de feminis nimis delicate enutritis, commiseratione dignas esse, non invidia. Sed quid ego hos commemoro, cum occurrat testimonium omni exceptione majus in iis, qui vitam vivunt juxta divinum dogma præclare a Segnerio (7) expositum (8), *habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus*, persuasum habentes, quod sicuti immediate dicitur, *qui volunt divites fieri, incidunt in multa desideria*

(1) Diss. de Bono § 318.
(2) S. Hier lib. 2. adv. Jovini. num. 11. juxta Vallarsium.
(3) Tull Tusc. li. 5. num 32.
(4) Plut. Opusc. An Vitiositas ad infelicitatem sufficiat.
(5) Id. de Isid. & Osiri. sub initium.
(6) Buff Exam. de Prejugez. diss 5.
(7) Segn. Man. 15. Giugno.
(8) 1. Timoth. 6. 8.

deria inutilia & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem.

73. Altera jam pars prædictæ (§. 68.) minoris, quæ negat de malis vitæ humanæ, ortis ex malo vel rationis vel libertatis usu, haberi jure posse rationem, dum bona ipsius cum malis comparantur, innititur in eo, quod hujusmodi mala non redundant nisi in accusationem hominum, qui præstantissima rationis & libertatis dona in suam perniciem convertunt: eademque subductis rationibus inveniuntur numerosiora illis, quæ a natura proveniunt. Nonne enim quod suspiria aliqui continuo emittant, somno careant, miseram denique vitam ducant, sibi solis imputare debent? utpote qui nullum, vel malum usum rationis faciunt. Ex his sunt, qui per stultam meditationem, ut cum Epicuro loquar apud Tullium (1) toti sunt in metu futuri mali, quod fortasse nullum erit. Dum Sceptici gloriabantur se per suam Epochem, hoc est suspensionem judicii circa omnia præterita & futura invenisse magnam malorum mitigationem, quippe omnis perpessio hac via reducitur ad unum temporis momentum, in quo consistit præsens, falsam quidem gloriationem jactabant, quoniam qui rationalis est, certo præscit aliqua mala, quibus afficiatur, aliquandiu duratura! At hanc saltem veram doctrinam includebant in ea generaliter sumpta falsitate, quod insipientis est de malis, quæ sunt in sola imaginatione, tristari.

74. Multo autem magis ratione abutuntur, qui ideo dolent, quia nollent bella moveri, tempestates excitari, morbos ingruere, lites intentari, scelera ulla perpetrari, & omnia demum, quæ etiam in manu ipsorum non sunt, in melius seu pro arbitratu suo vellent commutari atque componi. Nonne finita esset horum tanta calamitas, si adverterent se per voluntariam dementiam non absimiles esse homini stulto, qui navigans nollet somnum admittere, nisi vectores reliqui, nautæ omnes, undæ ipsæ, & venti vel quiescerent vel modo dumtaxat suo moverentur? Quod huic dicerent, desine vir bone de his cogitare, quæ nocitura tibi non sunt, nisi de iis cures, & in pace dormi ac requiesce, dicant sibi & exequantur, jamque optata potientur tranquillitate. Stoicorum philosophiam, quæ in cujusque potestate felicitatis acquisitionem positam esse docebat, non male credidit Cartesius (2), in hoc sitam fuisse. ut quisque sollicitus dumtaxat esset de suis operationibus, quarum unice domi-

(1) Tul.Tusc.li.3.nu.15.
(2) Car.de methodo nu.3.§. Tertia ae.

gula.

minium habet, reliqua autem omnia *extra se posita tamquam aequaliter sibi impossibilia consideraret.* Quasi hoc solum existimarent sufficere ad impediendum, nequid in posterum optarent, quod non adipiscerentur, atque ad se hoc pacto satis felices reddendos.

75 Venio ad mala orta ex abusu libertatis. Quis non videt plerosque morbos dolores miserias mortem ipsam nasci frequentissime ex hominum negligentia, imprudentia, furore, effroenata aliqua cupiditate, praesertim voluptatis, quam inquit Tullius (1) *Divine Plato escam malorum appellat*, & malo etiam consilio, quo res ipsas largitione beneficentissima humano generi a Deo traditas ad sui commodiorem conservationem convertunt in suam destructionem. Ita ad occidendum conflati sunt ex ferro enses, ex mineralibus concretus est pulvis tormentarius, ex multis vegetabilibus extracta sunt venena, inter quae nullum praesentius illo, quod ex quibusdam plantis extrahunt Lamenses & Ticunenses, populi circa Aequatorem in America positi, quo illinentes tenues sagittas ex palma confectas dicto citius mortem inferunt quadrupedibus, avibus, & quibusvis viventibus, quae illis fuerint vulnerata, ut constat experimentis recentius institutis, & expositis ab Herissantio in Transactionibus Philosophicis (2), quae eodem plane modo jam ante narraverat Joseph Gamilla apud Trevoltianos (3). Hinc tamen non bene concludit Plinius suam contra naturam expostulationem, quod *homini plurima ex homine sunt mala*. Hoc enim idem est ac queri, quod Deus sive Natura dissimiles nos fecerit lapidibus, qui profecto nec sibi nec aliis nocere quidquam possunt.

76. Tertia propositionis pars, mala poenae in hominibus non semper esse poenam culpae illorum actualis, extra controversiam est primo propter testimonium Christi Dn. qui interrogatus an quidam a nativitate caecus talis esset, quia vel ipse vel parentes ejus peccaverint, (4) *Respondit, neque is peccavit neque parentes ejus, sed ut manifestentur opera Dei in illo*. Secundo propter damnatas propositiones, Baii 73. *Omnes onnino justorum afflictiones sunt ultiones peccatorum ipsorum: Unde Job & Martyres quae passi sunt propter peccata sua passi sunt*. Et Quesnellii 70. *Nunquam Deus affligit innocentes, & afflictiones semper serviunt vel ad puniendum peccatum vel ad purificandum peccatorem*. Cum pro hac parte attulerim damnationem hujusmodi propositionum inve-

(1) Tul. de Senec. ca. 13.
(2) Transf. ann. 1750. nu. 14. pag. 75.
(3) Trev. an. 1748. art. 2. pag 27.
(4) Joa. 9. 3.

nvenientur apud illos, qui de his egerunt ut Viva (1), abundanter alia argumenta eamdem demonstrantia. Communiter hæc mala non inflicta propter culpam actualem vocantur post S. Thomam apud Suarez (2) pœnæ medicinales, quia instar medicinæ sunt hominibus ad vitam æternam ordinatis magis utiles quam incommodæ.

ARTICULUS IV.

Objectiones contra secundam propositionis partem.

77. I. OBiicitur. Salomonis sunt hæc, (3) *Laudavi magis mortuos quam viventes, & feliciorem utroque judicavi, qui nec dum natus est, nec vidit mala quæ sub Sole sunt*: Jeremiæ autem illa, (4) *Maledicta dies, in qua natus sum..... Quare de vulva egressus sum, ut viderem laborem & dolorem, & consumerentur in confusione dies mei*. Similia in Job (5) habentur. Quibus consonant Philosophi qui apud Plutarchum (6) *mortem vita potiorem statuunt*: & quædam celebres veterum sententiæ ab eodem, & a Plinio loco jam citato aliisque, quos nominant, qui in Plinium commentaria scripserunt, commemoratæ, ut illa Sileni, *Non nasci omnium est optimum: mortuum autem esse, longe est melius quam vivere*: & Menandri, *Juvenis relinquit vitam, quem Dii diligunt*. & Euripidis, *Hæc vita nomine vita est, ipsa re labor*: & Theognidis,

Optima non nasci res est mortalibus agris,
Aut ubi natus homo est, propere ut descendat ad Orcum;

& recentiorum etiam ut Aloysii Alamanni (7).

Ahi cieco seme uman se tu vedessi
In quante (lasso) stai miserie avvolto,
Tal sovente di te pietade avresti,
Che bramando il morir, nemico estremo
Il tuo giorno natal più d' altro fora,

& iterum (8)

Dunque o non nascer mai bramar si deve,
O nato, men durar, che al foco neve:

ergo ex testimoniis omni exceptione majoribus vita hominis abundantior est malis, quam bonis.

78. Resp.

(1) Viv. Quest. Thes.
(2) Sua. in 1.2. tr 5. dis. 7. sec. 2.
(3) Eccle. 4. v. 2. & 3.
(4) Jer. ca. 20. 14. & seq.
(5) Job ca. 3.
(6) Plut. Consolatio ad Apoll.
(7) Ala. Coltivatione li. 2.
(8) Id. Epigram. 93.

78. Resp. conc. antec., & dist. conseq. Vita alicujus hominis abundantior est malis, quam bonis, conc. conseq. Vita omnium vel plerorumque hominum talis est, nego conseq. Inter illos quos per me licet recensere inter miseriores quam beatiores, sunt, qui ita impotenter se amant, ut bona quaecunque, quibus potiantur, minora esse censeant meritis, suaeque naturae dignitate, & infra suamet temeraria vota certe experiuntur esse: & viceversa ex eodem sui praepostero amore gravissima mala reputant, quae inter levia etiam incommoda ab aequioribus & sanioribus vulgo numerantur. Quod pertinet ad obiecta Scripturae testimonia, haec opportuna sunt ad suadendam partem, quam concedimus, ut docebit Cornelius a Lapide in ea loca cum aliis, quos citat. Quid quod aliqua ex illis cum loquantur de vita praesenti comparata ad futuram, quae beata sit, non sunt ad rem. Hoc pacto cum in Ecclesiaste dicitur (1), *Melior est dies mortis die nativitatis*, Interpretes afferunt rationem Olympiodori, *quia si peccator fuerit, qui decedit, peccare ultra jam desinit, qui vero fuerit justus, vita perfruetur aeterna*. In eodem sensu, & cum eadem distinctione accipi possunt multa veterum philosophorum dicta, & iis quae forte hunc sensum non admitterent opponimus, quod habemus a Tullio existimasse Peripateticos, Stoicos, & illos ipsos, (2) *qui voluptate & dolore omnia metiuntur, sapientum vitam omnibus partibus plus habere semper boni, quam mali*. Hoc ipsum idem Alamannius nobis obiectus ubi pacate magis cogitavit, alio epigrammate sic expressit:

Ogni sorte di vita al saggio p[illegible]e.
In corte è somma gloria, in casa pace,
Diporto in villa, in mar guadagno. Fuore
Della sua patria il ricco porta onore,
Il pover più si cela. Quel ch' ha moglie
Ha più conforto, chi non l' ha, men doglie.
Son sostegno i figliuoi, queta è l' orbezza,
Robusta è gioventù, saggia vecchiezza.
Brami dunque ciascun non morir mai,
E di Nestore i dì vincer d' assai.

79. II. Obiicitur. Evidens est unam esse bonam valetudinem, morbos vero tam multos, ut qui Nosologiam Sauvages consulat, videat opus fuisse ad notitiam aliquam magis distinctam acquirendam certas eorum classes primo statuere, & has in genera, & haec in species distribuere, non secus ac Linneus fecit circa

(1) Eccle. 7. v. 2.

(2) Tul. de Fini. li. 5. nu. 31.

circa plantas animalia & fossilia: ergo plura sunt mala physica oppositis bonis.

Resp. conc. ans, & dist. conseq. Plura sunt mala bonis oppositis sumpta in abstracto secundum proprias & usitatas appellationes, conc. consequ. sumpta prout sunt actu in uno eodemque subjecto, nego consequ. In quæstione quæ versatur circa malà existentia in uno eodemque individuo non est ad rem enumeratio malorum, quæ secundum sua nomina appellativa numerosior inveniatur oppositis bonis. Ea enim nomina nata sunt ex sollicitudine avertendi a nobis mala per ipsa significata, quibus interea quis neget opponi totidem bona, quæ explicari possunt per carentiam cujusvis nominati mali.

80. III. Objicit Maupertuisius (1). Quivis homo majorem partem temporis vitæ suæ patitur perceptiones, quas nollet, in quo habetur malum, nec habet perceptiones quas vellet, in quo habetur bonum: ergo plura sunt mala, quam bona in vita hominis. Antecedens suadetur, quia quivis homo majorem partem temporis patitur desideria, quæ sunt ex perceptionibus, quas nollet.

Resp. nego ans. Hujus autem probationem distinguo. Quivis homo majorem partem vitæ patitur desideria associata cum aliis sibi gratis perceptionibus permitto: non sic associata, nego ans. Admittat adversarius necesse est cum desiderio boni haberi exercitium mentis, conscientiam hujusmet exercitii, & apprehensionem boni, quæ omnes perceptiones sunt gratæ homini. Cum igitur juxta suam doctrinam tempus felix sit, in quo summa perceptionum gratarum major est summa ingratarum, jam hoc modo non concluditur major pars temporis vitæ humanæ misera. Quod si supponantur desideria habere momentum majus affligendi propter ipsorum vehementiam majorem, quam sit in perceptionibus associatis, tunc negatur suppositum, si procedat relate ad majorem hominum partem, quemadmodum objectio videtur exigere. Paucorum enim insipientium est ita desideriis indulgere, ut locum non relinquant gaudio de præsentibus, lætitiæ de spe futurorum, & aliis animæ prudentibus & jucundis operationibus.

(1) Mau. Specimen Philos. Moral.

SECTIO IV.

De Caussa efficiente Mali Metaphysici.

PROPOSITIO

Deus est sola causa mali metaphysici: & talis est sine ulla sui imperfectione.

ARTICULUS I.

Argumenta pro propositione.

81 Robatur prima pars. Ille est sola causa mali metaphysici, nimirum hoc efficiens moraliter, non vero physice, cum sit mera negatio, qui solus est caussa efficiens id, quod essentialiter habet malitiam metaphysicam: Sed Deus est sola caussa efficiens omnem entitatem creatam, quæ est id quod essentialiter habet malitiam metaphysicam: ergo Deus est sola caussa mali metaphysici. Minor probatur, quia repugnat creaturam esse creatorem, qualis esset, si infinite perfecta esset seu sine ullo malo metaphysico. Bene S. Augustinus illis qui quærunt, quare non possint esse summe bona etiam illa quæ sunt a summo bono, respondet summum bonum, quod de summo bono est (1) *memineritis natum de illo esse, non ab eo factum de nihilo: videamusque injuste flagitari, ut tam summe bona sint, quæ fecit de nihilo, quam summe bonus est, quem de se genuit: quem nisi unum genuisset, non id, quod ipse est genuisset, quia ipse unus est*. Quare cum relatione ad hoc malum essentiale creaturis potest etiam juxta Suarez (2) accipi illud Christi Dn. (3) *Nemo bonus nisi solus Deus*, ut supra etiam (§. 2.) dixi.

82. Probatur secunda pars. Deus est caussa mali metaphysici sine ulla sui imperfectione, si malum metaphysicum arguat infinitam perfectionem Dei; sed ita est: ergo. Probatur minor, quia arguit imprimis Bonitatem & Potentiam infinitam; Nam ipse sibi sufficientissimus, ea, quæ nihil erant, facit ut sint cum aperta

(1) S.Aug.cont.Epist.Fundam.ca.36. num.41.

(2) Sua.Met.dis.11.sec.4.nu.3.

(3) Luc.18.19.

aperta vel ad nostrum captum limitatione perfectionis, ut inferamus illum, qui dedit nobis hanc mentem capacem intelligendi esse possibiles creaturas perfectiores in infinitum, habere in se potentiam & omnes perfectiones infinitas. quod ipse Dei conceptus aliunde suadebat.

Arguit Libertatem Dei perfectissimam, non solum quia sine ulla omnino necessitate creat, quicquid creat, sed etiam quia pro sua libera voluntate determinavit, a quo gradu perfectionis inciperet rei cujusvis creationem, & in quo gradu consisteret; Nam cum Infinitas suæ Bonitatis & Potentiæ importet posse creare entia in infinitum alia aliis perfectiora, hæ Divinæ perfectiones expectant, ut ita dicam, determinationem ad suum exercitium a Divina Libertate.

Arguit tandem Sapientiam infinitam, quia singulas creaturas fecit cum ea perfectione, quæ responderet fini ipsis attributo, qui respicit non solum res singulas, sed alias etiam, quas invicem connexas voluit, & a quibus exercitium proprii uniuscujusque muneris dependere voluit. Quare diversa quodammodo est portio mali-metaphysici in singulis: (1) *quæ*, inquit S. Augustinus, *in Cælo & in Terra corpora, non solum illi a quo sunt condita, sed nec inter se oportebat esse æqualia, & ideo sunt omnia bona, quia sunt alia aliis meliora, & bonitas inferiorum additur laudibus meliorum, & in rerum bonarum inæqualitate ipsa est jucunda gradatio, ubi minorum comparatio est ampliorum commendatio*.

ARTICULUS II.

Objectiones ex imperfectionibus corporeis.

83. OBjicitur. Singulæ creaturæ in ea partis ratione quam habent ad totum, poterant habere minus mali metaphysici: ergo tantum in singulis creaturis hujusmodi mali non arguit infinitam perfectionem Dei.

Resp nego ant. Bene singulas creaturas se habere cum perfectione, quam habent relate ad totum, cujus sunt partes, quicquid nobis aliter videatur, intelligi potest ex eo, quod intelligamus Deum esse tantæ Sapientiæ artificem, ut non solum integrum ipsius opus, sed ne ipsius quidem exiguam partem, quæ nos ipsos facit, comprehendamus, qualis comprehensio totius operis requireretur ad judicandum sine temeritate, an minus

(1) S. Aug. contr. Advers. Legis & Proph. li. 1. cap. 4.

nus imperfectionis potuerit pars aliqua habere, quin noceret majori totius perfectioni. Quare jure S. Augustinus dixit (1), *quod offendit in parte perspicuum sit homini docto, non ob aliud offendere, nisi quia non videtur totum, cui pars illa mirabiliter congruit*. Qui huic rationi non acquiescunt, bene Yvon in Encyclopædia (2) assimilat Acaro, qui de insigni aliqua Titiani tabula, supra quam spatiatur, pronunciaret illam esse minus scitam, quia ipsius acies defixa quasi in puncto loci, nihil aliud videt nisi umbram, vel unum dumtaxat colorem. O dignam minimo ex insectis sententiam!

84. Urgent hanc objectionem præcipue pro homine sic primo arguentes. Poterat major nobis concedi membrorum agilitas, amplior statura, & longior vita, ne queri merito possemus cum iis, qui Senecæ displicuerunt (3), sed ab aliis approbantur, quod velocitate cervis, levitate avibus, nandi facilitate multis brutis, magnitudine elephantis, & spatio ætatis cornicibus simus longe inferiores.

Resp. dist. assumptum. Poterant concedi nobis statura, vita, & aliæ qualitates in gradu perfectiori, si hæc omnia seorsim, & sine relatione ad alia considerentur, concedo. Divina enim Omnipotentia exhausta non est in iis, quæ creavit. Atque utinam hanc haberent præ oculis Adversarii, intelligerent profecto nullas esse hujusmodi objectiones, quandoquidem aucta pro eorum libito singularum rerum perfectione, adhuc restat locus majori. Poterant, quæ nobis data sunt, esse perfectiora considerata cum relatione ad hanc terram, cujus sumus pars, nego assumptum. Brevior enim necesse est statura & vita hominum sit quam elephantorum, & cornicum, aliter, quod jam advertit Derhamus (4) deesset nobis terra habitabilis, nec possent ex ipsa haberi sufficientia instrumenta & præsidia ad generis humani tutamen & conservationem, posita hujus terræ a Deo creatæ quantitate. Quare non assentiar Card. Ptolemæo (5), qui *probabilissime*, inquit, *statuitur cum Pererio vitam terrestrem hominum innocentium futuram decem millium annorum præter propter*. De ipsa autem terræ creatæ quantitate tamquam nimis limitata non licet queri, quoniam haberet semper locum nova ex eadem ratione querela, quacumque facta terræ amplitudine. Lucretius cum similem objectionem sic proposuerit (6).

De-

(1) S.Aug.de Ordine li.2.nu. 51. col. 351.
(2) Yvo.art.Bon.§.Nous sommes.
(3) Sen.de Benefic.li.2.ca.29.
(4) Der. Physico-Theology. B. 7. cha.4
(5) Ptol.Phys.partic.dis.2.sec.5.
(6) Luc.de rerum natu.lib.1.

Denique cur homines tantos natura parare
Non potuit, pedibus qui pontum per vada possent
Transire, & magnos manibus divellere montes,
Multaque vivendo vitalia vincere secla?

respondit hoc fieri non potuisse, quia materia quam vult æternam esse, & a se, non suppetebat ad hæc omnia. Quæ est Atheistica responsio?

Quævis præterea diuturnitas vitæ supra illam hominum, quam rara quædam bruta habeant, nihil est comparata immortalitati, quam suo nomini homo potest comparare per opera artis & ingenii: multo autem minus comparata cum reali immortalitate, de qua ratione & revelatione divina docemur.

85 Quod dicitur de agilitate cervorum, levitate avium, & nandi innata peritia, hæc negari nobis debuerunt, tum quia alia habemus præsidia efficaciora ad vitam tuendam & conservandam, quibus quia carent bruta, ea ipsis concessa fuerunt: tum quia tanta præditi sumus vi mentis & tali instructi corporis forma, ut in nostrum usum convertamus quæcunque in brutis admiramur. Itaque dicam cum Daniele Bartolo (1), quoniam magnitudo elephanti placet, quia sublimis est & valida, facile est homini pro illius docilitate in eum ascendere, & domum etiam suam ejusdem dorso imponere. Et cum velocitas cervi vincatur ab illa equi, hac homo pro suo libito utitur insidens equo, qui libenter patitur se lupatis & calcaribus moderari. Et cum avium levitas opportuna sit ad potiendum iis, quæ in libero aere vagantur, sicuti sagacitas canum pro illis, quæ in silvis dumetis & antris lateant, ideo tum canes tum aves omnium velocissimæ, ut accipitres & aquilæ instrui possunt ad irruendum in prædam, eamque ad hominis sibilum in ejusdem manibus deponendam. Et de facilitate nandi multorum animalium, quid opus est dicere, cum ea longe superetur a dexteritate navigandi propria hominis.

86. Qui alas cuperet ad itinera facilius expedienda, is imprimis advertat cum Pluche (2), gratulari nos quotidie hominibus, quod firmioribus & celerioribus ventorum alis tranaverint Oceanum, qui Europam ab America dividit, spatium, quod nulla avis sponte unquam conficit. Deinde cum eodem Pluche (3) post Derhamum (4) fateatur se toti humano generi cupere vitam ductam supra & intra præruptos scopulos ad prospi-

(1) Bar. Ricr. del Savio li. 1 ca 15 § Ma egli è.
(2) Plu. Spett. de la natu. tom. 5. entr. 3. Gouvern. de l'homme.
(3) Id. ibid. tom 2. entr. 1. Les Oiseaux
(4) Der. Physico-theo. B. 5 cha. 1.

fpiciendas & eludendas malorum infidias, & aggreffiones, adeoque defiderare excidium civitatum omnium, & focietatis humanæ omnimodam diffolutionem.

87. Inftant. Poterant nobis dari fenfus perfectiores, & ejus faltem perfectionis, quæ eft in aliquibus brutis. Non enim injufta eft multorum querela, vinci nos ab aquilis acie oculorum, a canibus fagacitate narium, & a vulpibus fubtilitate auditus.

Refp. diftinguo fimili modo ac fupra afsumptum. Poterant fenfus hominum efse perfectiores, fumpti abfolute, concedo: fumpti relative ad totam hominis fabricam, atque naturam, nego. Conceditur prima pars diftinctionis ex ratione jam allata Omnipotentiæ Divinæ: negatur vero fecunda propter rationes, quæ in mentem venient fingillatim obfervando objectas oculorum narium & aurium noftrarum imperfectiones præ illis brutorum. Quod non major profpiciendi facultas noftris oculis data fit Tullius (1) profefsus jam fuit audacter fe Deo obiicere. At cum Malebranchio & Lockio citatis a Vernejo (2) refpondetur oculos cuique animali datos efse proportionatos ad fui jucundam confervationem pro loco fibi ad vivendum deftinato, cui fini vel inutilis vel noxia efset alia acies, eique abunde fatisfacit profpectus, quem habent. Iidem rurfus funt organa materialia, & a motu materiæ illis extrinfecæ, particularum fcilicet lucis refilientium ex objectis dependet illorum exercitium, qui motus necefse eft mille modis impediatur, nifi forte Tullius queratur etiam de conditione animalis terreftris, quæ fibi data eft, potius quam aerei. Quod ftulte ex dictis fieret.

88. Si quis promoveret querelam Tullii ex eo, quod Deus non dederit oculis noftris eam aciei perfectionem, qua fi microfcopiis armentur, conftat ditari pofse, refpondendum efset cum Chriftiano Vvolfio (3). & Jo. Alberto Fabricio (4) errare illos, qui utiliores nobis hujufmodi oculos reputarent, & perfectiores comparate ad fabricam totius hominis, & ipfius ufum. Inutilis enim effet acies acutior ad eam vitam, quam obtinemus commode traducendam, quæ non eft propter minimas partes terræ & terreftrium corporum perfcrutandas, fed propter ufum illarum, quæ nobis congruæ funt. Noxia etiam efset: tum quia impeditus nobis efset ab aere fic vifo tamquam a velo vel nebula quadam afpectus omnium objectorum: tum quia, ut notat Yvon (5), oculus minima videns exiguum admodum fpatium

(1) Tul.Acad.li.4.nu.80.
(2) Ver.Metaph.li.3.ca.6.
(3) Vvol.Cofmol.fec.3.cap.2. §. 543.
(4) Fab.Opufcu. Program. 7. de Deo ex oculo.
(5) Yvon.Enciclop.art.Bon.

tium comprehendit, ut constat inspicienti per Microscopia, & arguitur etiam ex insectis, quæ quia ad minima hæc videnda aptos dumtaxat oculos habent, instructa etiam sunt antennis quibusdam in capite, quarum usus suadet Derhamus (1) esse, ne dum moventur vel volant, prius incidant in ea, quæ ipsa lædant, quam illa videant, cum cæteroquin conversatio & melior conditio vitæ humanæ postulet, ut spatium satis amplum ante hominum oculos plerunque obversetur, & ad Cælos ipsos extendatur: tum tandem quia turpissima & horrida viderentur nobis pleraque objecta, quæ ad vitæ societatem necesse fuit, ut sua etiam nos allicerent pulchritudine, quæ postulat certum aciei gradum, quemadmodum certam ab oculo distantiam postulant imagines ad regulas Perspectivæ delineatas. Quisque inquit Vvalterus a Tschirnhausen (2) *per physicam edoctus clare scit id ipsum, quod jam nobis pulchrum delectabile & magnifaciendum videtur, si nostrorum sensuum alia esset constitutio, tunc visu horrendum molestum omnique ratione spernendum visum iri*. Alia incommoda contra illos, qui vellent oculos prospicientes naturaliter, quantum per Telescopia prospiciunt, & similiter desiderant perfectionem in singulis organis sensoriis majorem illa, quæ communiter nobis concessa est, ob oculos brevi proponit Bernard in sua Synopsi (3) operis Nievventitii, qui fusius (4) hæc ipsa persequitur.

89. At inquiunt, querimur, quod aquilæ dati sint oculi nostris perfectiores, utpote qui possunt solem ipsum impune contemplare, quod nobis non licet.

Resp. creditum quidem esse a multis oculos aquilarum pares esse soli intuendo, dummodo degeneres non sint, quia dicunt compertum esse ipsarum genitores educare solos pullos tamquam suos, quos in solis adspectum adductos viderint pupillas in ipsum defigere. Sed imprimis quid inanius hoc fundamento, quod quando historiam contineat & non commentum, concludere potius videtur hebetudinem hujusmodi oculorum. Sicuti enim quæ urticam contrectant manus sine pruritu, sunt callosæ: quæ ad fremitum cæli tonantis vix commoventur aures, sunt obtusæ, ita minus sensibiles dicendi sunt, adeoque imperfecti oculi, qui radiantis solis vehementiam substineant.

90. Deinde omissa hujus credulitatis origine & veritate concludi solum potest esse aquilis oculos nostris perspicaciores, non tamen

(1) Derham. Physico-Theol. B. 8. cha 3.

(2) Tschi. Medic. mentis. par. 3. pag. 284.

(3) Bern. A summary account of the Religious Phil.

(4) Nievv. The Relig. Phil. Contempl. 14. sec. 13.

tamen perfectiores; Nam perfectio singulorum sensuum ex dictis æstimanda est ex commodo, cui facilius consequendo opportune sint temperati. Quare quot sunt deliciæ, quæ hos nostros oculos præsupponunt, totidem sunt de illorum perfectione præconia. Eadem instituta comparatio inter commoda, quæ ex aliis sensibus eruunt homines & bruta, plane ostendit sensus nostros longe perfectiores esse illis brutorum, eamque inter utrosque elucere rationem, quæ est inter nostras & ipsorum animas. De hac comparatione bene meritus est Jo. Ciampoli in prima ex suis Italicis Prosis (1) magni habitis a Card. Pallavicino, qui ad earum editionem operam suam contulit, in qua partite retundit hujusmodi Momos, qui nobis præponunt aquilas propter visum, canes propter odoratum, vulpes propter auditum, gallinas propter gustatum, & araneos propter tactum.

91. Tandem permissa iterum majori perfectione in particulari proprietate sensuum & corporis brutorum, dicendum cum S. Augustino hanc illis datam esse & non nobis (2) *ut illud, quo eis præminemus*, animam rationalem, quæ per admirabilem Creatoris benignitatem capax facta est acquirendi sibi etiam Beatitatem Divinam, *etiam isto modo nobis commendaretur, multo majori cura excolendum esse, quam corpus*.

Articulus III.

Obiectiones ex imperfectione nostræ libertatis.

92. Obiicitur. Deus nequit sine sui imperfectione esse caussa illius mali metaphysici in suis creaturis, quod est caussa mali moralis: Sed malum metaphysicum libertatis indifferentiæ, quæ tradita a Deo est suis creaturis, est causa mali moralis: ergo.

Resp dist. mai. nequit Deus esse illius caussa, quod est caussa necessario efficiens vel determinans ad malum morale, conc. maj., aliter nego maj. & disti. min: Malum metaphysicum libertatis creatæ est caussa in sensu proprio mali moralis, nego min. est hujus caussa in sensu improprio, hoc est occasio quædam mali moralis, subdisti. est occasio quædam mali moralis per modum conditionis, sine qua non est malum morale, conc. min. per modum conditionis, qua posita debeat necessario a creatura affecta hujusmodi libertate fieri malum morale, nego min. & conseq. Quod malum metaphysicum libertatis creatæ non sit caussa

(1) Cia. Prose Disc. 1. ca. 11. (2) S. Aug. de Civit. li. 8. ca. 15.

sa in sensu proprio est evidens, quandoquidem cum tale malum sit mera negatio ulterioris perfectionis in hujusmodi libertate, repugnat quid dici causam proprie talem meræ negationis. Immo ne in sensu quidem metaphorico dici ea potest caussa mali moralis, quatenus scilicet ex negatione hac ulterioris perfectionis considerata per modum entis sequatur malitia moralis, altera scilicet negatio per modum entis a nobis concepta; Nam malitia moralis non sequitur necessario ex illo malo metaphysico. Quam enim verum est hoc argumentum, Creatura operatur malum morale: ergo necesse est habeat libertatem imperfectam; tam falsum est hoc aliud, creatura habet libertatem imperfectam: ergo necesse est ut operetur malum morale. Quod clarius fortasse exprimit allata distinctio, quæ agnoscit in malo metaphysico libertatis creatæ conditionem sine qua non mali moralis, non vero conditionem determinantem ad malum morale. Hujus interea objectionis frequens promotor fuit Bayle in suo Dictionario, articulo Manichæi, & articulo Origenes, & in literis ad Provincialem citatis a Massario (1) illum confutante, & multi alii, ut ex dicendis constabit.

93. I. Instant Manichæi apud S. Augustinum (2), & Bayles tomo secundo Responsionum ad quæstiones hominis ex Provincia, & recentius Anglus quidam Anonymus, qui apud Trevoltianos (3) dogma de æternitate Inferni Damnatorum impugnat. Nequit sine imperfectione Dei esse in creaturis ea libertas, quæ plerisque ipsarum etsi ex sua culpa magis obest quam prodest: sed libertas faciendi etiam malum morale plerisque creaturis, etsi ex sua culpa magis obest quam prodest: ergo. Major assumitur tamquam evidens, minor vero probatur, quia libertas faciendi etiam malum morale obest iis omnibus creaturis, quæ male moraliter reipsa operantur: sed pleræque creaturæ male moraliter reipsa operantur: ergo.

Resp. I. nego maj. Quoties enim libertas a necessitate operandi vel non operandi noceat iis, qui ea donati sunt ex sola illorum culpa, illam largiri commendat bonitatem Largitoris, non imminuit. Est illa igitur bonum & quidem tale, ut S. Augustinus uno quidem in loco evidens credat hoc antecedens, (4) *Melior homo est, qui voluntate, quam qui necessitate bonus est*, ex quo statim infert, *voluntas igitur libera danda homini fuit*. Alibi vero illud sic efficaciter suadet (5): si bona pertinentia ad corpus hominis, ut manus pedes oculi, sine quibus ille vivere recte

 potest

(1) Mas. Relig. natur. nu. 335.
(2) Aug. de lib. arb. li. 2 ca. 1.
(3) Mem. de Trev. a. 1749. ar. 55. pag. 1028.
(4) Aug. li. 83. qu. 2.
(5) Idem de lib. arbi. ca. 18. nu. 48.

poteſt, hoc eſt cum laude & merito, ſunt bona, ex quibus eſt laudandus Deus illorum largitor, etiamſi tot ſint, qui illis male utantur, quanto majus bonum eſt ea libertas, ſine qua nulla eſt recta vita.

94. Reſp. II. tranſeat major, & nego min. ad cujus probationem diſt. maj. Ea libertas obeſt creaturis male reipſa agentibus, vel damno præſenti & temporario, quod conſiſtit in ipſo malo, & merito pœnæ æternæ, & perpeſſione alicujus pœnæ durationis finitæ, vel damno finali & ſempiterno, quod conſiſtit in ſempiterna damnatione, conc. maj., obeſt creaturis male reipſa agentibus damno ſemper finali & ſempiternò, nego maj. Nam ex Dei clementia & gratia multi convenienter retractantes peccata ſua miſericordiam conſequuntur. Et nego min. Nam ſunt Angeli inter creaturas liberas conditas cum hac libertate, quorum major pars ea bene ſemper uſa eſt juxta ſententiam S. Thomæ, qui ait (1) *Multo plures fuerunt Angeli remanentes, quam cadentes, & forte etiam plures, quam omnes damnandi Dæmones, & Homines*, quam ſententiam vehementer approbat Suarez (2), & ſequitur Bellarminus (3).

Huc etiam facit, quod non ſemel obſervat Leibnitius (4) adverſarios, qui poſt C. Cottam apud Tullium (5) ſimilia obiiciunt, non meminiſſe totam hanc terram eſſe tamquam punctum reſpectu totius univerſi, quod poteſt habere in tot ſuis partibus, ut in Planetis huic noſtræ terræ analogis, ſuos incolas rationales deſtinatos ad æternam felicitatem ſupernaturalem, qui bonum uſum faciant ſimilis libertatis. Ex quo conficitur, quod etiamſi major pars generis humani abutatur ſua libertate ad male operandum, attamen ſi aliæ in aliis corporibus cæleſtibus poſſibiles certe creaturæ rationales bene illa utantur, jam ejus abuſus ſiſtet in parte minima totius Univerſi creati.

95. II. Inſtat Kingius (6) auctor celebris libri *de Origine mali*, cujus compendium Chauffepius inſeruit in ſua de ipſo hiſtoria (7). Saltem reſpectu generis noſtri humani, quod maxima ex parte abutitur data ſibi libertate indifferentiæ, & proinde incurrit æternam damnationem, ea libertas non eſt beneficium. Melius certe nobis conſultum fuiſſet, ſi determinaremur ad volendum ab

(1) S.Tho in 1.ſent.diſ.39.qu 2.art.2.
(2) Sua li.1.de Angel ca.11.nu.9.
(3) Bellar. de Grat.& lib.arb.li 3. cap. 18.§.at abſurdum.
(4) Leib.Eſſ.de Theod.pa. 1. nu. 19. Id.Ibid.pa.2.a nu.219. Id.Ibi.pa.3 in compend. objec. 2. Id.Ibi.in Cauſa Dei a nu.57.
(5) Tul.de Nat.Deo.li.3. num. 69. & ſequ.
(6) Kin.de Orig.Mali ca.5. ſec.1.ſubſ. 2. a nu.5
(7) Chau.Diction.art.King.Guillelm.

ab judicio de convenientia rerum ad nostram felicitatem, in quod statim naturaliter erumperemus. Hanc objectionem multis modis versat hic Auctor, eamque parum perspicue solutam queritur.

Resp. nego assumptum. Nam quod pertinet ad abusum libertatis attributum maximae generis humani parti, hoc falsum est, quia plerique moriuntur ante usum rationis. Quod pertinet ad libertatem, quae majus foret beneficium, si impeditus nobis esset illius abusus, hoc non infert eam non sic impeditam non esse beneficium; Nam inquit S. Augustinus, (1) *Sicut ratio vera docet meliorem esse naturam, quam prorsus nihil delectat illicitum: ita ratio vera nihilominus docet, etiam illam esse bonam, quae habet in potestate, illicitam delectationem, si extiterit, ita cohibere, ut non solum de caeteris licitis recteque factis verum etiam de ipsius pravae delectationis cohibitione laetetur*. Ceterum non posse abuti libertate erit inter praemia boni usus libertatis illius, quae nunc nobis concessa est. Quo majori bono ante oculos habito, & comparato cum illo minori nunc nobis tradito, inferri debet cum eodem Augustino (2), abundantiam & magnitudinem Bonitatis Dei laudandam esse tam in majori quam in minori bono, & magis in majori quam in minori, sed magis magisque in utroque simul, quam si non utrumque tribuisset: quemadmodum magis laudamus Deum, quia dedit nobis potentias animae, quam quia dedit oculos & manus, & magis adhuc laudamus in utrisque, quam si non utraque nobis largitus esset.

96. Urget hanc responsionem Pallavicinus (3) observans praemium, quod per bonum usum libertatis acquiri potest esse sine comparatione majus qualibet miseria, quae illud non consequendo incurratur, quia *longe* inquit, *plus felicitatis habet unus beatus, quam possit esse miseria in toto inferno*. Quare etiamsi major hominum pars per abusum libertatis a beatitate deficeret, & in aeternam damnationem incideret, idque sibi compertum esset, nihilominus fateri quisque debeat factum sibi beneficium in largitione hujusmodi libertatis. Non secus ac quisque sibi optabilius ducit posse concurrere ad spem ingentis lucri cum probabiliori periculo tenuis jacturae, quam ab hac spe omnino excludi.

97. Quod tandem pertinet ad aeternam damnationem affirmatam de majori saltem eorum parte, quibus usus libertatis conceditur, id certe non est sine controversia. Nam apud Josephum Gravinam Romae mortuum 23. Novemb. anni 1775. aetatis suae 72. in ad-

(1) S. Aug. de Genes. ad lit. ca. 7.
(2) S. Aug. li. 2. de lib. arb. ca. 19. n. 50.
(3) Pall. in 1. 2. disp. 2. qu. 2. art. 3. nu. 3.

additamentis, quæ subjecit Dissertationi posthumæ *De Paradiso*, Benedicti Plazzæ, video tres haberi circa illam opiniones. Prima est Vasquezii, qui (1) eam solutu impossibilem credit, cui favent Suarez (2), qui rem incertam esse dicit, & Prosper Fagnanus qui in suis Commentariis in libros Decretalium Romæ editis & summo Pontifici Alexandro VII. inscriptis, inter probabiles opiniones recenset utramque contradictionis partem in hac quæstione, (3) *an major sit numerus electorum an reproborum*: & S. Thomas, qui præ ceteris approbat (4) illos, qui rem hanc relinquunt intactam.

98. Secunda opinio est eorum Theologorum, quos citat ipse Gravina (5), qui certum & etiam de Fide dicunt majorem partem generis humani damnari, quæ, postquam S. Thomas & alii Auctores gravissimi usque ad hæc nostra tempora modo dicto loquuti sunt, primæ non videtur præponenda. Contra illam etiam facit, quod S. Augustinus audiens Alipium credere bonos viros esse satis paucos, totus in eo est, ut eidem contrarium persuadeat, concluditque, (6) *ergo hanc opinionem pellamus ex animo; Nam & divinum auxilium latius, quam nonnulli opinantur, officium clementiæ suæ per universos populos agit*.

99. Tertia est aliorum Theologorum, & omnis generis Scriptorum, qui affirmant ex universis hominibus majorem partem salvari. Hos idem auctor (7) nominat & quæ pro ipsa sunt argumenta etsi conjecturalia fuse etiam exponit, & a contrariis objectionibus vindicat. His addo Cornelium a Lapide, qui tenet (8) *salvari ex adultis pluros quam multi opinantur.... & Catholicorum longe majorem partem salvari*. Card. Pallavicinus eamdem sententiam profitetur se sequi ex hac ratione, (9) *quia omnes fideles adulti habent præceptum sperandi spe firma & alacri suam salutem: non possum autem spe firma & alacri prudenter sperare id, cujus oppositum est probabilius. Et probabilius est ex Aristotele, quod plerunque contingit*. Authoritas doctissimi Viri quatenus opposita adversariis magni est facienda, etsi ratio non est opportuna; Nam adest quidem præceptum sperandi sed non præsumendi salutem, quod faciunt qui male vivunt. Nuper tertiam hanc sententiam sequutus est Franciscus Piro (10) cum aliis, quos citat Leibnitius (11).

100. Si tandem Kingio visa fuit hæc objectio tamquam nodus

(1) Vas in 1. disp. 101. ca. 4. nu. 12.
(2) Suar. de Angelis li. 1. ca. 11.
(3) Fagn in c. Ne innitaris. de Const.
(4) S. Thom. 1. p. qu. 23. art. 7. o.
(5) Grav de Parad par. 3. nu 284. pag. 522, & nu. 433.
(6) S. Aug. de Ord. li. 2. nu. 29. col. 342.
(7) Gra. Ibid. nu. 286.
(8) Corn. in Apoc. ca. 21. v. 16.
(9) Pall. in 1. 2. disp. 2 qu. 2. art 3. n. 3.
(10) Pir. Nuove aggiunte. Lettera Apologetic. par. 3.
(11) Leib. Essai de Theod. par. 1. n. 17.

dus Gordianus nondum perſpicue ſolutus, non erat, quod quereretur, quoniam diſſecta profecto fuit ab illa S. Auguſtini reſponſione (1), quæ eſt hujuſmodi. Quoniam certum eſt Deum dediſſe nobis libertatem ad recte operandum, *oportet fateamur quoquo modo data eſt, neque non dari, neque aliter dari eam debuiſſe quam data eſt; Ille enim dedit, cujus factum certe reprehendi nullo modo poteſt*: Cui quot alii ſapientiſſimi viri conſonent docebit Daniel Bartolus, qui hanc reſponſionem, quam gladium appellavi, vocat filum (2), quo extra hujuſmodi labyrinthum ducamur, quem modum loquendi noviter adhibuit Vicecomes d' Alés in ſuo de Origine mali contra Baylem tractatu apud Trevoltianos (3).

101. Inſtant Bayle (4), urgens antiquam objectionem ab antiquis etiam ſolutam, ut videre eſt apud Suarez (5). Eſt de eſſentia Benefactoris non tribuere donum, quod videt certo fore in ruinam illis, quibus detur, vel dare ſaltem cum eo dono quicquid requiritur ad hoc, ut illud ſit in eorum bonum; Inter maleficos enim ſunt, qui quovis modo aliis noceant, nec juxta vetus proverbium, ἐχθρῶν δῶρα ἄδωρα dona amplius ſunt illa, de quibus quis poſſit dicere.

Hoſtibus eveniant talia dona meis.

Hinc laudatur a Tullio illud Ennii (6)

Benefacta male locata, male facta arbitror.

& execrabilis homo fuit Eutrapelus, de quo Horatius habet (7)

... Eutrapelus cuicunque nocere volebat
Veſtimenta dabat pretioſa.

Atqui Deus dans talem libertatem hominibus, per quam poſſunt etiam male moraliter agere, dat donum iis, qui male moraliter reipſa agunt, quod ipſe Omniſcius videt fore certiſſime eiſdem in ruinam, & negat quod ipſe Omnipotens poteſt dare, ſcientiam ſcilicet & alia requiſita ad bene utendum ea libertate: ergo Deus dans hujuſmodi libertatem hominibus nequit dici illorum benefactor.

102. Reſp diſt. primam partem maj. Eſt de eſſentia Benefactoris non dare ea, quæ videt certo fore in ruinam illis, quibus donet ex intrinſeca & neceſſaria connexione ſui doni cum eorum damno, conc. hanc partem: quæ videt certo fore in ruinam

(1) S. Aug. de lib arb. li. 2. ca. 2. nu. 4.
(2) Bar Ricr. del Savio li. 2. ca 3.
(3) Trev. ann. 1758. art. 47. pag. 1116.
(4) Bayl. Diction. att. Paulicíens. Id. tom. 3. reſponſ. ad quæſt. provinciales apud Trevoltianos anno 1706. ar. 74 pag. 965.
(5) Sua. in 1. 2. tr. 5. diſ 6. nu. 3. & 26.
(6) Tull de Offic. li. 2. n. 18.
(7) Hor. li. 1. Epiſ. 18.

nam illis, quibus donet ex libero boni abusu, nego hanc partem; & dist. secundam, est de essentia Benefactoris dare quicquid requiritur ad bonum & liberum etiam usum libertate indifferentiæ, conc. hanc partem: ab bonum usum, sed non liberum libertate indifferentiæ, liberum vero dumtaxat libertate a coactione, subdist. ita ut si hoc ipsum non posse abuti det, sit magis beneficus, concedo iterum hanc partem: ita ut si hoc non det, non sit ullo modo beneficus, nego hanc partem. Hanc distinctionem expressit S. Augustinus per hæc verba, (1) *Quibus videtur sic hominem fieri debuisse, ut peccare nollet, non eis displiceat sic esse factum, ut non peccare posset, si nollet. Nunquid enim si melior esset, qui non posset peccare, ideo non bene factus est, qui posset & non peccare?* Eamdem distinctionem applico minori, & nego conseqm.

103. Quæ adducuntur ad probandam vel declarandam majorem non habent locum in dono libertatis indifferentiæ a Deo hominibus traditæ; Non enim dat Deus ex Eutrapeli aut Hostium prava intentione, sed ex optimo fine & sincera voluntate, ut eo bene utantur, & per ipsum comparent sibi felicitatem non solum temporariam in hac vita, sed sempiternam etiam & supernaturalem. Nec ullus hominum est, qui ab hoc fine adæquate deficiat. Quis enim est, qui in omni vita abutatur libertate? quin immo quis est, qui multo frequentius ea bene non utatur? Si ex tota massà actionum, quas singuli in vita faciunt, bonas a malis secernamus, nonne bonarum numerum longe majorem esse inveniemus malis cum eo, qui apud Chauffepieum (2) hanc thesim ex professo propugnat. Quod si aliqui hunc creatoris finem in dono libertatis ita frustrantur, ut in eorum damnum tandem recidat, hoc non aliter evenit, quam per abusum unice ipsis creaturis imputabilem. Et bene hic monet Leibnitius (3) Adversarios, ut velint meminisse de vulgaribus proloquiis, abusus non tollit usum, & aliud est scandalum datum, quod vitio vertitur operanti, aliud vero scandalum acceptum, quod non est ullum vitium in operante id, quod alter male sibi convertit in scandalum.

SEC-

(1) S. Aug. contra adv. Legis & Prophe. li. 1. ca. 14.

(2) Cha. Dicti. art. King. Guill.

(3) Leib. Ess. de Theod. ca. 36. nu. 41.

SECTIO V.

De Causa efficiente Mali proprie talis in genere.

PROPOSITIO.

Omne malum proprie tale est ab aliqua caussa positiva: Et prima etiam ipsius causa est aliquod bonum.

ARTICULUS I.

De iis qui dubitant de propositione.

104. Dversarii sunt contra secundam præcipue propositionis partem. Atque in his primo pono illos, qui eam in dubium revocant, quoniam existimant, vel involvere contradictionem bonum esse caussam mali, vel non posse intelligi, quomodo hoc fieri possit: (1) *Cur*, sic Tullius, *Deus omnium nostri caussa cum faceret, tantam vim natricum viperarumque fecit? Cur mortifera tam multa perniciosa terra marique dispersit?* (2) *Si quis alius*, sic Origenes, *locus eorum, quæ inter homines observantur inquisitione dignus, naturæ nostræ imperscrutabilis est, inter ea referri certe oportet malorum originem*. Veteribus suffragati sunt aliqui recentiores, ut Jo. Franciscus Buddæus (3), & Maupertuisius (4), qui saltem Manichæorum objectiones adhuc reputavit satis robustas, & Voltaire in suo somnio Platonis apud Guyonum (5).

105. At omnium maxime Petrus Bayle, homo multis inimicitiis, & scriptis libris celebris, malorum amor & admiratio, bonorum atque sapientum odium & contemptus propter immanes errores contra mores præsertim & religionem, qui natus Carlati pago quodam Comitatus Fuxensis, & in Hæresi educatus, deinde Catholicus factus, tandem Apostata, obiit repentina morte Roterodami anno 1706 ætatis suæ quinquagesimo nono. Hic aperte docuit falsitatem Manichæismi sola revelatione co-

M m

(1) Tul. Acad qu. lib. 4. nu. 120.
(2) Orig. contra Celsum l. 4.
(3) Budd. us. Phi l. Theor. pag. 6. §. 7.
(4) Mauper. Oou vre. Av ant-propos de Cosmol. & apud Trevoltianos an. 1748. art. 111.
(5) Guyon Oracle des philos. Convers. 10.

cognosci posse, non vero per rationem, postquam minus efficaciter ipso judice contra illum Sancti Patres argumentati sunt, & acutissimi Philosophi eumdem propugnarunt. Atque quæ pro illo jam olim producta fuerunt argumenta, ita recoxit in suo Dictionario in Articulis de Manichæis, Marcionitis, Paulicianis, & Origene, ut stomachum pluribus excitaverit, qui ipsum de hoc reprehenderunt.

106. Inter istos præcipui extiterunt Joannes Clericus, & Isaac Jaquelotius. Et Clericus quidem, Genevæ natus anno 1657., & mortuus Amstelodami anno 1736, Baylem primo aggressus est in suis Parrhasianis (1), cui Bayle respondit in suo Dictionario, articulo de Origene. Sed Clericus iterum bonam causam tutatus est tomo Bibliothecæ selectæ quarto sexto & septimo; & iterum alia reposuit Bayle pro mala in tomo tertio responsionum ad quæstiones hominis ex Provincia. Non siluit Clericus, sed novam confutationem protulit tomo nono ejusdem Bibliothecæ. Respondit Bayles tomo quarto Responsionum ad quæstiones jam dictas, cui iterum se opposuit Clericus tomo decimo Bibliothecæ selectæ: & morte Bayles interveniente terminata fuit hæc dimicatio. Alia quædam nihilominus protulit adhuc Clericus contra Baylem tomo duodecimo citatæ Bibliothecæ.

107. Jaquelotius vero natus in Gallia anno 1647., & ab illa exul propter Calvinisimum, mortuus Berolini anno 1708. stetit primo contra Baylem in Gallico libro, *Conformitas Fidei cum Ratione*, in quo Auctores Actorum Lipsiensium desiderant, (2) *ut Balii discursus κατὰ πόδα Lectoribus repræsentasset, & quid imbecillitatis in iis ratio ostendat, quid speciei ingenium & eloquentia ipsis conciliaverit*, *ostendisset*. Illi respondit Bayle tomo tertio Responsionum ad quæstiones provinciales. Instavit Jaquelotius novo Gallico libro, *Examen Theologiæ Bayles*, ubi defenditur conformitas Fidei cum ratione. Tunc Bayles iratus edidit, *Entretiens de Maxime & de Themiste*. His dialogis pari iracundia opposuit Jaquelotius, *Response aux entretiens*. Sed litigantes mors Bayles diremit.

108. Contra eundem, dum adhuc viveret, fuit etiam Gulielmus Kingius in libro, *de Origine mali*, contra quem tales Bayle animadversiones inseruit tomo secundo quæstionum Provincialium, ut appareat aliorum de eo relationibus unice stetisse. Fuit etiam Auctor libri de distinctione Boni & mali, qui apud Trevoltianos (3) ostendit Baylem juste traduci tamquam fauto-

(1) Cler Parrhasiana.to 1.pag. 301.
(2) Act.Lipsian n.1705.
(3) Memoi.de Trev.an.1704. art. 48. pag.540.

fautorem Manichæismi contra Lamium ex Ordine S. Benedicti, cui injusta videbatur hæc accusatio. Fuit & Jacobus Bernardus in suis *Novellis Reipublicæ Literariæ* ad annum 1706. sed vehementius ceteris in illum invectus est Anonymus Auctor libri Gallice editi Amstelodami anno 1705 *Philosophus Roterodamensis accusatus & convictus Atheismi*, quem aliqui credunt fuisse Jureum aliis cum Bayle disceptationibus celebrem, & nuper Jacobus Georgius de Chauffepie in supplemento ad Dictionarium Bayleanum (1), & Gauchatus in tomo quinto suarum literarum, quas laudant Trevoltiani (2). Equidem nisi tantum studium pro iis, quæ semel Bayles scripserat in hac re, ostendisset, & nisi sæpius in suo Dictionario professus esset in controversia Manichæorum, rationem succumbere illorum argumentis, doctrinam de uno principio sustineri non posse contra Philosophum, qui bene in schola exercitatus sit, & quotquot adhuc illam tueri conati sunt, infeliciter desudasse, assentirer Trevoltianis illis, qui crediderunt (3) Manichæorum insaniam ab illo laudatam fuisse ad ostentandam eloquentiam, quo fine Isocrates Busiridis, & Cardanus Neronis elogia conscripserunt.

Articulus II.

De iis qui propositionem negarunt.

109. Qui audacius negarunt caussam malorum proprie talium esse bonum fuerunt varii Hæretici, quos generali nomine appellabo Manichæos, quoniam hi præ cæteris vehementius hujusmodi hæresim propugnarunt, & latius disseminarunt sequuti Manetem, ex quo nomen illis factum, natione Persam, qui sub finem sæculi Ecclesiæ tertii statuit esse quædam in se mala producta ab Ente a se existente, summe malo. Monstrum hoc Josephus Assemanus (4) statuit ex antiquis documentis natum an. Christi 240. Ille nomen sibi primo impositum Corbicii, vel Cubrici commutavit in illud Manetis vel Manichæi, quod aliqui credunt desumptum a voce Chaldaica Manahem, vel Manachem, hoc est Consolatorem, quæ nomina a Græcis primo, & deinde a Latinis suæmet linguæ accomodata evaserunt Manes & Manichæus. Aliqui inter quos Chauffepius

 apud

(1) Chau. Nov. Dict. tom. 3. art. Manicheens.

(2) Trev. ann. 1757. art. 93.

(3) Memoi. de Trev. ann. 1706 art. 77. pag. 766.

(4) Ass. Bibli. Orient. tom 1. ca. 30.

apud Trevoltianos (1) observant Manetis doctrinam fuisse in multis diversam ab illa, quam deinde Manichæi tenuerunt. De quo hic sollicitus non sum agens de Manichæis.

110. Cum multis in locis de hac hæresi S. Augustinus loquatur, qui in eam incidit ipso fatente (2) anno ætatis suæ decimo nono, nec nisi post *annos fere novem* ex eadem emersit, juvat aliquos producere, & alios mihi notos innuere ex iis libris, in quibus aliud agit quam contra illam pugnare; Nam libros, in quibus hoc ex professo facit, inferius notabo. Primus sit ille, in quo confitetur se olim cum Manichæis errasse. (3) *Nescio quam*, inquit, *substantiam & naturam summi mali, quæ non solum esset substantia, sed omnino vita esset, & tamen abs te non esset Deus meus, ex quo sunt omnia, miser opinabar*. Alter sic habet. (4) *Causam ad bona creanda Bonitatem Dei idoneam quidam haretici non viderunt, quia carnis mortalitatem jam de justo supplicio venientem plurima offendunt, sicut ignis aut frigus aut fera bestia.., Hi qui nonnullam malam putant esse naturam suo quodam contrario exortam propagatamque principio, nolunt accipere istam caussam creationis rerum, credentes eum potius ad hæc mundana molimina rebellantis adversum se mali extrema necessitate perductum, suamque naturam bonam malo coercendo superandoque miscuisse*. Tertius sit. (5) *Manichai immutabilem quamdam & Deo coaeternam introducunt mali naturam*: Similia habet in libro Confessionum septimo capite secundo, in illo de Hæresibus ad Quodvultdeum (6), de Moribus Ecclesiæ Catholicæ, in libris contra Julianum, in Opere imperfecto contra eumdem, de Agone Christi, in Psalmum 31. & 140., de Continentia, in Epistolis juxta Maurinos 55. & 236., & contra duas Epistolas Pelagianorum.

111. Hujusmodi testimonia distinctius commemoravi contra Antonium Genuensem, qui nuper confidenter negavit unquam extitisse, qui nomine principii mali intellexerint rem quamdam natura sua malam, (7) *Tantum*, inquit, *docuerunt malis mentem illam gaudere, at nunquam statuerunt physice malam esse*. Quare quæ S. Augustinus urget contra hanc naturam malam argumenta;

(1) Mem. de Trev. an. 1755. art. 67. pag. 1507.
(2) S. Aug. de Utili. creden. ca. 1.
(3) S. Aug. Conf. li. 4. ca. 15. n. 24.
(4) Id. de Civi. Dei li. 11. ca. 22.
(5) S. Aug. Retr. lib. 1. ca. 9. nu. 2.
(6) Id. de Hæres. hær. 46.
Id. de Mor. Eccl. ca. 10 nu. 16.
Id. Cont Julian. li. 2. ca. 1.
Id. Ibid. ca 9.
Id. Oper. imper. li. 1. nu. 66.
Id. de Agon. ca. 4. nu. 4.
Id. in Psal. 31. enarr. 2. nu. 18.
Id. in Psal. 140 nu. 12.
Id. Epi. 55. alias 119. ad Janua. cap. 4. num. 6.
Id Epi. 236. alias 74. ad Deuterium.
Id. cont. duas Epist. Pelagian. li 3. ca. 9 num. 25.
(7) Gen. Elem. Metaph. par. 1. nu. 75.

ta, nollet unquam protulisset tamquam aerem verberantia, & pro sua hac opinione citat etiam Isaacum de Beausobre, de quo Butlerius Anglus Sacerdos Catholicus in *Vitis Sanctorum*, quæ cum notis suppresso nomine Londini edere Anglice incoepit an. 1756. redditis deinde Gallice Parisiis an. 1763., dicit, (1) *plus illi honoris attulisset sua Critices si magis sobria fuisset*. Nihilominus accipiam quod isti dant Manichæismum esse commentum indignum sano homine, quod jam olim significantius expressit S. Augustinus dicens in hac ipsa re, (2) *Impietatem Manichæorum nimium stultam & noxiam non solum Fides Catholica detestatur, verum etiam Hæretici omnes qui non sunt Manichæi*. Quod ipsimet intelligebant, qui propter hanc etiam caussam, credo, omni studio curabant, ne aliis secum non delirantibus innotescerent, quemadmodum nobis describuntur a S. Jacobo Episcopo Nisibeno, uno ex illis, qui Concilio Nicæno contra Arium interfuerunt, in suo de Jejunio sermone (3), & aliis Patribus ibidem citatis in notis, quibus Cardin. Nicolaus Antonelli illustravit tanti Patris opera, sua cura ex Armena lingua in Latinam primo prolata anno 1756.

112. Absit igitur ut quis, quod pertinet ad hujusmodi historiam credat potius Beausobrio & Genuensi, quam Augustino & toti antiquitati, apud quam extabant scripta Manichæorum, quæ penitus de medio sublata fuerunt per flammas, quibus ea aboleri jusserunt Romani Pontifices, S. Leo Magnus, & deinde Gelasius primus, Symmachus, & Hormisdas, ut referunt Alticotius (4) ex Prospero & Anastasio ab ipso citatis, & Philippus de Carboneano in suis ad Theologiam moralem Antoines additamentis (5), juxta morem non solum Ecclesiæ, sed omnis bene ordinatæ Reip., quo modo ante inventam Typographiam feliciter mali libri extirpabantur, sicuti constat ex Tito Livio (6) Valerio Maximo (7) & Veteri Digesto (8).

113. Qui velit accuratius doceri de tota hac hæresi habet multos, quos consulat tum recentiores, quorum aliquos nominat citato loco Butlerius, tum antiquiores. In his mihi occurrunt, edictum Diocletiani contra Manichæos & illorum scripta, quod refert Baronius ad ann. Christi 287., & Dominicus Carlini nuper illustravit in Dissertatione, quam adnexuit suo operi. *De Pace Constantiæ*, edito Veronæ ann. 1763. Simplicius, celebris

(1) But. S. Augustin. not.
(2) S. Aug. cont Julian. li. 2 ca. 1.
(3) S. Jac. ser. 3. §. 6.
(4) Alti. De Manichæis ca. 10.
(5) Car. App. ad trac. de Virt. Theol. cap. 1.
(6) Liv. Hist. li. 34. nu. 16.
(7) Val. li. 1. ca. 1. nu. 12.
(8) ff. Familiæ ercifcundæ. L. Cæteræ.

bris sæculi quinti Philosophus, sed Ethnicus, in suo Epitecti Commentario (1). S. Gregorius Nyssenus in Decem *Syllogismis contra Manichæos*, qui ex interpretatione Frontonis Ducæi habentur in editione illius operum anni 1615. Victorinus Afer, auctor quarti sæculi, cujus librum contra duo principia Manichæorum ad Justinum Manichæum primo in lucem protulit Jacobus Sirmondus an. 1630, & hujus non alterius Victorini esse verius censuit etiam Aubertus Miræus apud collectorem operum variorum Sirmondi in præfatione ad primum tomum. Auctor disputationis Archelai Episcopi Mesopotamiæ cum ipsomet Manete, quam protulit (2) Laurentius Zacagnius. Titus Bostrensis, cujus extant tres libri ex versione Francisci Turriani in ultima Bibliotheca Patrum (3), ex quatuor, quos scripsit contra Manichæorum dogmata, quæ in eorum libris se invenisse profitetur. Series Anathematismorum, quam in scriptis alicubi saltem exigebat Ecclesia ab iis, qui a Manichæismo resiliebant, edita a Cotelerio (4). S. Joannes Damascenus in Dialogo contra Manichæos, quem hujus Patris esse ostendit jam Michael Lequien in editione, quam de illius operibus adornavit. Petrus Siculus Auctor sæculi circiter noni in sua præclara Historia de Manichæismo, quam Matthæus Raderus plaudentibus cum Vossio (5) eruditis Græce & Latine protulit, & quæ inserta etiam habetur in prædicta Patrum Bibliotheca (6): Historia Synoptica Manichæismi, quam e Codice a mille annis antiquo protulit Christophorus Matthæus Pfaffius una cum Firmiani Lactantii Epitome integra (7), S. Leo primus tum in sermonibus juxta Petrum Canisium quinto de Jejunio, & quarto de Quadragesima, tum in Epistolis secunda, & nonagesima tertia. Et Photius (8) Epiphanius, Theodoretus, Nicephorus, & Eusebius, & alii de quibus meminit Jac. Benignus Bossuetus agens de Manichæis libro undecimo *Historiæ de Variationibus Ecclesiarum hæreticarum*.

114. Cæterum ante Manetem citatur tamquam Auctor hujus hæreseos, Zoroastres quidam gente pariter Persa, de quo Plutarchus dicit, (9) *Is, quem narrant sexcentis annis bello Trojano antiquiorem extitisse, melioris* (principii) *nomen Oromazam, pejoris Arimanium perbibuit*, scilicet quia Persæ bonum dicebant *Oro*.

& Deum

(1) Simplic. ex interpret Caninii c. 50.
(2) Zacag Collect. Monumen. pag. 1.
(3) Bib PP. tom. 4. pag. 443
(4) Cot. ad li. 3. Recogn. S. Clem. not. ad nu. 27
(5) Vos. de Hist. gr. græc.
(6) Bib. to. 16. pag 7, 3.
(7) Pfaff. pag. 182.
(8) Phot. Hist. Manichæ.
Epiph. li 2. advers Hære. hære. 66.
Theodor. li. Hæret. Fabul.
Niceph Hist. li. 6. ca. 31.
Euseb li. 1. ca. 28.
(9) Plut. de Isid. & Osiri.

& Deum *Maza*, & Diabolum *Abreman*, ut volunt ejus linguæ non ignari. Zoroastris deliramenta Persarum magi, hoc est sapientes dicuntur recepisse, ut fusius docebit Jacobus Brukerus (1). Rursus citantur Hæretici Gnostici, Cerdoniani, Marcionistæ, & Priscillianistæ, de quibus sic ait S. Isidorus (2) *Gnostici propter excellentiam scientiæ ita se appellare voluerunt, bonum & malum Deum suis dogmatibus fingunt... Cerdoniani a Cerdone quodam nominati, qui duo contraria principia asserunt. Marcionistæ a Marcione Stoico Philosopho appellati, qui Cerdonis dogma sequutus, alterum bonum, alterum justum Deum asseruit, tamquam duo principia... Priscillianistæ a Priscilliano vocati, qui in Hispania errore Gnosticorum & Manichæorum permixtum dogma composuit.* Qui omnes præter Priscillianum anteriores sunt tempore ipso Manete. Et siquidem Gnostici fuerint in hac hæresi, falsum est, quod Butlerius paulo ante citatus dicit (3) *primum inter Christianos Hæresiarcham Basilidem induxisse errorem de duobus principiis*; Gnostici enim pertinent ad primum Ecclesiæ sæculum: Basilides vero ad secundum, qui ceteroquin propter hoc ipsum & ille Manetis præcursor fuit.

115. Similiter Manichæi fuerunt Pauliciani, quoniam ab illis differunt solo nomine & tempore: nomine quidem, quod sibi assumpserunt a Paulo quodam vel Samosateno, vel Armeno: tempore vero, quia sub hoc nomine, sæculo præsertim octavo & nono, sermo de illis est apud Auctores coævos citatos a Laurentio Alticotio (4). Pari ratione hæretici vulgo noti sub nomine Albigensium, qui Galliam a duodecimo sæculo inquinarunt, puri Manichæi fuerunt, ut ostendunt Bossuetus (5) & Alticotius (6), & plenius videri potest in Albigensium impugnatione, quam Venerabilis Moneta Ord. Præd. ipsis coævus dedit, recens in publicam lucem prolata a Thoma Augustino Richinio S. Apostolici Palatii Magistro.

Citatus Bossuetus alios dabit ab Auctoribus commemoratos diversi nominis Manichæos, ostendens originem tot appellationum plerunque esse vel ab iis, qui hanc hæresim deportarunt ad loca, ubi prius non erat, vel ab ipsis locis, in quibus plures invenit, qui eidem adhæserunt.

AR-

(1) Bruk. Hist Phil. tomo 1. li. 2. ca. 2. de Philosophia Chaldæor.
(2) S. Isid. Etimolog. li. 8. ca. 5.
(3) But. The Lives of the saints. S. Aust in. in notis.
(4) Altic. de antiq. novisq. Manichæ. cap. 11.
(5) Bos. Variazioni delle Chiese li. xi.
(6) Alt. ibid. ca. 12. pag. 88.

ARTICULUS III.

De iis, qui male inter adversarios numerantur:

116. CAtalogum Hæreticorum, qui eamdem absurditatem tutati sunt, latius extendit Jo. Christophorus VVolfius, (1), & deinde Leibnitius (2). Certe citatus VVolfius Manichæismum non solum longe antiquiorem Aera Christiana arbitratur esse, sed ab ipso ferme Mundi exordio illius originem repetit, & per omnia tempora regiones omnes & Philosophorum præcipuas sectas credit se invenire, longe superans Plutarchum, quem credo sequutum, qui circa finem primi Ecclesiæ sæculi scribens, visus est ad Zoroastris opinionem multos, quos nominat sapientissimos viros reduxisse.

117. Quin immo Manichæismi insimulat VVolfius (3) Theologos illos Catholicos jam a tempore Suarez (4) relictos & impugnatos, qui peccatum originale dicunt consistere in entitate quadam positiva, quæ vel tenebras sensibus & intellectui nostro offundat, vel alio quovis modo in errorem nos inducat. At hoc dicere, est non meminisse a Manichæis poni entitatem malam, quæ sit caussa physica mali alicujus proprie talis & sit etiam, a se; quæ omnia negant Theologi illi, qui entitatem istam non dicunt esse in se malam, sed bonam ex dictis (§. 31.) supra; neque dicunt esse caussam physicam mali naturalis & multo minus moralis, ad quod inclinare quidem docent juxta doctrinam Apostoli, (5) *Caro concupiscit adversus Spiritum*, non tamen necessitare: neque tandem dicunt illam esse a se, sed productam ab ipso Adamo per abusum suæ libertatis, vel a Dæmone, vel alio modo. Quare injusta prorsus est hujusmodi expostulatio, & similis illi Manichæismi notæ, quam Pelagiani impingebant Catholicis, teste S. Augustino (6) propter assertum ab illis Dogma peccati originalis. Suarez observans quosdam Lutheranos docuisse peccatum originale consistere in forma quadam substantiali, quæ superadditur homini, per quam sit proclivis in vitia & omnino ineptus ad bonas operationes, accuratius loquutus est, dum illos convenire cum Manichæis dixit (7) in hoc, quod ad-

(1) Vvol. Manich. sec. 2 a nu. 40.
(2) Leib Essai de Theod. pa. 2. a num. 136.
(3) Vvolf. Manich. sec 2 nu 69.
(4) Sua. in 1. 2. tr. 5. disp. 9. sec. 2. n. 11. Id Metaph. disp. 9. sec. 2. nu. 3.
(5) Ad Galat 5. v. 17.
(6) S. Aug. li. 2. contra duas Epist. Pelagian. ca. 1. Id. ibid. li. 3 ca. 9. nu. 25. Id. cont. Julianum li. 2. in fine.
(7) Sua in 1. 2. tr. 5. disp. 9. sec. 2. nu. 4.

adstruant aliquam dari substantiam in se malam. Verum hi quoque non sunt cum Manichæis confundendi, quia non dicunt hanc formam seu substantiam esse a se, sed vel produci a Deo, quod est facere Deum authorem peccati, & pejus quam Manichæos errare, vel produci a Dæmone, quod est hæreticum, inquit ibidem Suarez.

118. Quod autem idem VVolfius cum aliis, quos profitetur se sequi (1), non solum Manichæismum inveniat, sed aliquid pejus in sententia illorum Catholicorum, qui docent non repugnare, Deum constituisse hominem in statu naturæ puræ, non habet ullum fundamentum, quod sit dignum homine qui ratione sua utatur. Quod enim ipse credat ab his Theologis admitti in eo statu ex una parte appetitum sensitivum, datum a Deo tamquam malum principium mali moralis & caussam ad hujusmodi malum necessitantem, ex alia vero rationem naturalem cum auxiliis Divinis de ordine naturali tamquam bonum principium seu caussam necessitantem ad bonum morale, est omnino falsum. Apertissime enim illi profitentur salvam fore in eo etiam statu libertatem hominis ad bonum & malum, quia in eo appetitus sensitivus, sive illa, quæ nunc datur in pœnam peccati lex peccati & carnis concupiscentia, alliceret quidem, non tamen necessitaret ad malum: & ratio pariter naturalis adjuta Gratia Divina de ordine naturali, sive lex mentis & spiritus concupiscentia, ut loquitur Apostolus, incitaret ad bonum, non tamen necessitaret.

119. Quæ tamen huic VVolfio non placet opinio de possibilitate status puræ naturæ, neque recentissime Joanni Cadonico, qui contra illam multa vehementer dixit per modum Episodii, dum impugnaret opinionem de Incolis in Planetis (2), illa placuit S. Thomæ, (3) *Poterat*, sic ille, *Deus a principio hominem ex limo terræ formare, quem in conditione naturæ suæ relinqueret, ut scilicet mortalis & passibilis esset, & pugnam concupiscentiæ ad rationem sentiens, in quo nihil humanæ naturæ derogaretur, quia hoc ex principiis naturæ consequitur*. Eadem legitime infertur ex propos. 55. damnata in Bajo: *Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur*. Eadem tandem communior est inter Catholicos, ut Philippus de Carboneano nuper fatetur (4), qui quidem aliquos nominat etiam pro opposita parte, inter quos tamen non est numerandus Vincentius

Nn

(1) Vvol.Manichæ.sec 2.n.99.
(2) Cad.Confut.di Derham.§.16.
(3) S.Th.in 2.sent.dis.31.qu. 1. art. 2. ad 3.
(4) Carb.Append.de Propos. damnatis Theol.Moral.Antoines. ca.16.

tius Contensonius, ut ille facit; Hujus enim Auctoris propositio, quam expresse statuit, & fuse propugnat sic habet, (1) *status naturæ puræ est quidem de Potentia Dei absoluta & extraordinaria possibilis, non tamen conveniens, subindeque nec possibilis de potentia ordinaria*.

120. Pari modo non est ita facile concedendum Manichæos fuisse omnes illos veteres Philosophos, qui solent citari, ut Plutarchum, qui cum alios Philosophos a Zoroastre ex dictis (§. 114.) non satis distinxerit, fuit etiam ipse ab aliis deinceps, ut a Cudvvortho (2), & recentius ab Anglis historiæ universalis Auctoribus (3) inter propugnatores, aut prælusores Manichæismi computatus. Objiciunt enim illum sic arguentem: (4) *si nihil absque caussa fit, & mali caussam bonum non præbet, necesse est in natura, ut boni ita mali suum principium extare*. Rursus cum de Platone ibidem loquatur, notant hæc illius verba: *Plato multis locis quasi occultans & obumbrans suam sententiam, alterum contrariorum principium Idem, alterum appellat Diversum. At in libris de Legibus jam senior disertis verbis pronunciat Mundum non unica anima, sed ad minimum duabus cieri, quarum una boni sit efficax, altera ejus contraria & contrariorum opifex*. Locus Platonis fortasse est in Dialogo de Legibus decimo, ubi dicit, quod in Mundo (5) *non pauciores, quam duas* (animas) *ponere debemus, unam beneficam, contrariam alteram*.

121. Verum hujusmodi accusatio contra Plutarchum iniqua prorsus est. Nam imprimis citato libro partes ille historici dumtaxat tuetur. Deinde quæcumque ex eo objiciantur, possunt commode intelligi, vel in sensu qui non abhorreat a Catholica doctrina de Angelis, qui sibi primum, & humano deinde generi per invidiam nocuerunt, vel in eo, qui congruat illi opinioni, in qua observante Moshemio (6) constat fuisse Plutarchum, quod scilicet non solum materia, substantia omnino iners præextiterit ab æterno, sed etiam alia quædam natura bruto & incomposito motu semper se movens, seu mens quædam demens, ex quibus Deus unica caussa rerum omnium formatrix composuerit hunc mundum: ex materia quidem omnia corpora, & ex alia immateriali substantia animas, ex utrisque vero, quæ in mundo sunt species rerum diversas, quæ fuit aliorum veterum opinio.

(1) Conten. Theol. de Gratia. Differt. 1. ca. 1. specul. 2.
(2) Cudvv. Syst. Intell. ca. 4. §. 13.
(3) Stor. Univ. Cosm. p. 186. edit. Nea.
(4) Plutar. de Isid. & Osirid. circa medium.
(5) Plato de leg. lib. 10. ante medium.
(6) Moshem. in notis ad Cudvvor. ca. 4. § 13.

nio. Habemus enim a Tullio quæsitum a veteribus (1) *Num quinta quædam natura videretur esse, ex qua ratio & intelligentia oriretur, in quo etiam de animis, cujus generis essent, quæsitum*. In qua quæstione non desunt, qui in hac quinta natura essentiam animorum collocaverint. In his idem Tullius alibi (2) nominat Aristotelem, & Proclus (3) ac Simplicius (4) Platonem. Rem autem Plutarchus in Psychogonia apud Cudvvorthum sic declarat (5) *quemadmodum virum musices peritum non vocem aut motum facere, sed concinnam vocem numerosumque motum producere opinamur: ita Deus neque corpori ut tangi & resistere possit, neque animæ ut se moveret, indidit, sed utrumque sumens principium alterum tenebricosum, alterum turbulentum, ambo imperfecta ordinavit, ut pulcherrimum animal efficeret*. In qua sententia etsi nomen principii adhibet Plutarchus, loquendo tam de materia inerti, quam de non inerti, planum est illud ab eo non sumi in sensu caussæ efficientis, sed caussæ materialis seu ex qua res adspectabiles constant, quod longe distat a Manichæismo.

122 Porro opinio de æternitate materiæ, quæ a Deo adhibita sit ad formationem Mundi, qui necessario imperfectus extitit propter imperfectionem materiæ, est quidem aliorum veterum, eamdemque invenit VVolfius (6) in sermone, *Unde mala* Maximi Tyrii Philosophi Platonici, qui Commodi temporibus Senator fuit Romanus, sed non satis aperto ut ego arbitror fundamento, si huic dumtaxat stemus sermoni, quem ipse citat: non tamen proinde sequitur his imputandum esse Manichæismum; Ad hujus enim genuinam ideam animo informandam opus est distinguere caussam efficientem mali a caussa ipsius materiali. & rursus caussam efficientem mali, quæ in se mala sit, a caussa efficiente mali, quæ in se bona sit. Verus autem Manichæismus admittit caussam mali non utcunque sed efficientem, esse tum a se, tum in se malam.

123. Quando hæc prout opus erat, satis advertissent VVolfius & VVarburton, primus quidem nescio, an ullibi præterquam in Zoroastris vulgo citatis invenisset *Manichæismum ante Manichæos*. Secundus vero miratus non fuisset, quomodo S. Augustinus gratias Deo agat quod per Philosophiam Platonis, cui ipsomet fatente (7) primas detulit, ab hæresi Manichæorum illum retraxerit, (8) *Humanitus loquendo*, inquit, *nihil magis conferre*

(1) Tul.de Fini.li.4.nu 5.
(2) Id.Acad.li.1.nu.7.
(3 Pro.in Timæum.
(4) Simpl.8.Phys.
(5) Cud.Syst.intel ca.4 § 13.
(6) Vvolf.Manich sec.2 nu.32.
(7) S.Aug.l.3.conf.Acad.ca.20.
(8) Vvarb Julian.Introduction.

ferre poterat ad retinendum Augustinum in Manichæismo, *quam doctrina Platonis*, *qui duo coæterna principia statuebat*, *Deum & Materiam*, *quæ erat caussa mali*: Nam imprimis dato materiam per Platonem esse Deo coæternam, adhuc non sequitur, ergo materia ista est caussa efficiens mali : ergo neque sequitur, quod ex hoc infert VVolfius (1) Platonem fuisse in errore Manichæorum. Profecto ex iis Philosophis, qui æternitatem materiæ mordicus propugnarunt est Aristoteles, qui tamen illam naturæ in se bonæ certe credidit: Ejus enim sententia est, ens & bonum invicem converti ex alibi (2) dictis, ejusdemque effatum est laudatum a S. Thoma, (3) *si malum integrum sit*, *seipsum destruit*, *quia* (sic S. Doctor prosequitur illud declarans) *destructo omni bono*, *quod requiritur ad integritatem mali*, *subtrahitur etiam ipsum malum*, *cujus subjectum est bonum*. Atque hoc etiam modo liberatur a nota Manichæismi Aristoteles illi a VVolfio (4) inusta. Rursus dato etiam hoc alio antecedenti, Materia Deo coæterna per Platonem est caussa efficiens mali, non sequitur, ergo hæc materia est natura quædam in se mala. Illegitimas has illationes jam olim Eduardus Stillingfleetus deduxerat dicens, (5) *quamvis Ethnici Philosophi non fuerint tam stupidi*, *ut duos Deos sibi invicem contrarios comminiscerentur*, *attamen utpote deducentes originem mali ex materia*, *ex qua Mundus factus est*, *possunt ad eumdem errorem vi consequentiæ revocari*.

124. Quid quod redeundo ad S. Augustinum, ille fortasse fuit in ea opinione, quam alii propugnant, Platonem admisisse veram & rigorosam creationem. Hos equidem ipsius sensus, qui mihi in hanc rem occurrunt, non omittam. In Timæo hæc habet, *secundum creatoris mentem tota animæ constitutio absoluta fuit*, *mox omne corporeum juxta ipsam effinxit*. Et alibi, (6) *Effectricem facultatem dicimus vim quamdam*, *quæ caussa est*, *ut sint postea*, *quæ ante non fuerant*. *Animal*, *cuncta*, *plantasque*, *& quæcunque inanimata nunquid alio quodam opifice fabricata*, *quam a Deo facta esse*, *cum prius non fuissent*, *dicimus?* Tullii etiam est illud (7) *His* (quæ cernimus) *præest aliquis vel effector*, *si hæc nata sunt ut Platoni videtur*, *vel si semper fuerunt ut Aristoteli placet*, *moderator*. Verum his omissis, Augustini verba hæc sunt, (8) *Mundum non semper fuisse*, *sed esse cœpisse Plato apertissime confitetur*, quibus similia alio in loco dicit (9): ergo non solum satis

(1) Vvolf.Manich.sec.1.nu.32.
(2) Diff.de Bono. § 93.
(3) S.Thom.1.p.qu.49.art.3.O.
(4) Vvolf.Manich.sec.2.nu.35.
(5) Stil.Orig.Sacræ b.3 ch 3.n.11.
(6) Plat.Soph.sta.circa finem.
(7) Tull.Tusc.li.1.nu. 29. juxta Oliv. pag.323.
(8) S.Aug.de Civit li.12.ca.12.
(9) Id.ibid.li.10.ca.31.

tis congruum, sed omnino etiam necessarium fuit, ut Augustinus Platonicus factus desierit esse Manichæus.

125. Similiter Pythagoras passim ab Auctoribus Manichæorum Coriphæus describitur. At Moshemius non invenit in principiis hujus Philosophi, quid cogat statuere hanc de ipso opinionem, & distinguens in hac quæstione de origine mali varias errantium classes non male arbitratur paucos ex veteribus in Manichæam hæresim incidisse: sed ipsum Pythagoram aliosque docuisse aliquid simile opinioni illorum, qui Deum constituunt Dominum omnium & fontem omnis boni, & deinde Angelos in bonitate, quam a Deo receperunt perseverantes, authores aliorum bonorum, Angelos vero a sua bonitate & quidem morali deficientes per propriam voluntatis suæ determinationem, tamquam malorum omnium Authores. In qua doctrina illud quidem notandum est, quod satis appareat cognitio per traditionem hausta de peccato tum Angelorum tum primorum hominum, qui ad illud suasione mali jam Angeli siverunt se induci: illud vero reprehendendum est, quod videantur hi Authores res semel creatas eximere a Divina Providentia, & tribuere Angelis tam bonis quam malis potentiam agendi pro libito suo, quin indigeant ipsius Dei concursu ad omnes & singulas actiones.

126. Similiter cum eodem Moshemio (1) dicam illos, qui ex eo, quod Heraclitus dixerit, *fluere omnia, bellumque patrem esse ac dominum rerum*, concludunt jure Plutarchum insinuasse (2) creditam ab ipso causam mali peculiarem quamdam naturam malam, injuriam illi sed magis sibi inferre, qui vel interpretationibus vel consequentiis tam illegitimis acquiescunt.

Similiter tanto jure mihi videntur aliqui ex eodem Plutarcho ansam assumere dicendi de Empedocle, quod per duo illa principia, quæ appellavit Litem & Amicitiam docuerit Manichæismum, quanto jure quis Nevvtonianos diceret Manichæos, quia admittunt Attractionem & Repulsionem, quæ ut advertunt Trevoltiani (3) non differunt nisi nomine a principiis Empedoclis. Hoc modo noviter hanc accusationem, quam idem Vvolfius fecit, repulit Agatopistus supra (§. 60.) citatus in alio suo opere (4).

127. Similiter tandem qui Manichæismum inveniunt in Calvinianis, sicuti Edzardus, cujus citatur Liber, *Manichæismus Calvinia-*

(1) Mosh. in notis ad Cudvvorth. cap.4.nu.13.
(2) Plut.de Isid.& Osirid.
(3) Trev.an 1757.art.80.pag 1831.
(4) Aga Istoria della Filoso. ca.27.

vinianorum, & alii, qui de eo etiam Lutheranos & Jansenianos redarguunt, propterea quod tum illi tum Manichæi dicunt non habere nos libertatem a necessitate in ullis nostris operationibus, hinc principio bono, Gratia Christi necessitante nos ad bonum, illinc principio malo, prava concupiscentia determinante nos ad malum, non sunt audiendi. Sicuti enim ridiculum est hoc argumentum, homo est bipes: sed etiam Gallus Gallinaceus est bipes: ergo homo est Gallus Gallinaceus; ita importunum est hoc ipsorum ratiocinium: Lutherani, Calviniani, & Janseniani negant hominem habere libertatem a necessitate: sed etiam Manichæi hoc negant: ergo Lutherani, Calviniani, & Janseniani sunt Manichæi. Utrobique consequentia est nulla. quæ tribuit duobus inter se diversis eamdem appellationem propter unum attributum utrisque commune, cum illa in communi acceptione determinata sit ad unum præcipue significandum iisdem nullo modo commune.

ARTICULUS IV.

Argumenta pro propositione.

128. PRobatur prima propositionis pars. Omne malum proprie tale est privatio perfectionis in ente, quod non est a se (§. 36.); Nam ens a se habet essentialiter omnem perfectionem, ut ubi agitur de Existentia Dei, ostenditur: Atqui omnis privatio perfectionis in ente, quod non est a se, est a causa positiva, quæ illud effecerit sic carens perfectione sibi debita, vel ea privaverit: ergo omne malum proprie tale est ab aliqua caussa positiva.

129 Probatur secunda pars. I Omne malum proprie tale est ab aliqua caussa positiva ex nuper dictis: ergo nullum malum proprie tale potest esse prima caussa positiva ullius mali proprie talis; Nam aliter hoc malum, quod esset caussa alterius mali proprie talis, non haberet caussam: ergo prima etiam caussa positiva omnis mali proprie talis est aliquod bonum.

II. Malum proprie tale est negatio quædam (§. 32.): sed contradictionem involvit, negationem seu nihilum esse caussam positivam: ergo contradictionem involvit malum proprie tale esse ab aliquo malo proprie tali: ergo est ab aliquo bono.

130. III. Omne malum proprie tale est vel naturale vel morale (§ 9.): sed omne malum naturale est a Deo, qui est summum bonum, omne autem malum morale actuale est a creatura,

ra, prout est libera, hoc est domina sui actus, in qua si consideretur mali hujus caussa ut quod, cujus nominis notio alibi (1) tradita est, est ipsa creatura, quæ est quid bonum: si vero consideretur mali hujus caussa ut quo, est libertas ipsius creaturæ, quæ non est malum aliquod, sed bonum atque perfectio. Malum tandem morale Originale est similiter privatio cujusdam perfectionis, sine qua excludimur a Visione Dei, & cujus caussa est aliquod bonum: ergo.

131. IV. Ideo malum naturale non esset a Deo, ut modo dictum est, quia repugnaret Divinæ Bonitati: sed non repugnat, quod probatur sic. Malum naturale vel est pure naturale, hoc est non inflictum propter culpam, & hoc ex dictis (§. 53.) nullum est in creaturis rationalibus; in aliis vero creaturis illud non repugnat Bonitati Divinæ, si Deus illud velit non per se, sed de consequenti, quatenus scilicet malum istud sequitur ex eo, quod Deus volens successive omnia bona, horum existentia incompossibilis cum illis inducat aliorum alterationem vel destructionem, in quibus consistit malum pure naturale creaturarum, quæ anima non informantur aut ratione; Hoc enim tantum abest, ut officiat Divinæ Bonitati, ut illam potius arguat esse vere Divinam, & conjunctam cum infinita ipsius libertate potentia & sapientia, quæ hoc modo consuluit continuæ varietati rerum, in quibus consistit pulchritudo Universi, quæ oblectationem & admirationem conciliat creaturis intelligentibus. Atqui Deus vult malum pure naturale non per se, sed de consequenti, ut infra suadebitur: ergo malum pure naturale non repugnat Divinæ Bonitati. Vel malum naturale est malum non pure naturale, seu est malum pœnæ, & hoc non repugnat Bonitati Divinæ, tum quia arguit illam esse infinitam, utpote quæ nequit non abhorrere ab omni culpa: tum quia mala pœnæ laudabiliter intenduntur: tum quia novimus ne ista quidem Deum voluisse respectu hominum in hac vita, tantummodo ad finem puniendi, sed ut media ad alia bona, ut inferius dicam: ergo nullum malum naturale repugnat Divinæ Bonitati.

132. V. Ad hominem sic arguitur cum Ethnico Simplicio (2), Kingio (3), Vvolfio (4), Trevoltianis (5). Per Manichæos non repugnat Deum infinite bonum esse primam caussam rerum omnium hujus Mundi adspectabilis, etiamsi noverit illas evasuras

(1) Diss. de Cauf. effic. nu. 115.
(2) Simp. in Enchi Epict. ca. juxta Caninium 50.
(3) King. de Orig. mali. ca. 2. n. 8.
(4) Vvolf. Manich. sec. 3 nn. 4.
(5) Mem. de Trev. an. 1706. art. 53. p. 713.

furas naturaliter malas per vim principii cujusdam positivi mali in se, & a se: ergo neque repugnat Deum infinite bonum esse caussam ipsarum, etsi noverit sine actione ullius principii positivi, quod esset absolute in se malum, fore processu temporis alterandas & destruendas, seu naturali malo afficiendas. Consequentia est bona, quia si Deus non cessavit esse infinite bonus in primo casu, nulla est ratio, propter quam suadeant illum deficere a sua Bonitate in secundo; Quæ enim ab aliquibus ipsorum affertur ratio teste S Augustino (1), quod scilicet *ad hæc mundana molimina rebellantis adversum se mali extrema necessitate perductus* fuerit Deus, est, ut idem ait, desipere & insanire; Nam lumen ipsum rationis dicit Dei naturam incommutabilem atque omnino incorruptibilem esse, eique nocere nullam rem posse, & rursus eam in se perfectissimam, & per se beatissimam non subjacere ulli necessitati quicquam extra se creandi. Quare manifestum est stolide excogitatum esse systema duorum principiorum alterius boni, & alterius mali ad effugiendam repugnantiam inconsiderate creditam in eo, quod a principio bono proveniat aliquod malum, quam deinde nullo modo Manichæi effugiunt. Hujus inconsiderationis accusari potest Jo. Franciscus Buddeus, cui visum est, (2) *Manichæorum de duplici principio systema* (quod ceteroqui ipse detestatur) *hoc habere commodum, quod per illud causa malorum & naturalium & moralium, quæ nos premunt, reddi queat.*

133. VI. Cum Stillingfleeto (3), & Hooke (4) sic arguitur. Nomine principii mali vel intelligitur ens a se contrarium in omni attributo principio bono, quod pariter est a se: vel intelligitur ens a se, quod solum est contrarium principio bono in benevolentia: Atqui utrumque est impossibile: ergo impossibile est ens a se, quod sit principium malum. Minoris prima pars probatur, quia ens contrarium in omni attributo enti infinite perfecto est ens continens negationem omnium perfectionum incipiendo a prima ipsarum, quæ est basis cæterarum, existentia: ergo ens a se contrarium in omni attributo enti a se infinite bono est ens simul & non ens, hoc est quid aperte impossibile. Minoris secunda pars probatur, quia ens a se habens omnes perfectiones & quidem infinitas præter benevolentiam est ens sibi sufficiens, & perfecte intelligens, & probans quod rectum

(1) S. Aug. de Civit. li. 11. ca. 22.
(2) Bud. Elementa Philosophiæ Theoreticæ par. 6 ca 4. §. 7.
(3) Stilling Origines Sacræ. lib. 3. ca. 3. nu 10.
(4) Hook Princ. Relig. tom. 1. sec. 2. art. 2.

ctum est, & tamen nolens sine ulla sua utilitate rectum, quod cognoscit: sed ens aliter continuo volens ac cognoscit, est ens sibi ipsi continuo repugnans, & constans attributis ipsum intrinsecus perpetuo discerpentibus: ergo ens a se contrarium enti infinite bono solum in benevolentia est ens se ipsum destruens.

134. VII. Cum Pallavicino (1). Duo ista principia Bonum & Malum vel sunt inæqualia in potentia, vel æqualia. Atqui non potest dici esse inæqualia, quia tunc principium potentius vel destrueret aliud infirmius sibi oppositum, vel saltem evinceret quicquid vult contra alterius conatum quemcumque, adeoque essent semper vel pura bona, vel pura mala, quod est contra evidentiam: Neque potest dici, quod sint æqualia in potentia, quia æquales potentiæ invicem oppositæ nihil possunt producere, nisi vel dicatur quasi ex insidiis in casu alicujus in altero oscitantiæ produci ab unoquoque effectus sibi proprios, quod est statuere ista duo principia non solum ambo imperfecta contra naturam entis a se, sed ambo etiam infelicissima, utpote quæ in continuo mœrore versari debent ex adspectu tot rerum vi principii sibi contrarii perpetuo existentium, ut Vvolfius (2) observavit, & ante ipsum Pictetus (3), quem nihilominus idem Vvolfius (4) connumerat inter Calvinianos labe Manichæorum aspersos: vel dicatur pro libertate, quæ illis tribuatur, consentire in aliqua productione; quæ consensio inter ista principia imprimis impossibilis est, quia contra naturam principii mali est consentire in bonum, idque tam constanter, quantum apparet ex conservatione hujus Mundi machinæ, quæ tamdiu eodem ordine conservatur. Deinde ea etiam consensione admissa jam cessaret ratio admittendi ista duo principia, quæ est ut salvetur bonitas principii boni indemnis, & sine ulla nota post tot mala existentia; Nam cum hac consensione, per quam principium bonum vult, ut quid agat etiam principium malum, illa bonitas vel non salvatur, vel si salvari dicatur, salvabitur etiam in ea productione rerum omnium, quæ mixta sit malis per solum principium bonum facta ex dictis (§. 132.). Quare patet, concludit Pichonus in suo *de Natura Dei tractatu* apud Trevoltianos (5) stupiditas hypotheseos Manichæorum.

135. VIII Ens malum a se, quod sit caussa omnis mali involvit contradictionem in eo, quod ponit effectus aliquos esse &

 non

(1) Pall. del Bene. li. 2. ca 47. nu. 5. Et de Act. num. li. 1. n. 196.
(2 Vvol. Manich sec. 3. n 3.
(3) Pic. contr. l'indiffer. cha. 10.
(4) Vvol. Manich. sec. 4. nu. 70.
(5) Mem. de Trev. an. 1758. art. 57 pa. 1468.

non esse malos. Sunt quidem ex hypothesi, & etiam quia ratio adstruendi illud malum a se est, ut habeatur caussa malorum effectuum: non autem sunt, quia effectus mali saltem morales postulant essentialiter, ut non sint a causa necessaria, sed libera a necessitate: sed illud malum a se in doctrina Manichæorum est caussa necessaria omnis mali: ergo effectus illius caussæ malæ a se non sunt mali. Argumentum hoc insinuavit jam olim Simplicius (1), & deinde Stillingfleetus (2).

136. IX. Contra illos præsertim Ethnicos, qui (§. 122.) repetunt malum proprie tale ex natura aliqua a se tum materiali & indocilis indolis, tum spirituali & malignæ indolis, quarum prima coegerit Deum, qui materiam disposuit in hanc Mundi adspectabilis speciem, facere plura imperfecta contra id, quod ejus natura plena bonitatis vellet: quia illa ulterioris incapax esset perfectionis, quemadmodum statuarius effingit Herculem jacentem potius, quam dimicantem cum monstris, quia perfectiorem hanc statuam materia sibi data non patitur: secunda vero. scilicet spiritualis natura pervertat continuo suis perturbatis & furentibus motibus ejusdem opera jam naturaliter perfecta, sic arguitur. Nullum potest esse ens a se nisi unicum, aliudque infinite perfectum & Deum, ut ubi de existentia Dei agitur demonstratur: ergo materia a se, & mens aliqua a se imperfectissima usque ad insaniam tamquam proprium ejusdem attributum, sunt naturæ, quæ nec sunt nec possunt esse. Argumentum hoc desumptum ex unitate Entis a se fuse promovet citatus Vvolfius (3), & ostendit jam olim adhibitum esse a multis, quibus addatur Pictetus (4).

137. Alia argumenta & solutiones ad objectiones Manichæorum eruentur ex S Augustino, qui multus fuit in oppugnanda natura a se mala, ut causa omnis mali proprie talis. Libri qui de hac re consuli præcipue possunt sunt.

I. Libri tres de libero Arbitrio, quorum primus scriptus fuit ab illo jam Baptizato, Romæ anno Christi 388, reliqui duo in Africa jam Presbytero anno 395.

II. Libri duo, de Moribus Ecclesiæ Catholicæ alter, alter de Moribus Manichæorum scripti circa annum 388, vulgati circa annum 389, prout volunt Patres Maurini.

III. Libri duo de Genesi contra Manichæos scripti anno 389, quo-

(1) Simp Comm. in Epict. ca. juxta Callin 50.
(2) Stillin. Orig. Sacr. li. 3. ca. 3. nu. 10.
(3) Vvolf. Manich. sec. 3. nu. 1.
(4) Pic. cont. l'indiff. cha. 4. Id. ibid. cha. 10.

389, quorum meminit jamdudum Episcopus in libris de Genesi ad literam (5).

IV. Liber de Vera Religione anno pariter circiter 389 editus, maxime a doctis commendatus, cujus extrema potissimum pars est contra hanc hæresim Manichæorum.

V. Liber de duabus animabus pertinens ad annum 391, qui est primus sui presbyteratus.

VI. Liber contra Adimantum Manichæum scriptus anno circiter 394. Hic Adimantus idem creditur a S. Doctore (2) ac Addas, qui unus fuit ex Manetis Apostolis, quos duodecim sibi & ipse elegit, ut idem Augustinus (3), & Petrus Siculus referunt, & etiam Epiphanius apud Josephum Assemanum (4), qui credit ex librarii incuria natum esse, quod ubi Epiphanius loquitur de Manetis apostolis legatur numerus 22, loco numeri 12, & Fabricius apud Vvolfium (5) idem jampridem suspicans occasionem etiam hujus erroris indicavit seu conjecit, scilicet quod pro ιβ scripserit librarius κβ. At Beausobre Adimantum ab Adda distingui vult, quia hoc modo de singulis illis Apostolis proferri possunt etiam nomina.

VII. Liber contra Epistolam Fundamenti vulgatus circa annum 395, qui fuit secundus sui Episcopatus.

VIII. Libri triginta tres contra Faustum Manichæum, quos opus grande vocat ipsemet Augustinus, prolati anno 400.

IX. Libri duo de Actis cum Felice Manichæo, qui pertinent ad annum 404.

X. Epistola 79, alias 244, contra Presbyterum Manichæum data forte anno 404, & Epistola ad Deuterium 236, alias 74, incerto tempore exarata.

XI. Liber de Natura boni circa annum 405, ponendus.

XII. Liber contra Secundinum Manichæum scriptus circa annum 405, *quem omnibus*, inquit ille (6), *quos adversus illam pestem scribere potui, facile præpono*.

XIII. Libri duo contra Adversarium Legis & Prophetarum scripti circa annum 420.

XIV. Sermo primus, alias quartus de Diversis. Et sermo 152, de Verbis Apostoli, qui primum prodiit per Patres Maurinos. Et sermo 153, alias quartus de Verbis Apostoli. Et sermo 182, alias 30 de Verbis Epistolæ primæ Joannis capite quarto: & alii.

 XV.

(1) S. Aug. de Gen. ad lit. li. 8. cap. 3. num. 5.
(2) S. Aug cont. adversar. legis li. 2.
(3) Id. de Hær. 46.
(4) Ass Bibliot. orient. tom. 3. par. 2. de Syris Nestorianis cap. 1.
(5) Vvol Manich sec. 3. nu 56.
(6) S. Aug. Retrac. li. 2. ca. 10.

XV. Videri etiam possunt liber, *de Fide contra Manichaeos*: Et rursus *Commonitorium Ecclesiae Catholicae, quomodo sit agendum cum Manichaeis, qui convertuntur*, inter opera S. Augustini collocata, utpote illi olim adscripta, modo in appendice rejecta ex rationibus, quas in singulis praemittunt Editores Maurini ad Tomum 8.

ARTICULUS V.

Objectio praecipua.

138. Objicitur. Multa mala sunt in hoc Mundo, & non sunt a se, ut est evidens: ergo ea sunt a caussa tandem aliqua a se, quae continet vel formaliter vel eminenter omnia mala: ergo datur ista caussa a se mala. Prima consequentia probatur, quia caussa efficiens debet continere aliquo modo vel formaliter vel eminenter suum effectum juxta receptum axioma, nemo dat quod non habet, nec potest procedi in infinitum in serie caussarum. Antecedens autem probatur. Mala sunt serpentes, bufones, tineae, aliaque pene innumera insecta, quibus aer terra campi flumina & stagna per aestatem maxime scatent: ut nihil dicam de lupis, & aliis silvarum bestiis. Mala similiter sunt spinae, tribuli, aliaque innumerabilia, vel inutilia vel perniciosa vegetabilia & fossilia. Mala tandem sunt multitudo illa pauperum, qui per continuos labores vitam coguntur ducere, quae evidenter est pars maxima generis humani: ergo. Haec objectio authore S. Thoma (1) est radix Manichaeismi.

Resp. permitto primam partem antec. quia ut apparet ex probationibus, in malorum numerum reputantur, quae vix in aliquo casu dumtaxat mala sunt, vel ut verius dicam, sunt occasio alicujus mali in aliis a se distinctis: & dist. secundam, multa mala non sunt a se, si sermo sit de naturalibus & moralibus, conc. hanc partem; Nam haec sunt privationes, & requirunt caussam privantem: si sermo sit de malis metaphysicis, nego hanc partem; Nam haec sunt merae negationes (§. 6.), quae non requirunt ullam caussam, adeoque etiamsi illis per nostrum modum cogitandi possimus tribuere esse, non possumus tamen tribuere, quod sint ab alio; & nego conseqm., cujus probatio ex dictis non solum nulla est, sed videtur etiam continere falsam suppositionem de natura mali positiva, quoniam requirit, ut hujus caussa illud habeat vel formaliter vel aequivalenter. 139. Pro-

(1) S. Tho. 1. par. qu. 49 art. 1.

139. Probationem autem antec. dist: quæ enumerantur, sunt mala simpliciter, nego: sunt mala secundum quid, & quidem respectiva Mundo, cujus sunt partes, nego: aliquibus in particulari, ut nobis, iterum subdist. aliquando & inadæquate conc. semper & adæquate nego. Distinctio continet doctrinam, qua S. Thomas adversarios citato nuper loco conatus est a suo errore revocare, eosdem docens, quod *judicium de bonitate alicujus entis non est accipiendum secundum ordinem ad aliquid particulare, sed secundum seipsum, & secundum ordinem ad totum universum, in quo qualibet res suum locum ordinatissime tenet*. Eadem clarior fiet, singulas distinctionis partes diligentius observando.

140. Omnia quæ objiciuntur, considerari imprimis possunt secundum se sive absolute: Atque hoc modo certe non sunt mala proprie talia, neque mala naturalia; Nam sunt entia in suo genere perfecta, & admirabilis constructionis, in qua contemplanda Philosophi omnis ætatis tam profani, quam sacri defixi hæserunt cum incredibili voluptate, ut testantur acutissimæ de hac re lucubrationes, quas nobis reliquerunt. Juvat aliqua ex utrisque testimonia proferre. Ex profanis in mentem revoco Aristotelem, qui de partibus animalium copiose scribens, puerile appellat fastidium illorum, qui ad sordentium animalculorum naturam inquirendam deflectere ingenium recusant, (1) *Aggredi, inquit, quæque sine ullo pudore debemus, cum in omnibus naturæ numen pulchrumque insit ingenium*. Plinii sunt hæ circa minima insecta admirationes: (2) *In his tam parvis atque tam nullis, quæ ratio, quanta vis, quam inextricabilis perfectio! Ubi tot sensus collocavit in culice? Ubi in eo visum prætendit? Ubi gustum applicavit? Ubi odoratum inseruit? Ubi vero truculentam illam & portione maximam vocem ingeneravit?* Quam bene truculentam dixit culicum vocem, quæ scuti somnum sic vires etiam frangit, si accessum ad nos extra conopæa positos habeant, quem ceteroqui ferunt impediri odore vini, in quo semen cymini ebullierit, & quo pars aliqua cubiculi aspergatur.

141. Qui insecta post inventa microscopia iisdem subjecerunt, non amplius admirantur tantummodo per conjecturam ex effectibus eorum insignem structuram, sed eam suismet oculis ex improviso usurpantes fiunt etiam eloquentes in ejusdem descriptione. Testis est Danielis Bartoli diffusa oratio *De admirabili artificio in constructione minimorum animalculorum* (3). Testes sexcenti illi, qui hoc artificium copiosis commentariis exposuerunt, ex

(1) Arist. ca. 5.
(2) Plin. Histor. natur. li. 11.
(3) Bar Ricr del Savio li. 1. ca. 13.

ex quibus plures nominat Philippus Bonanni in sua *Micrographia curiosa* edita an. 1691. (1) Neutonus pacate quidem sed nervose sit discurrit, (2) *Habent animalia bina latera, dextrum & sinistrum forma consimili, & in lateribus illis a posteriori quidem corporis sui parte pedes binos, ab anteriori autem parte binos armos vel pedes vel alas humeris affixas, interque humeros collum in spinam excurrens. cui affixum est caput, in eoque capite binas aures, binos oculos, nasum os & linguam, similiter posita omnia in omnibus fere animalibus. Deinde partes illa corporis tam exquisita arte atque consilio fabricata, oculi aures celebrum musculi glandes cor pulmones diaphragma larinx manus ala vesica ad natandum, membrana pellucida animalium quorumdam oculis instar conspicillorum obducta, aliaque sensus & motus organa: horum sane omnium conformatio prima nulli rei tribui potest, nisi Intelligentia & Potentia Entis potentis semperque viventis.* Hæc quæ in quibusvis animalibus majoribus evidentia sunt, eadem in minimis partim per microscopia intuemur, partim per necessarias consequentias colligimus. Omnia enim vivunt & moventur: igitur instructa sunt omnia necessariis ad vitam & motum organis, cerebro & nervis, hepate & venis, corde & arteriis, gustu visu tactu cum opportuna singulis varietate temperamenti facultatis mensuræ proportionis connexionis situs, quæ varietas nobis propter illorum tenuitatem necesse est invisibilis sit & incomprehensibilis.

142. Venio ad aliquos ex Philosophis sacris. In his dignus est, qui legatur S. Basilius per tres integras homilias (3) admirans structuram animalium in variis reptilibus, volatilibus, aquaticis, & terrestribus. Aliis omissis unus audiatur Augustinus: (4) *Vermiculi*, inquit, *laudem sine ullo mendacio copiose possum dicere, considerans nitorem coloris, figuram teretem corporis, priora cum mediis, media cum posterioribus congruentia, nihil ex una parte formatum, quod non ex altera parili dimensione respondeat. Quid jam de anima ipsa dicam, vegetante modulum corporis sui, quomodo eum numerose moveat, quomodo appetat convenientia, quomodo vincat aut caveat obsistentia quantum potest, & ad unum sensum incolumitatis referens omnia, unitatem illam conditricem naturarum omnium multo evidentius, quam corpus insinuet: loquor de vermiculo qualicunque.* Compendiose alibi dicit in membris cujusvis animalis inveniri mensuras numeros & ordinem ad unitatem concordiæ pertinere, subdens (5) *quod si cogitarent isti loquacissimi*

(1) Aon.Micr.ca.2.
(2) Nevv.Optic.li.3 qu.31.
(3) S.Basi.in Hexaem.hom.7.& sequ.
(4) S.Aug.de Ver Relig ca.41.
(5) S.Aug.li.1.de Gen. cont. Manich. ca.16.

cissimi & ineptissimi, non nobis tedium facerent, sed Deum artificem ubique laudarent: & plane intelligerent, quam vere dictum sit, (1) *Fecit Deus bestias terræ & omne reptile, & vidit quod esset bonum*, quia eodem monente (2) *non ex commodo vel incommodo nostro, sed per se ipsam considerata natura dat artifici suo gloriam*. Igitur objecta animalia non sunt mala absoluta.

143. Similia valent, quod pertinet ad ea, quæ ex Vegetabilibus & Fossibilibus objiciuntur.

Quod autem pertinet ad pauperes, non cadit in controversiam illos, prout homines sunt, esse bonum omnino æquale primis Terrarum Regibus, quos (3) *videri concretos esse ex puriori elementorum substantia*, credo, scripserit Udallus splendore Regis, cui librum suum dicabat, excæcatus; Nam qui principes sunt, dum vivunt, non secernuntur intrinsece a vulgo: nisi cultura animi. Hac qui careat, jam illi convenit illud Socratis ad Alcibiadem, (4) *quicquam inter ipsum summo loco natum, & quemvis bajulum non interesse*. Dum autem mortui sunt, omnes æqualiter quantum ad corpus fiunt cinis, nec qui est principis ab illo mendici discernitur.

144. Prout autem sunt pauperes, non potest dici illos esse quid malum, seu malis omnium gravissimis occupatos. Certe enim felicitas hominis in hac vita non consistit in divitiis & solis bonis ipsi extrinsecis, sed præcipue in intrinsecis, tam ex parte corporis quam ex parte animi ex alibi (5) dictis. Jam vero ex bonis intrinsecis corporis quis neget, quod refert Plato olim in conviviis cani consuevisse. (6) *optimam rem esse omnium, prosperam esse valetudinem*: & hanc, utpote quæ consequitur continentiam in victu, longe firmiorem & minoribus subjectam morborum dolorumque aggressionibus inveniri in habitatoribus regionum etiam inclementium, & in infima ubivis plebe, quam in incolis urbium splendidiorum, ipsarumque conscriptis Patribus, atque Principibus? Nonne Lappones & populi Thule, vulgo Islandiæ etsi vivant sub Caelo maxime rigido positi, & ab omnibus vitæ deliciis imparati, attamen tam robusto sunt corporis habitu, ut nullis indigeant medicis nec medicamentariis, ut de primis Franciscus Negri (7), & de secundis post multos alios refert Andersonii historia apud Trevoltianos (8). Non-

(1) Gen ca.1.25.
(2) S.Aug.de Civit li.12.ca.4.
(3) Udall The histoire of Mary Stuar. The Preface.
(4) Tull.Tusc.li.3.nu.32.
(5) De bono §.346.
(6) Pla.Gorgias sub initium.
(7) Neg.Viagg.settentric.Lett.1.
(8) Mem.de Trev. an. 1750. art. 128. pag.1330.

Nonne quotidie evidens fit, quod (1) *Dulcis est somnus operanti sive parum sive multum comedat: satietas autem divitis non sinit eum dormire*: & quod cibus etsi vilissimus est tamen constanter jucundissimus rusticis, & quid sit ejus fastidium, aut nausea, tunc satis frequenter primò agnoscere, quando jam sunt morituri. (2) *Cum bis confer*, inquit Tullius, *ructantes refertos epulis, tum intelliges, qui voluptatem maxime sequantur, eos minime consequi, jucunditatemque victus esse in desiderio, non satietate*. Atque hanc quam sæpe comitentur dolor capitis, colica affectio, aliæque ægrotationes acerbissimæ, norunt ex experientia Vitellii & Luculli, dum horum rem & nomen rustici ignorant.

145. Cum autem de gravioribus corporis doloribus verum sit illos irruere potius in divites quam in pauperes, idem multo evidentius est de animi ægritudinibus. Hæ turmatim ædes principum circumvolitant, easque violenter invadunt: at vix aliqua aliquando accedit ad pauperum casas & rusticorum mapalia. In his proinde tranquillitas animi, tanta felicitatis humanæ pars, frequentior & abundantior est, quam in illis, a quibus plerunque exulat, ut luculenter declarat, & suadet Pallavicinus (3). Atque quam dicant aliqui ex pauperibus seu vulgaribus hominibus, qui vitam continuo labore debent sustinere, pati se propter hoc ipsum infelicitatem, eam invenimus ejusdem generis esse, ac est in quibusvis etiam ditissimis, qui forte sua nolunt esse contenti. Euripo hos assimilat Maximus Tyrius, qui nunquam consistere quietemve agere norunt, & (4) *quum*, inquit, *equorum mille armento curando equiso unus, innumeris ovibus pastor unus, permultis bubus bubulcus unus satis sit, unius tamen corporis obsequio multis opus est manibus & artibus; atque utinam tot ista sufficiant*. Quod desiderari quidem potest, non vero sperari ab hujusmodi hominibus, qui inanibus cupiditatibus indulgent, quarum ipsa Ethnicorum philosophia cognoscebat, quod (5) *nec modus ullus, nec finis inveniri potest*. Quis autem non videat huic malo finem ab illis imponi posse, quoties cogitantes se esse rationales in animum inducant illud Horatii (6)

... Quod petis hic est
Est ubivis, animus si te non deficit æquus:

Cui similia multa Seneca acute & graviter congessit in suis Epistolis

(1) Eccle.ca.5.v.11.
(2) Tull.Tusc.li.5.nu.34.juxta Olive.
(3) Pall.Christiana Perfez li.1.cap.5. & seq.
(4) Tyr.ser.25.nu.147.
(5) Tull.de Finil.1.nu.13.
(6) Hor.Epist.11.li.1.

ſtolis (1); & multo magis quoties credant Apoſtolo teſtanti, quod (2) *unuſquiſque proprium donum habet ex Deo, alius quidem ſic, alius vero ſic*, adeoque monentis, ut (3) *unuſquiſque, in qua vocatione vocatus eſt, in ea permaneat*. Quem locum in horum gratiam pluribus tractatibus luculenter illuſtrat Alphonſus de Saraſa (4), utpote continentem unum ex præcipuis præceptis, in quibus ſuum opus, *Ars gaudendi*, verſatur.

146. II. Quæ objiciuntur, conſiderari poſſunt reſpective ad totum Mundum, cujus ſunt partes, & ne hoc quidem modo inveniuntur mala, ſed diverſi generis bona; Nam ſi loquamur de noxiis brutis & plantis, ea ſunt totidem diverſæ creaturarum ſpecies ſingularis artificii, quibus ut ait S. Auguſtinus, (5) *completur hujus univsrſitatis integritas, quæ multo major eſt quam domus noſtra, & multo melior*. In quo animadverti debet Dei Providentia manifeſte relucens in eo, quod animalibus utilibus omnia impleverit maria terras & aera, illis vero, quæ noxia magis nobis ſunt quam utilia, pauca dumtaxat produxerit, & in paucis locis. Ita nemo unquam vidit turmas aquilarum & accipitrum, aut greges Leonum & Tigridum, & ex libris ſolum aliqua illorum nobis nota ſunt, cujuſmodi eſt avis Peruana Cunctur, vel Condor dicta, quæ referentibus nuper Ivano & Ulloa apud Trevoltianos (6) ex præda ovium, puerorum, & etiam majorum animalium vivit, utpote tantæ extenſionis, ut alis expanſis inventa ſit referente Derhamo (7) habere latitudinem pedum ſexdecim: eademque parum voluit multiplicari data ipſis tenui & rara fœcunditate: *Animalia*, inquit jam Herodotus (8), *quæ ab hominibus comeduntur, feracia & fœtuoſa: quæ noxia ſunt parum fœtuoſa*, quaſi unice illa creaverit, & conſervet ad rerum varietatem, & Mundi hujus adſpectabilis pulchritudinem. Præterea quæ utilia nobis ſunt, diuturniora voluit, ſecus quæ noxia. Ita apibus ſeptem vel octo annorum vitam conceſſit, at veſpis illam unius circiter anni, erucis ſolius autunni, & pleriſque inſectis ſolius æſtatis.

147. Quod ſi non de brutis loquamur, ſed de hominibus, qui labore manuum ſuarum coguntur vivere, planum eſt ſine his non haberi nec Urbes, nec Reſpublicas, nec Regna, nec Artes, nec Scientias; Hæc enim omnia non ſubſiſtunt ſine hujuſmodi inæ-

(1) Sen. Epi. 119.
(2) 1. ad Corinth. 7. v. 7.
(3) Ibid. ver. 20.
(4) Sar. Ars. Gaud. par. 1. tr. 10. & ſequ. ca. 16.
(5) S. Aug. de Gen. cont. Manich. lib. 1.
(6) Mem. de Trev. an. 1749. art. 24. pag. 467.
(7) Derh Phyſico-Theo. B. 4. cha. 10.
(8) Her. hiſtor. li. 3. ca. 108.

qualitate conditionum inter homines, ut post Origenem (1) Chrysostomum (2) & Theodoretum (3) copiose exponunt Lessius, & Daniel Bartolus (4), plane demonstrantes a paupertate (5) *genus humanum servari, & omnibus ornamentis rebusque laude dignis excoli*. Igitur objectæ creaturæ ne sunt quidem mala respectiva toti Mundo.

148. III. Considerari possunt respective ad aliquas creaturas extra se, atque hoc modo inveniuntur esse caussas quasdam mali in nobis, quos afficiunt vel dolore vel miseriis: Sed hæc ratio mali imprimis non convenit objectis rebus adæquate: Etsi enim de usu potissimo, & ut ita dicam directo illarum debeamus dicere cum Augustino, (6) *Fateor me nescire, mures & ranæ quare creata sint, aut muscæ aut vermiculi*: attamen non possumus sine mendacio affirmare nullam ab illis in nos utilitatem & jucunditatem derivari, cum plura ex illis sine dubio bona eliciamus respectu tum corporis tum animi.

149. De bonis ad corpus spectantibus multa jam olim observarunt aliqui ex Ss. Patribus & Philosophis, quæ novis additamentis ita amplificant in dies recentiores observatores, ut magis semper ac magis approbetur Græcorum consilium, qui ipsi medendi scientiæ nomen a pharmacis hoc est venenis fecerunt. Omissis illis, quæ de hyena, colubro, aquila, accipitre, ipsis cimicibus, aliisque in hanc rem dicit S. Hieronymus (7), sunt Viperæ veneno præsentissimo noxium animal, quæ præbent carnes aptas natas ad comparanda optima antidota, ad dissolvendam torpedinem, & alios usus salutares præstandos, ut notat Derhamus (8). Sunt Scorpiones & Formicæ, ex quibus spiritus per Chimicam elicitur, qui referente Francisco Ginannio (9) cum aliis, quos citat, est remedium efficax in quibusdam morbis. Sunt aranei, ex quorum telis Bonius apud Trevoltianos (10) docuit extrahi posse succum saluberrimum in acutis febribus, ut nihil dicam de arte ab eodem inventa conficiendi etiam serica opera, quoniam horum insignes difficultates comperit Reaumarius (11) non posse ab utilitate compensari.

150. Sunt vermes habitantes in visceribus animalium, quos motu suo humorum coagulationem noxiam vitæ ipsorum conjici

(1) Orig. contra Cels.
(2) Chris. Hom. 33 in ca. 13. 1. Corint.
(3) Theod. de Provid. Orat. 6.
(4) Bart. Ricreat. del Sav. li. 2. ca. 9.
(5) Less. de Provid. an. 110. & seq.
(6) S. Aug. de Gen. cont. Manich. lib. 1. ca. 16.
(7) S. Hie. ad Jovinianum li. 2.
(8) Derh. Physico-Theol. B. 9 cha. 1. in notis.
(9) Gin. delle Pinete li. 4. clas. 7. num. 97. & 133.
(10) Trev. an. 1749. art. 21. pag 390.
(11) Rea. in Acad. Paris. ann. 1710.

jicit Vallisnerius (1) impedire. Sunt Chantarides & Sanguisugæ vulgaris usus in medicina. Erucæ veris tempore abundantes, sunt quasi lac pro minoribus avibus, deliciis scilicet nostris, quæ tunc ubique e nidis Deum, ut ait Propheta (2) *invocant, qui dat pullis escam ipsorum*; Minora aeris & aquæ insecta sunt cibus piscium & volatilium. Ranæ lacerti majores & serpentes sunt boli exquisiti pro Ciconiis, & aliis avibus bene multis. Tineæ, quæ naves & ligneas trabes terebrant & dissolvunt, & alia insecta, quæ alimentorum corruptionem accellerant, sunt observante Pluche (3) vinculum quoddam, quo diversæ gentes in mutua unione constringuntur; Moscus enim & Norvergus bitumen apud se abundans, quo naves illinantur: Svecus superfluas sibi quercus & abietes, quibus eædem reparentur, commutant apud alias gentes cum Sale & Aromatibus, quibus suos illi cibos sibi conservent. Hæ rationes satis insinuant esse minus probabilem opinionem Cornelii a Lapide, qui apud Hauserum (4) putat solum in virtute seminali creata fuisse sexta die insecta nobis molesta, quasi Divina Providentia non potuisset aliter reddere ab hac molestia immunem statum innocentiæ.

151. Similia bona in vegetabilibus & fossilibus magis exosis inveniuntur. Ita cicuta olim cognita, quam incertum est juxta Franciscum Ginannium (5) esse eamdem plantam cum ea, cui hoc nomen nunc tribuitur, venenum erat homini, sed coturnices & barbigeras pecudes opimat, authore Lucretio (6). Caprifici fructus edules non sunt, sed maturitatem promovent ficuum optimæ notæ, si horum arboribus suspendantur, quod Latini exprimebant per unicum verbum caprificare sensus jam apertissimi, postquam Godehens & Duhamel apud Trevoltianos (7) rem totam distincte explicarunt. ex suis experimentis, quæ unice attendi debent, relicta physica disquisitione in caussam hujus effectus: in qua equidem sentiam cum Philippo Arena (8), qui eam repetit a prolifico pulvere, quo abundant fructus Caprifici, qui simul sunt flores, dum opportune asportatus vel attractus supra edules ficus adspergitur. Et in Fossilibus stibum quod referentibus Dictionario Trevoltiano (9), & Transactionibus Philosophicis (10), antiquior medicina ita abhorruit,

 ut

(1) Vallisn. de Vermi ordinari del corpo.
(2) Psal. 146. v. 9.
(3) Plu. Spett. de la Nat. Lette. su l'uso tom 6.
(4) Hau. Phys. partic. par. 1. nu. 78.
(5) Gin. delle Piante li. 3. ca. 2. nu. 77.
(6) Luc lib. 5.
(7) Trev. an. 1756. art. 39. pag. 908., & art 63. pag. 1455.
(8) Arc. Natura de Fiori par. 2. a ca. 33
(9) Dict. de Trev art. Autimoine.
(10) Trans. ann 1754. art. 105. pag. 832.

ut qui ex Medicis eo uti ausus fuit ante hæc duo ultima sæcula, graves pœnas non effugerit, nunc compertum est posse illud ita pertractari, ut inter remedia locum obtineat, quæ universalia dicuntur etiam quia sine periculo, inquit Hombergius (1) quibusvis sive robustis sive gracilibus tribuuntur.

152. Nec dissimili modo in omnibus viventibus & vegetabilibus & fossilibus, quæ vulgo minus utilia & etiam noxia habentur, (2) *Siquis*, dicam cum Chrysostomo, *velit sapienter cognoscere, inveniet magnam ex illis nobis utilitatem provenire*, quam in maltis deprehenderunt jam & exposuerunt acutissimi viri, ut praeter citatum Pluchem & Derhamum (3) faciunt Lesserus (4), & Grævius (5). Et illa, inquit Kingius, (6) *de quorum usu non constat nobis, nullius habenda non sunt*. Qui aliter faciat, dicit Jacobus Riccati (7), est magis perversus & imprudens illo, qui volumen plenum doctrina sagacitate & nitore contemnit propter aliqua, quæ forte ex sua potius tarditate, quam alia de caussa in eo minus intelligit. His similia non semel dixit (8) S. Augustinus, jure stultos vocans illos, qui cum (9) apud artificem hominem non audeant vituperare, quæ ignorant, sed cum ea viderint, credunt esse necessaria & propter usus aliquos instituta: in hoc autem Mundo, cujus Conditor & Administrator prædicatur Deus, audent multa reprehendere, quorum caussas non vident. Comparationem hanc, quam iterum iterumque adhibuit S. Doctor, eloquenti paraphrasi exornavit Daniel Bartoli (10).

153. Sed bona in animos ex hujusmodi objectis rebus redundantia potiora sunt, nec limitata ad aliquas creaturas rationales, & in aliquibus circumstantiis: (11) *Prosunt*, sic olim S. Bernardus, *visu etsi non usu, utiliora cordibus intuentium, quam corporibus utentium*. Atque illud imprimis bonum certum est in nos derivari, quod eorum contemplatione sensus nostri, & intellectus recreentur, & in cognitionem diversarum Creatoris perfectionum proficiamus. Nonne enim mirifice oblectamur, dum in floraliis inodoros etiam & insalubres flores, ceu Tulipas & Anemones & omnis generis herbas ac plantas, præsertim si exoticæ sint, contem-

(1) Hom. in Acad. Scieu. Paris. ann. 1755. art. Chymie.
(2) Chrys. Hom. 7. in Genes. circa finem.
(3) Der. Physico-Theol. b. 2. ch. 6. not.
(4) Les. Theologia degl' insetti li. 2. ca 5 & seg.
(5) Græ. Cosmol. ca. 2. sec. 49.
(6) King. de Orig. Mali. cap. 4. sec. 4. nu. 7.
(7) Ricc. Oper. to. 2. lib. 1. cap. 13. § 9.
(8) S Aug. de Civit. l. 11. ca. 22
(9) Id. de Gen. cont Manich. lib. 1. ca. 16.
(10) Bar Ricr del Savi. li 2. ca. 10.
(11) S. Ber. serm. 7. in Cantic. nu. 5.

templamur, & dum curiose inspicimus in suis septis Leones Tigrides aliasque terribiles feras? Atque hinc certum deducimus argumentum magnificentiæ & potentiæ principum, qui hæc studiose conquisita jubent sollicite tueri & educari: Quanto magis Dei, qui eadem nutu voluntatis suæ semel creata constanter conservat non solum contra incuriam hominum, sed etiam contra ipsorum conatus, qui horum aliqua vellent penitus exterminare. Vere impius fuit Lucretius, qui hæc omissis aliis dissimulans rogavit (1).

. . . Genus horriferum natura ferarum
Humanæ genti infestum terraque marique
Cur alit?

Qui exaggerant apparentem inutilitatem rerum aliquarum vel illarum nocumentum; nisi caute tractentur, hi videntur nolle concedere Deo aliud attributum præter Beneficentiam quæ referatur ad commodum corporis, cum cæteroquin sint ipsi etiam ex anima compositi, & in Deo sit Bonitas respiciens hanc ipsorum animam, & Sapientia & Potentia aliaque attributa, pro quibus etiam cognoscendis menti nostræ indita est non solum tanta vis, sed etiam quidam in scientiam impetus. Est etiam illud ad voluntatem pertinens bonum, quod eadem reddant nos Deo obsequentes, nec contra ipsum superbientes; Nam inquit, S Augustinus, (2) *ipsa utilitatis* (quarumdam rerum) *occultatio, aut humilitatis exercitatio est, aut elationis attritio*: & alibi dicit, (3) *propter superbiam nostram domandam creata illa, quæ molesta sunt: populum Pharaonis superbum poterat domare de Ursis, muscas & ranas illis immisit, ut rebus vilissimis superbia domaretur*. Eamdem animadversionem facit etiam Pluche (4) loquens de erucis, & aliis insectis, quæ aliquando copiosæ messis spem depascendo frustrantur. Derhamus hanc ipsam rationem instrumenti Divinæ vindictæ in noxiis istis creaturis considerans (5) arbitratur, hæc propter hoc ipsum frequentiora esse apud gentes, quæ minus Deum ejusque legem venerantur. Igitur eædem objectæ res non habent certe adæquatam rationem mali respectivi extrinseci.

154. IV. Ipsa hæc eadem ratio mali respectivi ne competit quidem illis semper; Accidit enim pigris, ut bonas fruges amittant, quia sinunt eas suffocari ab herbis sibi inutilibus: accidit

(1) Luc.li.5.v.219.
(2) S.Aug.de Civit.l.11.ca.22.
(3) Id.trac 1.in Joann.
(4) Plu.Spett.de la Nat.tom.1. Entr. 2. Les Chenilles. §. Cette associa-tion.pag.112.
(5) Derh.Physico-Theol.B.9.cha.1.

cidit ſtolidis, ut ſata non metant, quia illa expetunt a locis ineptis ad illorum productionem: accidit temerariis ut immergantur in flumine, quo natandi non ſatis periti ſe projecerunt: accidit ſordidis, ut ipſorum corpora corrodantur a pediculis, & ipſorum veſtes a tineis: accidit incautis ut lædantur a furore beſtiarum aut veneno plantarum. Sed in aliquibus etiam ex his, quibus quis aliquando lædatur, paratum a Deo præſens remedium fuiſſe obſervavit Derhamus (1). Ita ex Meadio refert in Axungia viperina haberi antidotum ad illius morſum tam efficax, illa ſupra ipſum ſtatim defricata, ut eo confiſi nihil ab illo ſibi timeant, qui illas venantur: quod deinde compertum eſt ab Acad. Scient. Londinenſi apud citatum Ginannium (2) obtineri etiam per oleum olivarum cum ſimilibus fricationibus applicatum, adhibito etiam ignis calore ad faciliorem intruſionem. Idem Derhamus ex ſuamet obſervatione, *apes*, inquit, *veſpas crabrones contrita & confricata*, *& ſupra vulnus ligata*, *ſemper inveni eſſe illius certum remedium*, quod jam olim primo loco propoſuerat Andreas Baccius in libro *De Venenis & Antidotis* (3).

155. Tandem ratio iſta mali reſpectivi communis eſt ipſis cum iis etiam creaturis, quæ maxime nobis utilia & neceſſaria habentur.

Nil prodeſt, quod non lædere poſſit idem,

ſtatuit jam olim Ovidius (4), & pluribus expoſuit. Similiter poſt S. Auguſtinum (5) & Theodoretum (6) inquit Kingius, (7) *Nihil in tota terra eſt, quod non lædat hominem, niſi caute tractetum, cibus potus aqua ignis. An ideo facienda non erant, quia hominem lædunt? nec minus caveri a venenatis & feris poteſt, quam ab iis..... & vix milleſimi per venena necantur, aut feris lacerantur, qui per ferrum pereunt, nullam tamen culpam hinc Divinæ Bonitati impingimus*. Tullius reipſa meminit de Dicæarcho qui librum ſcripſit *De interitu hominum*, in quo concludit longe (8) *plures deletos eſſe homines hominum impetu, ideſt bellis aut ſeditionibus, quam omni reliqua calamitate*, quem librum oppoſuit illis, quæ longius fortaſſe quam par erat, utpote in re non dubia, Panætius commemoraverat de magnis utilitatibus, quas homines afferunt hominibus. Et generaliter loquendo, de omni omnino bono

(1) Der. ibid. B. 2. cha 6. not
(2) Gin. delle piante li. 4. claſ. 3. nu. 8.
(3) Bac §. Quæ ex natura venenis contraria art. 6.
(4) Ovid. l. 2. Triſt.
(5) Aug. de Civit li. 11. ca. 22. Id. de Morib. Manich. cap. 8. num. 11.
(6) Theod. interr. 18 in Geneſ.
(7) King. de Orig. Mali. cap. 4. ſect. 4. num 7.
(8) Tul. de Offic li. 2. nu. 5.

bono in se vidimus alibi (1), dici cum veritate posse, quod sit etiam malum alteri saltem indefinite sumpto; & propter hoc ipsum, quod sola virtus sit bonum, quod malum nunquam potest esse suo possessori, alibi (2) pariter observatum est, fuisse jam olim Philosophos, qui recusarunt cæteris quibuscunque rebus nomen boni & melius alii dixerunt esse bona vel media vel infima. Igitur proprio quodam modo objectæ res caussæ nobis sunt mali inadæquatæ, quatenus cogunt nos, vel ab illis caveri diligentius, vel illis resistere, quod habent ex dictis (§ 53.) solum post peccatum Originale. Quare dum fit mentio de lupis & sylvarum bestiis, & molestis insectis, meminisse etiam oportet scriptum esse, quod *ad vindictam creata sunt, bestiarum dentes, & scorpii & serpentes*. Quæ veritas ad ipsos Ethnicos pervenit etsi obumbrata fabulis aureæ ætatis, quam primam dicunt fuisse Mundi, a qua, quoniam (3)

..... vindice nullo
Sponte sua sine lege fidem rectumque colebat,
Poena metusque aberant,

& ejus quæ primam consequuta est, in qua vindex Numen (4)

Fe il lupo predator dell umil gregge,
De i colombi il falcon, de i cervi il tigre,
E de i pesci il delfino: a i negri serpi
Diede il crudo veneno.

156. Circa etiam spinas & tribulos fuit opinio S. Augustini non semel absolute prolata, terram non peperisse talia vegetabilia, nisi post peccatum, (5) *ad peccatorem in labore conterendum secundum Dei judiciariam voluntatem*. Pro eadem citantur SS. etiam Basilius, Ambrosius, Damascenus (6) & alii, quos sequitur Daniel Bartoli (7). Huic opinioni ansam dare visa sunt verba Geneseos, (8) *quia comedisti de ligno, de quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo.. spinas & tribulos germinabit tibi*. Verum ne in illius favorem hæc accipiantur, facit Ipse Augustinus, qui alibi monet ex eo, quod dictum sit spinas & tribulos germinabit tibi, (9) *non facile dicendum tunc cœpisse ista oriri ex terra*. Quod advertunt, qui cum S. Thoma

(1) Diff. de Bono. §. 110.
(2) Ibid §. 20
(3) Ovid Metam. li. 1.
(4) Alaman. della Coltivazio. li. 2.
(5) Aug. de Nat. Boni. ca. 36. Id. de Genes. cont. Manich. li. 1, ca. 13.
(6) Bas. hom. 5. Hexaem. Ambr. li. 3. Hexaem. ca. 9. & 11. Damasc. de Fide. li. 2. ca. 10.
(7) Bar. Ricr. del Savio li. 1. ca. 8.
(8) Genes. 3 v. 2.
(9) Aug. de Gen. ad lit. li. 1. ca. 18.

S. Thoma (1) contrarium tenent ut Suarez (2). Facit II. quod dicitur, (3) *requievit die septimo ab universo opere*, quod communiter interpretes assumunt, ut excludens omnem novam rerum creationem post diem sextum. III. Facit, quod etiam in illis habetur ratio boni in se, quandoquidem ut ipse Augustinus dicit, (4) *Habent & tales herbæ modum & speciem & ordinem suum, quæ quisquis sobrie consideraverit, laudanda reperiet* Et rursus habent rationem boni etiam utilis. Ita eodem S. Doctore observante sunt animalia, (5) *quæ his generibus & melioribus & aridioribus commode suaviterque vescuntur*. Nonne Sal perfectius & abundantius erui ex plantis spinosis dicunt Chymici? Nonne optimum ad constructionem vitri cinerem suppeditari a carduis testatur Derhamus (6)? Si accidat, inquit Grævius (7), ut vepres pungant dominum, nonne fures etiam arcent aut retardant? Et Virgilius (8).

Aut ille pecori frondem, aut pastoribus umbram
Sufficiunt, sepemque satis, & pabula melli.

IV. facit, quod ex eo, quod nocere possint, non sequitur non extitura, si homo non peccasset; Nam ea etiam ex nuper dictis, quæ optima & necessaria habentur, ut ignis aqua vinum nocere possunt, siquis male utatur: sed sequitur solum reddita esse actu noxia, ignorata eorum natura & utilibus proprietatibus, & subtracta particulari Dei Providentia ab his malis protectura. V. facit, quia non dictum fuit dumtaxat, *tribulos & spinas germinabit*, sed cum addito *tibi*, tuo scilicet incommodo in pœnam tui peccati, vel quia ut ait Augustinus, (9) *in agris etiam ista non nascerentur. cum possent alibi nasci*, vel alio modo. VI facit, quia congruentior intelligentia illius loci est, quod terra propter peccatum productura amplius non esset tantam vim bonarum frugum, ut prius, & rursus spinas & tribulos, quæ rara prius erant, abundanter in posterum esset germinatura. Observat Nievventitius (10) hac revelatione maledictionis Divinæ in Terram oportere contenti simus dum quæritur, quare bonæ & utiles humano generi plantæ & herbæ tam difficulter multiplicentur & conserventur, etiamsi appareant ex natura sua aptæ ad incredibilem sui propagationem propter abundantiam seminum virgultorum ramorumque, quæ omnia in totidem ejusdem spe-

ciei

(1) S Thom 1.par.qu.69.art.2. Id 2.2.qu.164.art.2 ad 1.
(2) Suar Opera 6.dier.li 2.ca 7. nu 9.
(3) Gen.2 v.2.
(4) Aug de Nat.Boni ca.36.
(5) Id.de Genes.ad lit.li.1.ca.18.
(6) Der.Physico-Theol.b.10. in notis
(7) Græv Cosmol.li.3.ca.2. sec.47.
(8) Virg.Georg.li.2.v.434.
(9) S Aug.de Gen.ad lit.li.1. ca 18.
(10) N evv. The Religious Phil, Contempl.13.sec.30.

tiei plantas novimus posse converti: & quare etiam nulla industria humana possint continuo exigi ab eodem campo eædem utiles fruges, sed opus sit illum otiosum aliquandiu relinquere, donec novas vires acquirat, quasi illæ exhaustæ jam fuerint in prima productione, dum interea spinæ & tribuli similem vim sui multiplicativam exerunt & exercent, quin propterea humus quicquam fertilitatis suæ amittat non solum ad ipsorum continuam renovationem, sed ne ad bonarum quidem productionem, siquis illis extirpatis has severit.

ARTICULUS VI.

Aliæ objectiones.

157. I. OBjicitur. Bonum est contrarium malo: sed unum contrarium nequit esse caussa alterius contrarii: sic calor nequit esse caussa frigoris, nec lux tenebrarum, & viceversa: ergo bonum nequit esse caussa mali.

Resp. dist. maj. Bonum est contrarium malo, si bonum & malum sumantur in concreto, scilicet pro re bona & re mala, conc. maj. si sumantur in abstracto, scilicet pro bonitate & malitia rei, nego maj. Nam ut supra (§. 47.) etiam notatum est, bonum & malum sumpta in abstracto non sunt contraria, sed privative opposita. Et omissa min. nego conseqm. Minor omittitur, quia non est universaliter vera. Verum quidem est illud quod est contrarium alteri per carentiam ejus perfectionis, quæ est in altero, non posse perfectionem hanc producere, qua caret. Sic quia corpus frigidum per carentiam caloris contrarium est corpori calido nequit quod frigidum est producere calorem. Verum etiam est illud, quod habet unam perfectionem, non posse producere oppositam, quando est caussa necessaria & ad unum effectum determinata. Sic quia calor est caussa determinata ad calefaciendum, & lux ad illuminandum, nec calor potest producere oppositum frigus, nec lux contrariam obscuritatem. At falsum est illud, quod non est caussa determinata ad unum effectum, sed libera ad agendum, & per aliquid quo caret alterum est ipsi contrarium, non posse hoc sibi oppositum producere. Sic dives, qui contrarius pauperi est, potest seipsum reddere pauperem, & alios relinquere in paupertate sua, vel hanc in illis etiam augere: & similiter fortis, qui contrarius est debili, potest se debilem facere, & aliunde debiles reddere debiliores: & qui ridet, potest in se excitare tristitiam, & alios jam tristes magis contristare.

 158. II. Ob-

158. II. Objicitur ex Scriptura. (1) *Deus hujus ſæculi excæcavit mentes infidelium*: ergo auctor hujus ſæculi, ſeu mundi viſibilis eſt malus.

Reſp. nego conſeqm. Apoſtolus Deum hujus ſæculi appellat Diabolum in eodem ſenſu, ac alibi (2) dixit ventrem eſſe Deum intemperantium, quia ſcilicet ſunt, qui his nequiſſime ſerviunt.

159. Inſtant. In Eccleſiaſte habemus (3) *Omnia opera, quæ fecit Deus, perſeverant in perpetuum*: In ſecunda autem ad Corinthios dicitur, (4) *quæ videntur temporalia ſunt*: ergo hæc temporalia a Deo non ſunt.

Reſp. nego conſeqm. Nam quæ videntur ſecundum materiam ſunt rigoroſe perpetua, ſecundum autem numerum, & multo magis ſecundum ſpeciem ſunt in eo ſenſu perpetua, quo quæ diu durant, perpetua ſolent dici, qui ſenſus palam eſt componi cum temporali duratione.



SE-

(1) 2. ad Corinth. 4. 4.
(2) Ad Philip. 3. v. 19.
(3) Eccle. 3. v. 14.
(4) 2. ad Corin. 4. v. 18.

SECTIO VI.

De Caussa efficiente & finali mali naturalis.

PROPOSITIO I.

Deus est caussa physica omnis mali naturalis non directe sed consequenter, quod cum malum est pure naturale, sive sit mere privativum sive etiam sensibile, non intendit ut finem sed ut medium ad aliquod bonum: cum vero non est malum pure naturale, sed habet rationem poenæ, intendere potest ut finem aliquem, & intendit in damnatis: atque etiamsi intendere possit mala poenæ hominum in hac vita ut finem, non tamen intendit nisi ut medium ad alia bona.

ARTICULUS I.

Argumenta pro prima secunda & tertia propositionis parte.

160 Rima pars est Deum esse caussam physicam omnis mali naturalis, cui S. Augustinus refert se opposuisse Coluthum quemdam cum suis, (1) *qui non videbat Deum creare mala, poenas justissimas irrogando*. Ea sic I. probatur. Malum naturale vel est a Deo solo, vel est a caussa aliqua etiam creata: Sed si est a Deo solo, jam ipse etiam solus est caussa illius physica: Sin autem sit etiam a caussa aliqua creata, ipse pariter propter suum concursum physicum & immediatum ad omnes & singulas actiones creaturarum, & propter activitatem ipsis creaturis ab eo attributam & conservatam est caussa illius physica: ergo. Hujus argumenti majorem negat Comes Ludovicus Barbieri. Et primam quidem disjunctivæ partem negat, quia Deum posse esse caussam efficientem mali naturalis, hoc est ut ipse interpretatur, do-

(1) S.Augustin.de Hæres.num. 66.

doloris, falsum & absonum statuit, quamvis fateatur esse sententiam communem. Potior ipsius ratio sic habet: Deus non est caussa efficiens mali moralis: atqui malum naturale identificatur cum malo morali: ergo Deus neque est caussa mali naturalis. Ipsius verba hæc sunt (1) *Dio non è causa efficiente del mal fisico, cioè del dolore, giacchè questo s'identifica con la colpa late & stricte considerata, e non si distingue da esse, se non per mentem*. Et alibi (2) *La distinzione tra la colpa e il dolore è bensì una distinzione per mentem, ma non già una distinzione reale, e questi due mali sono in realtà un mal solo*. Idem aliis in locis tum hujus libri (3), tum dissertationis *de delectatione & dolore*, tum dialogorum quos inscripsit *Veritates fundamentales*, quæ ab eodem hic citantur jam pridem edita, inculcat. Retuli ipsius repetita verba, quia incredibile videri poterat, ut quis hæc serio proferret, quæ idem valent, ac siquis affirmaret homines, qui voluptatibus indulgent, in doloribus versari: illos vero in peccatis aut culpa mori, qui animam in mediis cruciatibus etiam pro Christo toleratis expirant. Concludi igitur debet male ab hoc auctore negari primam illius disjunctivæ partem. Videamus jam, cur neget secundam, posse scilicet unam creaturam inferre malum aliquod naturale alteri. Ratio illius est, quia (4) *Creaturæ*, inquit, *sunt essentialiter incapaces ullius efficientiæ in alias creaturas*. Quod supponit certum ex iis argumentis, quibus Occasionalismus quem ipse amplectitur innititur. At cum hæc argumenta nulla esse alibi (5) planum fecerim, ostendens Occasionalismum omni rationi repugnare, perperam secunda etiam nostræ disiunctivæ pars negatur. Quandoquidem autem idem Auctor dicit, (6) *esse præjudicium commune nullis innixum expressis auctoritatibus Theologicis, quod Deus possit esse, & sit reipsa author mali naturalis* ideo.

161. II. Probatur ex illis Scripturæ, (7) *Bona & mala a Deo sunt. Nullum* (8) *est malum in civitate, quod non fecerit Dominus. Ego* (9) *Dominus formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum*: Quæ & alia similia quam plurima dicuntur de malo naturali præsertim poenæ, ut docent Interpretes; & posset exemplo Alphonsi de Sarasa (10) per historias omnis generis & temporis usque ad evidentiam confirmari: ergo.

162. Se-

(1) Barbi.Saggio di Metafis.par.1.ar.37
(2) Id.ibid.art.40.
(3) Id.ibid.ar 37.pag.343.& art.38. & in Conclusione.
(4) Id.ibid.art.40 circa finem.
(5) Diss.de Causs.Efficien.
(6) Barb.ibid.art.40.
(7) Eccli.ver.14 ca.11.
(8) Amos 3.
(9) Isai.45.ve.7.
(10) Saras.Ars gaudendi. par.1.trac. 9.

162. Secunda pars, Deum esse caussam physicam mali pure naturalis solum de consequenti, non directe, sic probatur. Illud est a causa physica per se directe, quod est terminus positivus actionis, illud vero est a caussa physica per accidens & de consequenti, quod est privatio perfectionis in termino positivo, qui quoties fit quid positivum, jam ex dictis (§. 35.) est aliquod bonum: Sed malum naturale non est terminus positivus actionis caussæ ullius physicæ, sed est privatio perfectionis in termino positivo: ergo Deus est caussa physica mali naturalis non per se & directe, sed per accidens & de consequenti. Major est definitio nominis, adeoque non subjecta falsitati. Eadem est etiam secundum modum loquendi ab aliis usitatum: sic S. Thomas dicit, (1) *Deus in rebus causando bonum ordinis universi, ex consequenti & quasi per accidens caussat corruptiones rerum*. Minor vero supra jam (§. 37.) demonstrata est.

163. Tertia pars, Deum non intendere malum pure naturale, ut finem, sed ut medium ad aliud bonum, sic probatur. Malum pure naturale est privatio alicujus perfectionis, hoc est alicujus boni: Sed de ratione finis est esse aliquod bonum: ergo malum pure naturale nequit habere rationem finis: ergo Deus nequit illud intendere tamquam finem: sed si nequit intendere tamquam finem, non repugnat illud intendere tamquam medium ad aliquod bonum; Nam Deum intendere malum pure naturale tamquam medium ad aliquod bonum, nihil aliud importat, quam Deum dare existentiam quibusdam creaturis mutabilem & defectibilem, ut etiam alia bona producat: in quo ex parte rerum existentium jam relucet Bonitas Dei, quæ ea, quæ nihil erant facit esse: ex parte vero defectibilitatis relucet libertas Divina, quæ donat esse rebus extra se pro suo libito: ex parte vero aliorum bonorum, quæ ex defectu primorum tamquam a principio quodam, quod Aristoteles vocavit privationem, redundant, relucet iterum Bonitas Dei conjuncta cum Sapientia & Bonitate se digna, quæ ex hujusmodi malis novit bona deducere: ergo Deus intendit malum pure naturale tamquam medium ad bonum.

Confirmantur singulæ partes verbis S. Thomæ, (2) *Deus*, inquit, *malum naturalis defectus, vel malum pœnæ vult, volendo aliquod bonum, cui conjungitur tale malum: sicut volendo justitiam vult pœnam, & volendo ordinem naturæ servari vult quædam naturaliter corrumpi*.

164. Hoc modo mala pure naturalia, quæ creaturas inanimatas

(1) S.Thom.1.par.qu.49.art.2.O. (2) S.Thom.1.pa qu.19.art.9.O.

matas afficiunt, ut ſunt alterationes & deſtructiones ipſarum, intendit Deus ad generationem & productionem aliorum bonorum, quæ continua varietate intelligentes creaturas oblectant vel conſervant, & divitias Potentiæ Dei oſtendunt. Quare hæc, ait Auguſtinus, (1) *damnabilia putare ridiculum eſt, cum iſtæ creaturæ cedendo ac ſuccedendo peragant infimam pulchritudinem... quæ rerum eſt ordo tranſeuntium*. Idem alibi, (2) *Fit*, inquit, *decedentibus & ſuccedentibus rebus temporalis quædam in ſuo genere pulchritudo: ſicut ſermo bene compoſitus utique pulcher eſt, quamvis in eo omnes ſyllabæ atque omnes ſoni tamquam naſcendo & moriendo tranſcurrunt*, quod eſt exemplum ab ipſo frequenter (3) in hac re adhibitum. Hinc talem Deus creavit materiam, & cum talibus legibus movit, ut voluerit per contrarios motus ipſius partes inter ſe pugnare; contrarietate enim motuum ſublata inutilis ea eſset ad varietatem productionum: pugna vero illa jam poſita, niſi certis etiam legibus fuiſset directa, ad deſtruendum tantummodo, non ad quicquam producendum ſeu ædificandum inſervifset.

165. Ii omnes, inter quos Io. Chriſtophorus Vvolfius (4), qui Bayle oppugnanti ex malis pure naturalibus Bonitatem Divinam, ſolent reſpondere illa nequaquam officere Bonitati Divinæ, quia ſunt neceſsariæ conſequentiæ materiæ a Deo creatæ, & motæ in contrarias directiones, confirmant hanc propoſitionis partem; & ex prolata probatione, quod ſcilicet hæc a Deo non intendantur propter ſe ſeu ut finis, ſed ut medium ad alia bona, intelligitur clarius, cur ea mala non officiant Bonitati Divinæ, quod nimis jejune videtur dictum ab illis, qui ſolum dicunt eas eſſe conſequentias neceſſarias materiæ creatæ. At non ita Maximus Tyrius, qui in ſuo de Origine mali ſermone clariſſime dixit, (5) *quæ apud nos opinionem malorum corruptioniſque habent, ea profecto ipſe Artifex ad ſalutem vult eſſe Univerſi*: & poſtquam meminit de terræmotibus inundationibus & incendiis ſubjungit: *Particulæ hæ corporum ſunt, affectionem igitur materiæ intueris, quam tu ideo corruptionem appellas, quod eam ex abeuntium rerum conſideras motu: at ego ſalutem appello, propterea quod futurarum rerum ſucceſſionem ob eam eſſe conjector. Inficiari enim non potes, hujuſmodi viis vitam ſibi ipſi ſuccedere, atque inde & mutationem corporum, & univerſi novationem creari*,

AR-

(1) S.Auguſt.de Civit.lib.12.cap 4.
(2) Id.de Nat.Boni.cap 8.
(3) Id cont.Adverſ. Legis li.1. cap.6. Id.de Vera Relig.cap.21. num,42. Id.cont.Epiſ Fundam.cap 41. nu. 47
(4) Vvolf.Manich.ſec.3.nu.37. & ſeq.
(5) Tyr.ſerm.23.num.148.

ARTICULUS II.

Objectiones contra tertiam partem.

166. I. OBiicitur. Corpora monstrosa sunt mala quædam naturalia, ita ut vulgo dicantur peccata naturæ: ergo nequeunt esse a Deo. Probatur consequentia. Hæc mala nihil conferunt ad Bonum universi: ergo intendi nequeunt a Deo, non jam ut finis, sed ne ut medium ad aliquod bonum.

Resp. conc. antec., & nego conseqm. Ad probationem autem nego antec. Conducentia monstrorum ad bonum Universi multiplex esse potest, etsi minus nobis appareat. Etenim ipsa in se considerata sunt adhuc opus insignis sapientiæ, & relucet in illis quædam rerum varietas, quæ ad Universi pulchritudinem pertinet, nec aliter monstra appellantur, nisi per comparationem ad alia, quæ novimus perfectiora, quorum pretium pluris jam facimus ex hac ipsa comparatione, quia juxta receptum axioma Aristotelis (1) *Opposita juxta se posita magis elucescunt*. Considerata autem prout referuntur ad caussas secundas, dici universim potest illa se habere tamquam tonos illos, qui in Musica considerati secundum se dumtaxat, dissonantiæ sunt, intermixti vero in serie eorum, qui consonantiæ sunt, ad augmentum pertinent harmoniæ. In particulari autem illud dici debet, quod si illorum monstrorum caussæ secundæ sint non liberæ, opus esset comprehendere omnium seriem & dependentiam, ut possemus cognoscere, quam bene & opportune monstra hæc congruant toti, tamquam ipsius quædam partes. Accidit enim, inquit S. Augustinus (2) *ut qui totum inspicere non potest tamquam deformitate partis offendatur, quoniam cui congruat & quo referatur ignorat*. Si autem sint caussæ liberæ, & ab hac ipsarum libertate monstrositas dependeat, relucet in illis hoc ipsum exercitium libertatis creatæ, quæ est donum Creatoris, quem nunquam pœnitet doni in nos collati.

167. Malebranchius confutatus ab Antonio Arnaldo (3) ausus est dicere Deum, qui juxta ipsum alibi (4) impugnatum solus omnia facit, facere hæc monstra per speciem quamdam necessitatis, utpote quæ sequuntur necessario leges universales, quas

(1) Arist.3.Rhetoric.2.
(2) S.Aug.de Civit.Dei li.16. ca 8.
(3) Arnau. Reflex. sur le syst. de la Nat.& de la Grac.li 1.cha 2. nu.5.
(4) Diss.de Caus.effici.nu.130.

quas ſibi ſtabilivit in rerum adminiſtratione ſervandas. Sed apage iſthæc doctrina, quæ tollit a Deo Libertatem & Sapientiam. Contra vero alius Arnaldus cognomento Sorbinus, colligens non ſine nimia credulitate aliqua monſtra humana, de quibus meminerunt Auctores, legit (1) in ſingulis ſignificationes admonitiones & comminationes Divinas eventuum futurorum, quæ laudanda quidem pietate, ſed neſcio quanta cum veritate ſatis tetrice perſequitur.

168. De Monſtroſis rebus quarum confertam hiſtoriam dedit Aldrovandus, quam ipſo mortuo Bartholomæus Ambroſinus digeſſit, latius diſputant Theologi (2), & videri poteſt S. Auguſtinus tum loco nuper citato, tum alibi (3). Nec reticendus eſt Thomas Bartholinus, qui ridicule ſatis a Cometarum influxu (4) monſtrorum originem derivavit. Recentius ſuper monſtris litigatum eſt vehementer, utrum ea ſint ſpecies quædam creaturarum, quas in prima creatione rerum Deus ſtabiliverit, ſeu ut ajunt an monſtra talia ſint per originem, an quod congruentius dicitur, talia ſint per accidens, hoc eſt ex fortuita in ordine ad nos circumſtantiarum combinatione, quæ impediat perfectionem individui alicujus in ea ſpecie, ad quam accedit monſtrum. Pro monſtris ex origine ſteterunt Vvinslovvius,, Hallerus, & Mairanus poſt Duvernejum, quem Trevoliani primum dicunt (5), qui hujus opinionis ſignum extulerit. Pro monſtris vero ex accidenti Lemeryus, & Geoffenus locis ab Alphonſo Nicolai (6) citatis, & Jacobus Parſons, qui ex occaſione deſcribendi in Tranſactionibus agnum monſtroſum propter ingens cornu pluſquam duos pedes longum, quod ipſi pendebat ex gutture citat (7) ſeipſum de his alibi agentem. Idem olim cenſuit S. Thomas. qui ea repetit ex aliqua corruptione, ſeu inordinatione in aliquo principiorum, concludens, (8) *ſic in actionibus rerum naturalium peccatum invenitur*. Fortaſſe poterit admitti alia ſententia inter utramque jam dictam media, eſſe aliqua monſtra per originem, *ex defectu virtutis proximi agentis*, alia per accidens, *ex concurſu contrariorum agentium ſeſe impedientium*, quod videtur ſentire Suarez (9), cujus ſunt prædicta verba. In neutris tamen, ſed in ſolis fabulis, ut cum Galeno probat Joannes Ciampoli (10), habent

(1) Sorbin.trac.de Monſtris.
(2) Theol.in 1 ſent.diſt.45., & in 2. diſt.35
(3) S.Auguſt.li. 83.qu.qu 24.
(4) Barthol. de Cometa Conſilium Medicum.
(5) Trev.ann.1747.art.79.pag.1480.
(6) Nicol.Lezion.13.di Scrittura.
(7) Tranſ.ann.1755.nu.29
(8) S Thom.1.2 qu.78.ar.1.O.
(9) Suar Metaph.diſp.9.ſec 2.nu.2,
(10) Ciam Proſe Diſc 1.ca 15.

habent locum Chirones & Minotauri, Chymæræ & Harpyiæ, tricipites Cerberi & Hydræ septemgeminæ.

169. II. Obiicitur. Incendia Terræmotus Fulmina, & aliæ similes rerum conversiones sunt mala pure naturalia, quæ sunt meræ destructiones: ergo non conferunt ad bonum Universi: ergo nullo modo possunt esse a Deo.

Resp. Omitto antec. & nego utramque conseqm. Omitto antec., quia quis tuto affirmare potest ista mala, quæ respectu rerum materialium, quæ incenduntur & evertuntur sunt mere naturalia, non inservire ad aliorum bonorum formationem? Nonne videmus ab Agricolis spargi cineres per campos ad feliciorem progressum satorum? Nonne solo æquantur ædificia amplissima quoties refugium latronum evadant? Conferre igitur similiter possunt mala objecta ad plura bona, & ad illa ab ipsorum Authore intendi, quemadmodum reipsa Maximus Tyrius ex dictis (§. 165.) asseruit. Pluche (1) tempestates vult esse ad correctionem aeris, qui ex nimia quiete densior factus, minus etiam salubris, aut alio modo utilis evasit, & ad impediendam nimiam insectorum multiplicationem. Sed quicquid de hoc sit, prima consequentia sine dubio est falsa propter rationes, quas infra asseram suadens Deum velle mala hujus vitæ ut medium ad alia bona. Hic ad intelligendam illius falsitatem satis est animadvertere quod nemo sanus dubitabit, an ea, quæ Deus facit, conducant ad bonum universale, prout ex materialibus, & spiritualibus creaturis constat, quia etsi determinare non possit singulorum, quæ obiiciuntur utilitatem, illa tamen semper erit, quæ nos moneat Potentiæ & Justitiæ Dei, præsertim quando ea non solum habeant rationem mali ratione sui, sed etiam respectivi ad nos, quibus ex improviso miseriam vel aliud quodvis inferant detrimentum.

170. III. Obiicitur. Mala, quibus afficiuntur Bruta æque gravia sunt, immo graviora etiam illis, quibus subjacet homo; Vita enim Brutorum est perquam misera, & mors in plerisque intempestiva; Quot enim occiduntur non solum pro quadam vitæ humanæ necessitate, sed etiam pro libito & voluptate hominum: quot præterea ante tempus pereunt ab aliis brutis carnivoris dilaniata, quæ multa sunt tum in terrestribus, sive domesticis ut canes & feles, sive silvestribus ut Leo & Lupus: tum in avibus ut Falcones & Milvi, & aliæ quæ solis piscibus aluntur; tum in ipsis piscibus, ex quibus minores sunt cibus majorum. Verum qui velit graphicam descriptionem infelicitatis aliquorum

(1) Plu. Spett. de la Nat, tom. 6. Entr. 1. §. Les tempetes pag. 54.

quorum Brutorum plenam commiserationis, dabit Bayles, cui referentibus Trevoltianis (1) placuit tomo secundo Responsionum ad quæstiones hominis ex Provincia, argumentum hoc pro causa Manichæorum vehementer urgere.

171. Certe Genuensis (2) imparem credit esse intellectum humanum ad inveniendam aptam in hac re explicationem; testaturque S. Augustinum id ad Dei imperscrutabilia arcana retulisse: & Bougeantius (3) ex malorum brutalium consideratione intulit Brutorum animam esse unum aliquem malum Dæmonem, qui in illis suæ in Deum perfidiæ modo poenas subit: & Cartesiani ex eadem inspectione confirmantur in sua opinione, quæ Bruta constituit esse mera automata; aliter inquit unus ex his Malebranchius (4) nos crudeles sumus & injusti, qui pro libito bruta occidimus, nec Deus infinite justus & omnipotens, quo (5) *res dirigente innocens dolore cruciatur*: ergo omnia saltem Brutorum mala non possunt ne indirecte quidem esse a Deo. Probatur consequentia, quia in Bruta non cadit neque ratio poenæ, per quam intelligatur aliqua Dei vindicta de quibusdam ipsorum peccatis, cum non habeant Bruta potentiam peccandi: neque cadit ratio meriti, per quam intelligitur homo etiam innocens posse illis subjacere cum sua utilitate, & sine ulla nota crudelitatis in ipsorum conditorem; Nam non solum demeriti, sed etiam meriti incapax est animal irrationale. Quare jam olim apud Augustinum invenitur hæc quæstio, (6) *Quid pecora meruerunt mali ut tanta patiantur incommoda?*

172. Resp. nego antec. Nam ut jure observat Jaquelotius (7), vis cognoscendi Brutorum est infimi gradus, & explicatur per hoc, quod in illis deficiat cognitio finis, propter quem condita sunt, & sollicitudo futuri, & generatim facultas reflectendi. Ex quo fit, ut illorum mala non sint tanta, quanta nos reflectendi vi præditi apprehendimus, (8) *Bruta*, inquit, Kingius, *dum vivunt, sine anxietate se fruuntur, saltem gaudent præsentibus, nec præteritorum memoria aut futuri metu cruciata*. Opportuno id ipsum exemplo Leibnitius (9) declarat, nimirum quod sicuti ad veram felicitatem requiritur conscientia ac reflexio ad bonum quod possidetur, & non sufficit sola perceptio boni, quare laudatur illud,

O For-

(1) Trev.ann.1706.art.59.pag.765.

(2) Gen.Elem.Metaph.par.2.App.De Anima brutorum §.7.

(3) Boug.Tratteni sopra il linguaggio delle Bestie.

(4) Mal.Defence contre M.de la Ville.

(5) Id.de Inquis-Verit.li.4 §.2.

(6) S.Aug.lib.3.de lib.arbii ca.23.

(7) Jaq Conform.de la Foy.par.2. c 6.

(8) King.de Orig.Mal.ca.4.sec.5. n.5.

(9) Leibn. Essai de Theodic. par. 3. nu.250.

O Fortunati nimium sua si bona norint Agricolæ:
ita pariter ad veram infelicitatem atque miseriam requiritur conscientia mali, quod actu premit, nec sufficit sola ipsius sensatio.

173. Hoc posito illud S. Augustini (1) *sub Deo justo miser esse quisquam nisi mereatur, non potest*, nullam objectionem patitur alicujus momenti a brutorum malis, quia bruta non sunt proprie misera, cum quævis ipsorum mala accedant ad mala puræ privationis (§.12.), certe longe abesse ab illa ratione mali sensibilis, quæ invenitur in hominibus, qui sua uti possunt ratione, facile concipimus obiiciendo nobis ante oculos statum amentium vel infantium, quos quia scimus rationis usu expertes, certi sumus longe minus pati iis malis sensibilibus, quibus illos objectos videamus, ac nos patiamur. Ridiculum igitur est misereri conditionis brutorum, quæ sibi mutuo insidiantur, & plane stultum accusare sapientiam aut bonitatem Creatoris, in illis, quæ indolem carnivoram habent, condendis. Etsi enim magni nominis Authores apud Suarez (2) tenent solum post peccatum hominis appetitum carnium ortum esse in brutis, attamen hoc non concluserunt ex ratione adversariorum, sed præcipue ex quibusdam S. Scripturæ loquutionibus, quas revera ad hanc opinionem non deducere censuit S. Thomas, qui eam appellavit (3) *omnino irrationabilem*.

174. Falsitas antecedentis facta jam est manifesta; Illud nunc addam, quod quæcunque sint brutorum mala, ea intelliguntur esse consequentiæ necessariæ constitutionis & conditionis ipsorum naturæ, quæ condita est morti & corruptioni obnoxia, & servituti nostræ addicta. Potuerunt igitur ea mala intendi cum laude Creatoris, quia non intenduntur hoc fine, ut sint in singulis eæ perpessiones, quibus afficiuntur, sed ex aliis Deo optimo dignis, quales sunt illi, de quibus meminit S. Augustinus objectæ quæstioni respondens, *quid pecora meruerunt mali?* Ac I. ut in brutis sic constitutis habeatur genus quoddam particulare creaturarum, superans multa alia earumdem genera imperfectiora, & deficiens ab aliis perfectioribus. *Isti calumniosi*, sic ille, *& talium quæstionum non studiosissimi examinatores, sed loquacissimi ventilatores hæc dicunt vel sentiunt, quia iniquissime de rebus existimant, qui cum summum bonum, quod & quantum sit aspicere nequeant, talia volunt esse omnia, quale putant summum bonum; ideoque inordinatissime flagitant, ut nec mortem nec ullam corruptionem pa-*

Rr 2

(1) S. Aug. Oper. imperf. contr. Julian. li. 1. art. 39.
(2) Sua. Opera sex dier li. 5. ca. 6. n. 19.
(3) S. Tho. 1. par. qu. 96. art. 1. ad 2.

patiantur corpora bestiarum, quasi non sint mortalia, cum sint infima, aut ideo mala sint, quia sunt cælestia meliora.

175. II. Ut per ipsos dolores, quibus subjacent sit illorum conservationi bene provisum. *Dolor*, sic S. Doctor prosequitur, *quem bestiæ sentiunt, animarum etiam bestialium vim quamdam in suo genere mirabilem laudabilemque commendat. Hoc ipso enim satis apparet in regendis animandisque suis corporibus, quam sint appetentes unitatis. Quid est enim aliud dolor, nisi quidam sensus divisionis vel corruptionis impatiens?* III. ut nos talium dolorum in brutis contemplatores magis proficeremus in tam proficua nobis cognitione creatoris. *Non appareret*, sic idem, *quantus inferioribus creaturis animalibus esset appetitus unitatis, nisi dolore bestiarum. Quod si non appareret, minus quam opus esset admoneremur ab illa ineffabili unitate Creatoris esse omnia ista constituta.* Hæc ex Augustino oppono Genuensi, qui nescio ubi in ipso legerit eum habere brutorum mala inter mysteria. IV. Hoc etiam addo, ut nos tanto brutis perfectiores ipsorumque dominio donati, multi generis commodis per ipsa frueremur. Sic quæ animalia insidiantur aliis, ut canis lepori, accipiter avibus, præbent homini, qui omnibus dominatur, multi generis voluptates. Sic mors insectorum, quæ ab avibus præsertim vorantur, reddunt has magis jucundas nostris mensis. Sic per equos sub curru, & per boves sub aratro sudantes succurrimus nobis in omnibus, quæ ad vitam ipsam, ipsiusque solatium spectant. Atque quia nunquam deest nobis eadem brutorum copia, quamvis continua fiat a nobis, & ab ipsismet brutis eorumdem destructio, cogimur iterum Dei potentiam confiteri ineffabilem & prædicare.

176. His rite perpensis manifestum est ex hoc capite opus non esse in illa Cartesii & Bougeantii opposita inter se commenta abire, & risu dignum esse Malebranchium, qui hoc argumentum ad negandam animam brutis vocat *rationem abstractam mentis puræ per se certissimam & evidentissimam*, detorquens etiam ad hoc propositum illud si bene memini S. Augustini paulo ante allatum testimonium, nemo miser nisi mereatur, quod fecit pariter Dalembertus, propterea reprehensus a Chaumeix (1) quasi S. Doctor illud dixerit de quavis creatura, vel crediderit animam hominis & bruti esse ejusdem speciei, vel de brutorum malis ex professo agens apertissime ipsis non contradixerit.

AR-

(1) Chau. Prejugez sec. 3. cha. 8. art. X.

ARTICULUS III.

Argumenta pro quarta propositionis parte.

177. Quarta propositionis pars, malum pœnæ potest Deus intendere etiam ut finem, sic probatur cum Suarez (1). Malum pœnæ respectu caussæ illud inferentis est bonum, & quidem honestum, justa scilicet culpæ vindicta: Atqui bonum honestum, potest intendi ut finis: ergo malum pœnæ potest Deus intendere ut finem. Majorem aperte asserit S. Augustinus dicens, (2) *Cum in pœnis est natura vitiosa, etiam hoc ibi bonum est, quod impunita non est; hoc enim est justum, & omne justum procul dubio bonum*, quibus similia alibi (3) etiam habet; eademque suadetur, tum quia ex terminis patet bonum esse, quod res mala habeat malum, tum quia homines ipsi cum laude sunt authores pœnæ, utpote ponentes id, quod ut loquar cum Pallavicino (4) *est bonum per proportionem ad illam malitiam, quam inveniunt positam ab ipsis punitis*: tum quia expresse habemus in S. Scriptura, (5) *Bona & mala, vita & mors a Deo sunt*, in quem locum dicit S. Augustinus apud Cornelium a Lapide, (6) *quæ duo non esse contraria profecto videt, quisquis ab operibus divinis Judicia divina discernit, quia aliud est creando non instituisse mortalem, aliud judicando plectere peccatorem*: tum tandem quia sic arguitur. In tantum honestum non esset velle alicui malum pœnæ ut finem, in quantum hoc significaret velle illi malum præcise, quia illius malum est, quod utpote includens odium inimicitiæ omnino illicitum est, & certe non cadit in Deum, de quo scriptum est (7) *Nihil odisti eorum, quæ fecisti*: Atqui velle alicui malum pœnæ non significat velle illi malum præcise, quia illius malum est, sed quia id exigit justitiæ virtus, quemadmodum ipsum nomen malum pœnæ satis exprimit: ergo.

178. Quod autem malum pœnæ intendat Deus reipsa ut finem saltem aliquem respectu Damnatorum, nam finis ultimus omnium rerum est Gloria Dei, extra controversiam esse puto. Fuit quidem Kingius apud Vvolfium (8), qui putavit pœnam æternam damnatorum intendi a Deo ad finem confirmandi bonos in sua electione. At si loquatur de Bonis jam beatis, hi sunt

(1) Suar. Metaph disp. 11. sec. 3. nu. 3.
(2) S Aug. de Civit. li. 12. ca. 3.
(3) Id. in Psal. 32. enarr. 2. n. 2.
(4) Pal. in 1. 2. dis. 3. qu. 2. art. 4. nu. 1.
(5) Eccli. 11. v. 14.
(6) a Lapide ib.
(7) Sap. 10. v. 25.
(8) Vvol. Manich. sec. 3. nu. 43.

sunt jam ex statu suæ Beatitatis tam confirmati in bono, ut certi sint se nunquam ab illo posse desciscere. Quare horum respectu nequit habere locum hujusmodi finis. Sin autem loquatur, ut conjecit Petrus Bayle apud eumdem Vvolfium, de aliis novis creaturis rationalibus a Deo condendis post Universale Judicium, quibus identidem damnati apparituri sint, suamque miseriam manifestaturi, ut hoc modo illas confirment, & urgeant ad boni prosequutionem, hæ sunt hypotheses prorsus arbitrariæ.

ARTICULUS IV.

Objectiones contra quartam partem.

179. OBiicitur. Deum intendere quovis modo malum poenæ æternæ non componitur cum ejus infinita bonitate: ergo non potest illud intendere.

Resp. nego antec. Ex eo enim, quod Bonitas Dei sit infinita, non infertur ipsam debere pugnare cum Sapientia, Justitia, & aliis Divinis Perfectionibus pariter infinitis. Bonitas Dei enituit maxima in producendis ex nihilo creaturis tantæ perfectionis, quantæ sunt intellectuales, quæ possunt ex suo arbitrio Legi suæ obtemperare, easdem ad hanc obedientiam alliciendo promissione præmii æterni, & certa poenæ æternæ declaratione ab inobedientia deterrendo, & diuturna fortasse longanimitate dando ipsis incitamentum & spatium ad poenitentiam. Eadem etiam enitet in sincero etsi inefficaci amore in ipsas sic æternum damnatas, quatenus nollet eas unquam commisisse culpas, pro quibus easdem punit, quem amorem exprimit Scriptura describens Deum lamentantem, dum poenam etiam comminatur, (1) *Heu vindicabor de inimicis meis*, utpote facientem, ut alibi dicitur, (2) *opus alienum & peregrinum ab eo*: quemadmodum terreni judices damnant efficaciter reum, quia Justitia id exigit, etsi simul inefficaciter illum amant, quia vel humana indoles vel amicitia id exposcunt. Præterea si Bonitati Dei non solum non repugnat indixisse poenas æternas peccantibus contra sua præcepta quin immo illam commendat, quia ut sæpe ait S. Jo. Chrysostomus (3) metu etiam gehennæ ad regnum nos cogit, curnam debet repugnare exequi in promeritos hujusmodi comminationem? Hoc igitur nullo modo Dei Bonitati repugnat, quod aliunde exigitur ab ejusdem Justitia Immutabilitate & Veracitate.

171. Ali-

(1) Isa. ca. 1.
(2) Isa. ca. 28.

(3) Chry. Hom. 23. in Gen.
Id. Hom. 16. in 1. ad Timoth.

180. Aliqui ausi sunt tantam vim concedere huic objectioni, ut eidem tamquam cuidam demonstrationi innitentes negaverint æternitatem pœnarum pro creaturis, quæ in suis peccatis statum viæ terminaverint, quod in Fide Catholica nefas est, ut Jo. Vincentius Patuzzi ostendit in libro *de futuro Impiorum statu*, quem contra illos Veronæ edidit anno 1748. Ex his fuerunt Locke, & Tindalus a Csapodio (1) confutati, & auctor libri, *Principia philosophiæ moralis*, qui gallice prodiit Genevæ an. 1754, & refellitur a Valsecchio (2), & Voltaire in suo Henriadis poemate, pleno liberis cogitationibus, & audacibus assertionibus, ut ipse idem ait in Nuncupatoria ad Angliæ Reginam, quæ habetur in Londinensi editione anni 1728, ubi sacrilege inducit S. Regem Ludovicum, qui Henrico IV. se conspiciendum præbens, ipsum monet, ne credat (3) *Deum punire breves & fugaces actus luxuriæ suppliciis æternis*, quod alibi deinde, ut notant etiam Trevoltiani (4) repetit. Habent hi præeuntes sibi Stoicos, qui operose propugnabant alienum esse a Natura Divina irasci impiis & injustis, contra quos egit Lactantius (5) eosdem expostulans de inchoærentia doctrinæ, dum a Deo pios justosque diligi tenebant; *Nam diligere*, inquit, *bonos*, *ex odio malorum venit*.

Immediate magis iisdem prælusit Origenes, ut communius dicitur, & aliqui citati a Vvolfio (6) ex professo contendunt, vel saltem hæretici ignoti, qui hunc errorem in aliquibus ipsius libris inseruerunt, ut multi referente Suarez (7) colligunt ex eo, quod contrarium sæpe in aliis locis aperte ab ipso doceri invenìatur. Et alii quidem negant resurrectionem reproborum, citantes pro se illud (8) *Non resurgent impii in judicio*. Sed Scriptura addit *justorum*. Quare ibi non negatur absolute resurrectio etiam impiorum, de qua expresse scriptum est (9) *Resurrectio futura justorum & iniquorum*, & alibi (10) *Omnes quidem resurgemus*: sed sensus inter alios, quos afferunt Interpretes, & cui favet textus Hebraicus apud Bellarminum (11) est, quod impii in judicio jacebunt consternati, dum interea justi stabunt. Præterea nisi dicant animas reproborum tandem in nihilum abituras, jam videntur in illis agnoscere æternitatem potioris pœnæ, quæ in carentia Visionis Dei consistit.

173. Alii

(1) Csa. Relig. revel. nu. 25.
(2) Vals. Fondam. della Relig li. 3. par. 1. ca. 10. nn. 7.
(3) Volt. Chan. 7. paulo ante medium.
(4) Trev. ann. 1757. art. 48. pag. 1092.
(5) Lac. de Ira Dei ca. 5.
(6) Vvolf. Manich. sec. 3. nu. 4.
(7) Suar. in 1. 2. tr. 5. disp. 7. sec. 3. nu. 4.
(8) Psal. 1. 5.
(9) Act. ca 24. v. 15.
(10) 1. ad Corinth. ca. 15. v. 51.
(11) Bell. In psalm.

Alii putant eos quidem resurrecturos, sed post aliquod tempus poenarum, vel vi Divina in nihilum abituros, vel vi poenarum fore omnino purgatos. Primam partem aliqui promovent ex Chaldaica interpretatione illius (1) *Unus interitus est hominis & jumentorum* cum iis, quae sequuntur, quod cum dictum esset de omni homine quantum ad corpus dumtaxat, versio illa ita reddit, ut dicatur de solo quidem peccatore, & non quantum ad corpus dumtaxat, sed etiam quantum ad animam. Verum Cornelius a Lapide in eum locum monet (2) hujusmodi versionem contrariam esse aliis bibliis Latinis Hebræis Græcis Syris & Arabicis. Secundam vero partem, quam jam olim S. Augustinus iterum iterumque (3) impugnaverat, Auctor quidam Anglus recentius amplexus est, contendens omnem pœnam pro quibusvis peccatis futuram temporariam. Quare Infernum damnatorum convertit in locum ut ipse ait purificationis, refugiens credo vocabulum Purgatorii, utpote adhibitum a Catholicis. Hujus systema secunda vice editum anno 1733. impugnant Trevoltiani (4), & fusiori opere Sinsartus: cujus synopsim iidem afferunt (5). Brevi certe illud evertitur ex eo, quod æternitatis poenarum in damnatis habeatur aperta & frequens Revelatio Divina, nulli subjecta interpretationi post repetitas definitiones Sextæ Synodi actione II., Concili Lateranensis (6), & Tridentini (7).

Alii statuunt Infernum Improborum consistere in sola exclusione a Visione Dei, remota omni alia perpessione. Sic Jaquelotius apud Vvolfium (8) & Trevoltianos (9). At Scriptura graphice describit etiam pœnas sensuum.

Alii credunt damnatos fore similes illis mentecaptis, qui etiam in vinculis & carcere sibi plaudunt, & læti vegetant. Sic Kingius apud eumdem Vvolfium (10). At Scriptura testatur damnatos sensuros suam miseriam, & de illa æternum dolituros acerbissime.

Alii tandem accipiunt Scripturas de Inferno & poenis ejus loquentes in sensu tantum comminatorio, non vero assertivo, atque hoc modo relinquunt locum arbitrio Dei illas pro suo libito terminandi. Sic olim illi, quos quamplurimos dixit esse S. Au-

(1) Eccle.ca.3 v.19.
(2) a Lapi.col.2.
(3) S.Aug.de Fide & operibus cap.15. Id.de Civit Dei li 21.per plura capita
(4) Trev.an.1735.art 116.pag.2398.
(5) Ibid.an.1749.ar.36.pag.667.& art. 55.pag.1021.
(6) c Firmiter.de Sum.Trinitate.
(7) Triden.sess.6.ca.14.
(8) Vvolf.Manic.sec.3.nu.43.
(9) Trev.ann.1706.art.86 pag.1110.
(10) Vvol.Manich.sec.3.nu.43.

S. Augustinus (1) eosdem confutans, quemadmodum deinde fecit, & S. Thomas in additionibus ad tertiam partem (2): Hos recentius sequuti sunt Stillingfleetus apud eumdem Vvolfium (3), Henricus Morus, & Tillotsonus apud Pictetum (4), & Joannes Clericus iterum iterumque (5), & Pastores Ecclesiæ Genevensis si credimus Dalembertio, qui hoc illis tribuit in Encyclopædia ad articulum *Geneve*, de quo tamquam de calumnia illum expostulat Jo. Jac. Rousseau apud Chaumeix (6). At licentia est in hujusmodi interpretatione explosa a communi sensu Ecclesiæ Catholicæ, quæ negat accipi posse conditionate, quæ S. Scriptura satis aperte significat accipienda esse ut absolute pronunciata, præsertim cum adsint in hac ipsa æternitate pœnarum aliquæ etiam a nobis intelligibiles rationes, quas immerito Cartesius ceteroquin contemnens Libertinorum objectiones nollet exquiri aut proponi (7) *tamquam injuriam facientes veritatibus, quæ a Fide pendent*.

182. Prima satis communis inter Theologos est, quod peccatum grave, quatenus offensa Dei infinitæ Bonitatis, habeat malitiam quamdam infinitam, cui proinde convenit pœna extensive saltem infinita, quam rationem suse declarat etiam ex Heterodoxis Pictetus (8).

Secunda est, quia homo peccans & moriens sine retractatione peccati præsefert deliberatam voluntatem nunquam desistendi a peccando: profecto in peccato non retractato moriens, secum illud defert, & consequenter pœnam illi sociam: & quia illud æternum est, hæc etiam justissime æterna est. S. Augustinus rationem hanc probavit, ubi de hac & similibus quæstionibus, quas Deogratias Carthaginensis Presbyter, ut sibi ab Ethnico philosopho propositas, cum ipso communicavit, respondit (9) *æterna supplicia remetiuntur, ut quia æternam voluit habere peccati perfruitionem, æternam vindictæ inveniat severitatem*. Eamdem dedit etiam S. Gregorius M. Petro Diacono quærenti (10) *Quomodo justum sit, ut culpa, quæ cum fine perpetrata est, sine fine puniatur*; cui Gregorius: *Iniqui ideo cum fine deliquerunt, quia cum fine vixerunt; Nam voluissent utique si potuissent sine fine*

Ss pecca-

(1) S.Aug.Enchi.ca.112.
(2) S.Thom.addit.qu.ulti.ar 3.ad 3.
(3) Vvol.Manich.sec 3.nu.43.
(4) Pict. cont. l'Indiffer. des Relig. cha.17.
(5) Clerc.Parrhasiana tom.1.pag.311. Id.Bibl.selec.tom.8.
(6) Chau.Prejug.li.2.sec.3.cha.5.art. 4.
(7) Cart.Epi.par.1.epi.110.
(8) Pic.cont.l'Indiff.des Relig.cha.7. & seq.
(9) S.Aug.li.6.quæst.contra Pagan.qu. 4.nu.27.
(10) Greg.li.4.Dial.ca.44.

quas ſibi ſtabilivit in rerum adminiſtratione ſervandas. Sed apage iſthæc doctrina, quæ tollit a Deo Libertatem & Sapientiam. Contra vero alius Arnaldus cognomento Sorbinus, colligens non ſine nimia credulitate aliqua monſtra humana, de quibus meminerunt Auctores, legit (1) in ſingulis ſignificationes admonitiones & comminationes Divinas eventuum futurorum, quæ laudanda quidem pietate, ſed neſcio quanta cum veritate ſatis tetrice perſequitur.

168. De Monſtroſis rebus quarum conſertam hiſtoriam dedit Aldrovandus, quam ipſo mortuo Bartholomæus Ambroſinus digeſſit, latius diſputant Theologi (2), & videri poteſt S. Auguſtinus tum loco nuper citato, tum alibi (3). Nec reticendus eſt Thomas Bartholinus, qui ridicule ſatis a Cometarum influxu (4) monſtrorum originem derivavit. Recentius ſuper monſtris litigatum eſt vehementer, utrum ea ſint ſpecies quædam creaturarum, quas in prima creatione rerum Deus ſtabiliverit, ſeu ut ajunt an monſtra talia ſint per originem, an quod congruentius dicitur, talia ſint per accidens, hoc eſt ex fortuita in ordine ad nos circumſtantiarum combinatione, quæ impediat perfectionem individui alicujus in ea ſpecie, ad quam accedit monſtrum. Pro monſtris ex origine ſteterunt Vvinslovvius,, Hallerus, & Mairanus poſt Duvernejum, quem Trevoliani primum dicunt (5), qui hujus opinionis ſignum extulerit. Pro monſtris vero ex accidenti Lemeryus, & Geoffenus locis ab Alphonſo Nicolai (6) citatis, & Jacobus Parſons, qui ex occaſione deſcribendi in Tranſactionibus agnum monſtroſum propter ingens cornu pluſquam duos pedes longum, quod ipſi pendebat ex gutture citat (7) ſeipſum de his alibi agentem. Idem olim cenſuit S. Thomas, qui ea repetit ex aliqua corruptione, ſeu inordinatione in aliquo principiorum, concludens, (8) *ſic in actionibus rerum naturalium peccatum invenitur*. Fortaſſe poterit admitti alia ſententia inter utramque jam dictam media, eſſe aliqua monſtra per originem, *ex defectu virtutis proximi agentis*, alia per accidens, *ex concurſu contrariorum agentium ſeſe impedientium*, quod videtur ſentire Suarez (9), cujus ſunt prædicta verba. In neutris tamen, ſed in ſolis fabulis, ut cum Galeno probat Joannes Ciampoli (10), habent

(1) Sorbin.trac.de Monſtris.
(2) Theol.in 1 ſent.diſt.45., & in 2. diſt 35
(3) S.Auguſt.li. 83.qu.qu 24.
(4) Barthol. de Cometa Conſilium Medicum.
(5) Trev.ann 1747.art.79.pag.1480.
(6) Nicol.Lezion.13.di Scrittura.
(7) Tranſ.ann.1755.nu.29
(8) S Thom.1.2 qu.78.ar.1.O.
(9) Suar Metaph.diſp.9.ſec 2.nu.2,
(10) Cian Proſe Diſc 1.ca 15.

habent locum Chirones & Minotauri, Chymæræ & Harpyiæ, tricipites Cerberi & Hydræ septemgeminæ.

169. II. Obiicitur. Incendia Terræmotus Fulmina, & aliæ similes rerum conversiones sunt mala pure naturalia, quæ sunt meræ destructiones: ergo non conferunt ad bonum Universi: ergo nullo modo possunt esse a Deo.

Resp. Omitto antec. & nego utramque conseqm. Omitto antec., quia quis tuto affirmare potest ista mala, quæ respectu rerum materialium, quæ incenduntur & evertuntur sunt mere naturalia, non inservire ad aliorum bonorum formationem? Nonne videmus ab Agricolis spargi cineres per campos ad feliciorem progressum satorum? Nonne solo æquantur ædificia amplissima quoties refugium latronum evadant? Conferre igitur similiter possunt mala objecta ad plura bona, & ad illa ab ipsorum Authore intendi, quemadmodum reipsa Maximus Tyrius ex dictis (§. 165.) asseruit. Pluche (1) tempestates vult esse ad correctionem aeris, qui ex nimia quiete densior factus, minus etiam salubris, aut alió modo utilis evasit, & ad impediendam nimiam insectorum multiplicationem. Sed quicquid de hoc sit, prima consequentia sine dubio est falsa propter rationes, quas infra afferam suadens Deum velle màla hujus vitæ ut medium ad alia bona. Hic ad intelligendam illius falsitatem satis est animadvertere quod nemo sanus dubitabit, an ea, quæ Deus facit, conducant ad bonum universale, prout ex materialibus, & spiritualibus creaturis constat, quia etsi determinare non possit singulorum, quæ obiiciuntur utilitatem, illa tamen semper erit, quæ nos moneat Potentiæ & Justitiæ Dei, præsertim quando ea non solum habeant rationem mali ratione sui, sed etiam respectivè ad nos, quibus ex improviso miseriam vel aliud quodvis inferant detrimentum.

170. III. Obiicitur. Mala, quibus afficiuntur Bruta æque gravia sunt, immo graviora etiam illis, quibus subjacet homo; Vita enim Brutorum est perquam misera, & mors in plerisque intempestiva; Quot enim occiduntur non solum pro quadam vitæ humanæ necessitate, sed etiam pro libito & voluptate hominum: quot præterea ante tempus pereunt ab aliis brutis carnivoris dilaniata, quæ multa sunt tum in terrestribus, sive domesticis ut canes & feles, sive silvestribus ut Leo & Lupus: tum in avibus ut Falcones & Milvi, & aliæ quæ solis piscibus aluntur; tum in ipsis piscibus, ex quibus minores sunt cibus majorum. Verum qui velit graphicam descriptionem infelicitatis aliquorum

(1) Plu.Spett.de la Nat,tom.6.Entr.1.§.Les tempetes pag.54.

quorum Brutorum plenam commiserationis, dabit Bayles, cui referentibus Trevoltianis (1) placuit tomo secundo Responsionum ad quæstiones hominis ex Provincia, argumentum hoc pro causa Manichæorum vehementer urgere.

171. Certe Genuensis (2) imparem credit esse intellectum humanum ad inveniendam aptam in hac re explicationem; testaturque S. Augustinum id ad Dei imperscrutabilia arcana retulisse: & Bougeantius (3) ex malorum brutalium consideratione intulit Brutorum animam esse unum aliquem malum Dæmonem, qui in illis suæ in Deum perfidiæ modo poenas subit: & Cartesiani ex eadem inspectione confirmantur in sua opinione, quæ Bruta constituit esse mera automata; aliter inquit unus ex his Malebranchius (4) nos crudeles sumus & injusti, qui pro libito bruta occidimus, nec Deus infinite justus & omnipotens, quo (5) *res dirigente innocens dolore cruciatur*: ergo omnia saltem Brutorum mala non possunt ne indirecte quidem esse a Deo. Probatur consequentia, quia in Bruta non cadit neque ratio poenæ, per quam intelligatur aliqua Dei vindicta de quibusdam ipsorum peccatis, cum non habeant Bruta potentiam peccandi: neque cadit ratio meriti, per quam intelligitur homo etiam innocens posse illis subjacere cum sua utilitate, & sine ulla nota crudelitatis in ipsorum conditorem; Nam non solum demeriti, sed etiam meriti incapax est animal irrationale. Quare jam olim apud Augustinum invenitur hæc quæstio, (6) *Quid pecora meruerunt mali ut tanta patiantur incommoda?*

172. Resp. nego antec. Nam ut jure observat Jaquelotius (7), vis cognoscendi Brutorum est infimi gradus, & explicatur per hoc, quod in illis deficiat cognitio finis, propter quem condita sunt, & sollicitudo futuri, & generatim facultas reflectendi. Ex quo fit, ut illorum mala non sint tanta, quanta nos reflectendi vi præditi apprehendimus, (8) *Bruta*, inquit, Kingius, *dum vivunt, sine anxietate se fruuntur, saltem gaudent præsentibus, nec præteritorum memoria aut futuri metu cruciata*. Opportuno id ipsum exemplo Leibnitius (9) declarat, nimirum quod sicuti ad veram felicitatem requiritur conscientia ac reflexio ad bonum quod possidetur, & non sufficit sola perceptio boni, quare laudatur illud,

O For-

(1) Trev.ann.1706.art.57.pag.765.
(2) Gen.Elem.Metaph.par.2.App.De Anima brutorum §.7.
(3) Boug.Tratteni-sopra il linguaggio delle Bestie.
(4) Mal.Defence contre M.de la Ville.
(5) Id.de Inquis-Verit.li.4 §.2.
(6) S.Aug.lib.3.de lib.arbii ca.23.
(7) Jaq Conform.de la Foy.par.2. c 6.
(8) King.de Orig.Mal.ca.4.sec.5. n.5.
(9) Leibn. Essai de Theodic. par. 3. nu.250.

O Fortunati nimium sua si bona norint Agricolæ:
ita pariter ad veram infelicitatem atque miseriam requiritur conscientia mali, quod actu premit, nec sufficit sola ipsius sensatio.

173. Hoc posito illud S. Augustini (1) *sub Deo justo miser esse quisquam nisi mereatur, non potest*, nullam objectionem patitur alicujus momenti a brutorum malis, quia bruta non sunt proprie misera, cum quævis ipsorum mala accedant ad mala puræ privationis (§.12.), certe longe abesse ab illa ratione mali sensibilis, quæ invenitur in hominibus, qui sua uti possunt ratione, facile concipimus obiiciendo nobis ante oculos statum amentium vel infantium, quos quia scimus rationis usu expertes, certi sumus longe minus pati iis malis sensibilibus, quibus illos objectos videamus, ac nos patiamur. Ridiculum igitur est misereri conditionis brutorum, quæ sibi mutuo insidiantur, & plane stultum accusare sapientiam aut bonitatem Creatoris, in illis, quæ indolem carnivoram habent, condendis. Etsi enim magni nominis Authores apud Suarez (2) tenent solum post peccatum hominis appetitum carnium ortum esse in brutis, attamen hoc non concluserunt ex ratione adversariorum, sed præcipue ex quibusdam S. Scripturæ loquutionibus, quas revera ad hanc opinionem non deducere censuit S. Thomas, qui eam appellavit (3) *omnino irrationabilem*.

174. Falsitas antecedentis facta jam est manifesta; Illud nunc addam, quod quæcunque sint brutorum mala, ea intelliguntur esse consequentiæ necessariæ constitutionis & conditionis ipsorum naturæ, quæ condita est morti & corruptioni obnoxia, & servituti nostræ addicta. Potuerunt igitur ea mala intendi cum laude Creatoris, quia non intenduntur hoc fine, ut sint in singulis eæ perpessiones, quibus afficiuntur, sed ex aliis Deo optimo dignis, quales sunt illi, de quibus meminit S. Augustinus objectæ quæstioni respondens, *quid pecora meruerunt mali?* Ac I. ut in brutis sic constitutis habeatur genus quoddam particulare creaturarum, superans multa alia earundem genera imperfectiora, & deficiens ab aliis perfectioribus. *Isti calumniosi*, sic ille, *& talium quæstionum non studiosissimi examinatores, sed loquacissimi ventilatores hæc dicunt vel sentiunt, quia iniquissime de rebus existimant, qui cum summum bonum, quod & quantum sit aspicere nequeant, talia volunt esse omnia, quale putant summum bonum; ideoque inordinatissime flagitant, ut nec mortem nec ullam corruptionem* pa-

(1) S. Aug. Oper. imperf. contr. Julian. li.1. art.39.
(2) Sua. Opera sex dier li.5. ca.6. n.19.
(3) S. Tho. 1. par. qu. 96. art. 1. ad 2.

patiantur corpora bestiarum, quasi non sint mortalia, cum sint infima, aut ideo mala sint, quia sunt cælestia meliora.

175. II. Ut per ipsos dolores, quibus subjacent sit illorum conservationi bene provisum. *Dolor*, sic S. Doctor prosequitur, *quem bestiæ sentiunt, animarum etiam bestialium vim quamdam in suo genere mirabilem laudabilemque commendat. Hoc ipso enim satis apparet in regendis animandisque suis corporibus, quam sint appetentes unitatis. Quid est enim aliud dolor, nisi quidam sensus divisionis vel corruptionis impatiens?* III. ut nos talium dolorum in brutis contemplatores magis proficeremus in tam proficua nobis cognitione creatoris. *Non appareret*, sic idem, *quantus inferioribus creaturis animalibus esset appetitus unitatis, nisi dolore bestiarum. Quod si non appareret, minus quam opus esset admoneremur ab illa ineffabili unitate Creatoris esse omnia ista constituta.* Hæc ex Augustino oppono Genuensi, qui nescio ubi in ipso legerit eum habere brutorum mala inter mysteria. IV. Hoc etiam addo, ut nos tanto brutis perfectiores ipsorumque dominio donati, multi generis commodis per ipsa frueremur. Sic quæ animalia insidiantur aliis, ut canis lepori, accipiter avibus, præbent homini, qui omnibus dominatur, multi generis voluptates. Sic mors insectorum, quæ ab avibus præsertim vorantur, reddunt has magis jucundas nostris mensis. Sic per equos sub curru, & per boves sub aratro sudantes succurrimus nobis in omnibus, quæ ad vitam ipsam, ipsiusque solatium spectant. Atque quia nunquam deest nobis eadem brutorum copia, quamvis continua fiat a nobis, & ab ipsimet brutis eorumdem destructio, cogimur iterum Dei potentiam confiteri ineffabilem & prædicare.

176. His rite perpensis manifestum est ex hoc capite opus non esse in illa Cartesii & Bougeantii opposita inter se commenta abire, & risu dignum esse Malebranchium, qui hoc argumentum ad negandam animam brutis vocat *rationem abstractam mentis puræ per se certissimam & evidentissimam*, detorquens etiam ad hoc propositum illud si bene memini S. Augustini paulo ante allatum testimonium, nemo miser nisi mereatur, quod fecit pariter Dalembertus, propterea reprehensus a Chaumeix (1) quasi S. Doctor illud dixerit de quavis creatura, vel crediderit animam hominis & bruti esse ejusdem speciei, vel de brutorum malis ex professo agens apertissime ipsis non contradixerit.

AR-

(1) Chau. Prejugez sec. 3. cha. 8. art. 7.

Articulus III.

Argumenta pro quarta propositionis parte.

177. Quarta propositionis pars, malum pœnæ potest Deus intendere etiam ut finem, sic probatur cum Suarez (1). Malum pœnæ respectu caussæ illud inferentis est bonum, & quidem honestum, justa scilicet culpæ vindicta: Atqui bonum honestum, potest intendi ut finis: ergo malum pœnæ potest Deus intendere ut finem. Majorem aperte asserit S. Augustinus dicens, (2) *Cum in pœnis est natura vitiosa, etiam hoc ibi bonum est, quod impunita non est; hoc enim est justum, & omne justum procul dubio bonum*, quibus similia alibi (3) etiam habet; eademque suadetur, tum quia ex terminis patet bonum esse, quod res mala habeat malum, tum quia homines ipsi cum laude sunt authores pœnæ, utpote ponentes id, quod ut loquar cum Pallavicino (4) *est bonum per proportionem ad illam malitiam, quam inveniunt positam ab ipsis punitis*: tum quia expresse habemus in S. Scriptura, (5) *Bona & mala, vita & mors a Deo sunt*, in quem locum dicit S. Augustinus apud Cornelium a Lapide, (6) *quæ duo non esse contraria profecto videt, quisquis ab operibus divinis Judicia divina discernit, quia aliud est creando non instituisse mortalem, aliud judicando plectere peccatorem*: tum tandem quia sic arguitur. In tantum honestum non esset velle alicui malum pœnæ ut finem, in quantum hoc significaret velle illi malum præcise, quia illius malum est, quod utpote includens odium inimicitiæ omnino illicitum est, & certe non cadit in Deum, de quo scriptum est (7) *Nihil odisti eorum, quæ fecisti*: Atqui velle alicui malum pœnæ non significat velle illi malum præcise, quia illius malum est, sed quia id exigit justitiæ virtus, quemadmodum ipsum nomen malum pœnæ satis exprimit: ergo.

178. Quod autem malum pœnæ intendat Deus reipsa ut finem saltem aliquem respectu Damnatorum, nam finis ultimus omnium rerum est Gloria Dei, extra controversiam esse puto. Fuit quidem Kingius apud Vvolfium (8), qui putavit pœnam æternam damnatorum intendi a Deo ad finem confirmandi bonos in sua electione. At si loquatur de Bonis jam beatis, hi sunt

(1) Suar.Metaph disp.11.sec.3.nu.3.
(2) S Aug.de Civit.li.12.ca.3.
(3) Id.in Psal.32.enarr.2.n.2.
(4) Pal.in 1.2.dis.3.qu.2.art.4.nu.1.
(5) Eccli.11.v.14.
(6) a Lapide ib.
(7) Sap.10.v.25.
(8) Vvol.Manich.sec.3.nu.43.

sunt jam ex statu suæ Beatitatis tam confirmati in bono, ut certi sint se nunquam ab illo posse desciscere. Quare horum respectu nequit habere locum hujusmodi finis. Sin autem loquatur, ut conjecit Petrus Bayle apud eumdem Vvolfium, de aliis novis creaturis rationalibus a Deo condendis post Universale Judicium, quibus identidem damnati apparituri sint, suamque miseriam manifestaturi, ut hoc modo illas confirment, & urgeant ad boni prosequutionem, hæ sunt hypotheses prorsus arbitrariæ.

Articulus IV.

Objectiones contra quartam partem.

179. OBiicitur. Deum intendere quovis modo malum pœnæ æternæ non componitur cum ejus infinita bonitate: ergo non potest illud intendere.

Resp. nego antec. Ex eo enim, quod Bonitas Dei sit infinita, non infertur ipsam debere pugnare cum Sapientia, Justitia, & aliis Divinis Perfectionibus pariter infinitis. Bonitas Dei enituit maxima in producendis ex nihilo creaturis tantæ perfectionis, quantæ sunt intellectuales, quæ possunt ex suo arbitrio Legi suæ obtemperare, easdem ad hanc obedientiam alliciendo promissione præmii æterni, & certa pœnæ æternæ declaratione ab inobedientia deterrendo, & diuturna fortasse longanimitate dando ipsis incitamentum & spatium ad pœnitentiam. Eadem etiam enitet in sincero etsi inefficaci amore in ipsas sic æternum damnatas, quatenus nollet eas unquam commisisse culpas, pro quibus easdem punit, quem amorem exprimit Scriptura describens Deum lamentantem, dum pœnam etiam comminatur, (1) *Heu vindicabor de inimicis meis*, utpote facientem, ut alibi dicitur, (2) *opus alienum & peregrinum ab eo*: quemadmodum terreni judices damnant efficaciter reum, quia Justitia id exigit, etsi simul inefficaciter illum amant, quia vel humana indoles vel amicitia id exposcunt. Præterea si Bonitati Dei non solum non repugnat indixisse pœnas æternas peccantibus contra sua præcepta quin immo illam commendat, quia ut sæpe ait S. Jo. Chrysostomus (3) metu etiam gehennæ ad regnum nos cogit, curnam debet repugnare exequi in promeritos hujusmodi comminationem? Hoc igitur nullo modo Dei Bonitati repugnat, quod aliunde exigitur ab ejusdem Justitia Immutabilitate & Veracitate.

171. Ali-

(1) Isa.ca.1.
(2) Isa.ca.28.

(3) Chry.Hom.23.in Gen.
Id.Hom.16.in 1.ad Timoth.

180. Aliqui ausi sunt tantam vim concedere huic objectioni, ut eidem tamquam cuidam demonstrationi innitentes negaverint æternitatem pœnarum pro creaturis, quæ in suis peccatis statum viæ terminaverint, quod in Fide Catholica nefas est, ut Jo. Vincentius Patuzzi ostendit in libro *de futuro Impiorum statu*, quem contra illos Veronæ edidit anno 1748. Ex his fuerunt Locke, & Tindalus a Csapodio (1) confutati, & auctor libri, *Principia philosophiæ moralis*, qui gallice prodiit Genevæ an. 1754, & refellitur a Valsecchio (2), & Voltaire in suo Henriadis poemate, pleno liberis cogitationibus, & audacibus assertionibus, ut ipse idem ait in Nuncupatoria ad Angliæ Reginam, quæ habetur in Londinensi editione anni 1728, ubi sacrilege inducit S. Regem Ludovicum, qui Henrico IV. se conspiciendum præbens, ipsum monet, ne credat (3) *Deum punire breves & fugaces actus luxuriæ suppliciis æternis*, quod alibi deinde, ut notant etiam Trevoltiani (4) repetit. Habent hi præeuntes sibi Stoicos, qui operose propugnabant alienum esse a Natura Divina irasci impiis & injustis, contra quos egit Lactantius (5) eosdem expostulans de inchoærentia doctrinæ, dum a Deo pios justosque diligi tenebant; *Nam diligere*, inquit, *bonos*, *ex odio malorum venit*.

Immediate magis iisdem prælusit Origenes, ut communius dicitur, & aliqui citati a Vvolfio (6) ex professo contendunt, vel saltem hæretici ignoti, qui hunc errorem in aliquibus ipsius libris inseruerunt, ut multi referente Suarez (7) colligunt ex eo, quod contrarium sæpe in aliis locis aperte ab ipso doceri inveniatur. Et alii quidem negant resurrectionem reproborum, citantes pro se illud (8) *Non resurgent impii in judicio*. Sed Scriptura addit *justorum*. Quare ibi non negatur absolute resurrectio etiam impiorum, de qua expresse scriptum est (9) *Resurrectio futura justorum & iniquorum*, & alibi (10) *Omnes quidem resurgemus*: sed sensus inter alios, quos afferunt Interpretes, & cui favet textus Hebraicus apud Bellarminum (11) est, quod impii in judicio jacebunt consternati, dum interea justi stabunt. Præterea nisi dicant animas reproborum tandem in nihilum abituras, jam videntur in illis agnoscere æternitatem potioris pœnæ, quæ in carentia Visionis Dei consistit.

173. Alii

(1) Csa. Relig. revel. nu. 25.
(2) Valf. Fondam. della Relig li. 3. par. 1. ca. 10. nn. 7.
(3) Volt. Chan. 7. paulo ante medium.
(4) Trev. ann. 1757. art. 48. pag. 1092.
(5) Lac. de Ira Dei ca. 5.
(6) Vvolf. Manich. sec. 3. nu. 4.
(7) Suar. in 1. 2. tr. 5. disp. 7. sec. 3. nu. 4.
(8) Psal. 1. 5.
(9) Act. ca 24. v. 15.
(10) 1. ad Corinth. ca. 15. v. 51.
(11) Bell In psalm.

181. Alii putant eos quidem resurrecturos, sed post aliquod tempus pœnarum, vel vi Divina in nihilum abituros, vel vi pœnarum fore omnino purgatos. Primam partem aliqui promovent ex Chaldaica interpretatione illius (1) *Unus interitus est hominis & jumentorum* cum iis, quæ sequuntur, quod cum dictum esset de omni homine quantum ad corpus dumtaxat, versio illa ita reddit, ut dicatur de solo quidem peccatore, & non quantum ad corpus dumtaxat, sed etiam quantum ad animam. Verum Cornelius a Lapide in eum locum monet (2) hujusmodi versionem contrariam esse aliis bibliis Latinis Hebræis Græcis Syris & Arabicis. Secundam vero partem, quam jam olim S. Augustinus iterum iterumque (3) impugnaverat, Auctor quidam Anglus recentius amplexus est, contendens omnem pœnam pro quibusvis peccatis futuram temporariam. Quare Infernum damnatorum convertit in locum ut ipse ait purificationis, refugiens credo vocabulum Purgatorii, utpote adhibitum a Catholicis. Hujus systema secunda vice editum anno 1733. impugnant Trevoltiani (4), & fusiori opere Sinsartus: cujus synopsim iidem afferunt (5). Brevi certe illud evertitur ex eo, quod æternitatis pœnarum in damnatis habeatur aperta & frequens Revelatio Divina, nulli subjecta interpretationi post repetitas definitiones Sextæ Synodi actione II., Concili Lateranensis (6), & Tridentini (7).

Alii statuunt Infernum Improborum consistere in sola exclusione a Visione Dei, remota omni alia perpessione. Sic Jaquelotius apud Vvolfium (8) & Trevoltianos (9). At Scriptura graphice describit etiam pœnas sensuum.

Alii credunt damnatos fore similes illis mentecaptis, qui etiam in vinculis & carcere sibi plaudunt, & læti vegetant. Sic Kingius apud eumdem Vvolfium (10). At Scriptura testatur damnatos sensuros suam miseriam, & de illa æternum dolituros acerbissime.

Alii tandem accipiunt Scripturas de Inferno & pœnis ejus loquentes in sensu tantum comminatorio, non vero assertivo, atque hoc modo relinquunt locum arbitrio Dei illas pro suo libito terminandi. Sic olim illi, quos quamplurimos dixit esse S. Au-

(1) Eccle.ca.3 v.19.
(2) a Lapi.col.2.
(3) S.Aug.de Fide & operibus cap.15. Id.de Civit Dei li 21.per plura capita
(4) Trev.an.1735.art 116.pag.2398.
(5) Ibid.an.1749.ar.36.pag.667.& art, 55.pag.1021.
(6) c Firmiter.de Sum.Trinitate.
(7) Triden.sess.6.ca.14.
(8) Vvolf.Manic.sec.3.nu.43.
(9) Trev.ann.1706.art.86 pag.1110.
(10) Vvol.Manich.sec.3.nu.43.

S. Augustinus (1) eosdem confutans, quemadmodum deinde fecit & S. Thomas in additionibus ad tertiam partem (2): Hos recentius sequuti sunt Stillingfleetus apud eumdem Vvolfium (3), Henricus Morus, & Tillotsonus apud Pictetum (4), & Joannes Clericus iterum iterumque (5), & Pastores Ecclesiæ Genevensis si credimus Dalembertio, qui hoc illis tribuit in Encyclopædia ad articulum *Geneve*, de quo tamquam de calumnia illum expostulat Jo. Jac. Rousseau apud Chaumeix (6). At licentia est in hujusmodi interpretatione explosa a communi sensu Ecclesiæ Catholicæ, quæ negat accipi posse conditionate, quæ S. Scriptura satis aperte significat accipienda esse ut absolute pronunciata, præsertim cum adsint in hac ipsa æternitate pœnarum aliquæ etiam a nobis intelligibiles rationes, quas immerito Cartesius ceteroquin contemnens Libertinorum objectiones nollet exquiri aut proponi (7) *tamquam injuriam facientes veritatibus, quæ a Fide pendent*.

182. Prima satis communis inter Theologos est, quod peccatum grave, quatenus offensa Dei infinitæ Bonitatis, habeat malitiam quamdam infinitam, cui proinde convenit pœna extensive saltem infinita, quam rationem fuse declarat etiam ex Heterodoxis Pictetus (8).

Secunda est, quia homo peccans & moriens sine retractatione peccati præsefert deliberatam voluntatem nunquam desistendi a peccando: profecto in peccato non retractato moriens, secum illud defert, & consequenter pœnam illi sociam: & quia illud æternum est, hæc etiam justissime æterna est. S. Augustinus rationem hanc probavit, ubi de hac & similibus quæstionibus, quas Deogratias Carthaginensis Presbyter, ut sibi ab Ethnico philosopho propositas, cum ipso communicavit, respondit (9) *æterna supplicia remetiuntur, ut quia æternam voluit habere peccati perfruitionem, æternam vindictæ inveniat severitatem*. Eamdem dedit etiam S. Gregorius M. Petro Diacono quærenti (10) *Quomodo justum sit, ut culpa, quæ cum fine perpetrata est, sine fine puniatur*; cui Gregorius: *Iniqui ideo cum fine deliquerunt, quia cum fine vixerunt; Nam voluissent utique si potuissent sine fine pecca-*

(1) S.Aug.Enchi.ca.112.
(2) S.Thom.addit.qu.ulti.ar 3.ad 3.
(3) Vvol.Manich.sec 3.nu.43.
(4) Pict.. cont. l' Indiser. des Relig. cha.17.
(5) Cler.Parrhasiana tom.1.pag. 311. Id.Bibl.selec.tom.8.
(6) Chau.Prejug.li.2.sec.3.cha.5.art. 4.
(7) Cart.Epi.par.1.epi.110.
(8) Pic.cont.l'Indiff.des Relig.cha. 7. & seq.
(9) S.Aug.li.6.quæst.contra Pagan.qu. 4.nu.27.
(10) Greg.li.4.Dial.ca.44.

peccare : quod dicitur ut interpretatur S. Thomas (1) *non solum secundum continuationem actus in tota hominis vita durantis*, *sed quia ex hoc ipso*, *quod finem in peccato constituit*, *voluntatem habet in æternum peccandi*.

Tertia est, quia talis pœna accidit illis de ea conſciis, quam Deus ipſis prædixit, ſic volens continere in officio ſuas creaturas, dum mortalem vitam ducant, promittens e contrario bene viventibus præmium æternum. Tertia hæc ratio prima eſt apud Suarez (2), qui non ſolum ſingulas jam allatas confirmat ex doctrina Patrum, ſed etiam objectiones aliquas diluit, quæ ex ipſis Patribus producuntur.

183. I. Inſtatur. In idea Juſtitiæ & Bonitatis Dei non continetur idea punitionis æternæ: ergo vel Deus non puniet in æternam, vel ipſe non eſt pœnæ æternæ author.

Reſp. cum Trevoltianis (3) nego antec. & multiplex ipſius ſuppoſitum. Imprimis quod ulla ſit creatura, quæ habeat ideam completam ullius perfectionis Divinæ, ut poſſit decernere, quid cum illa componatur, aut ab illa repugnet. Deinde quod idea Juſtitiæ Dei non poſſit componi cum damnatione ad æternam pœnam creaturæ, quæ cum abſoluta libertate tranſgreſſa eſt Divinam Legem ſibi indictam cum aperta comminatione hujuſmodi pœnæ contra inobedientes. Tandem quod adſit ſenſus communis, qui excludat ab idea Dei æternam de improbis punitionem. Certe de Deo cogitans Apoſtolus exclamavit, *O altitudo*! & quivis hominum, qui paulum ſapiat, illum imitatur. Bayles apud eoſdem Trevoltianos (4) retorquet argumentum ſic. Si idea Bonitatis Dei excludit æternam creaturarum punitionem excludit etiam temporalem diuturnam, quam tamen ipſi excludi nolunt.

II. Inſtatur. Juſtitia Deo digna alia eſſe non poteſt, quam æquitas: ſed æquitas permittit ut etiamſi peccator mereatur pœnam æternam, hæc tamen non irrogetur niſi ad tempus: ergo. Hoc modo arguunt unus poſt alium quidam, quos confutant Trevoltiani (5).

Reſp. nego maj. Aequitas enim quæ aliter dicitur Epikeja, & definitur cum communi a Polmano (6) *Virtus dirigens ad agendum contra verba legis ſecundum habitualem intentionem legislatoris*, non habet locum in Legislatore Divino, ſed ſolum in hominibus, qui ſubjacere poſſunt ignorantiæ deceptioni & minus accu-

(1) S.Tho.1.2.qu.87.art.3.ad 1.
(2) Sua.in 1.2.tr.5.diſp.7.ſec.3.
(3) Mem.de Trev.ann 1735. art.116. pag. 2400.
(4) Ibid.an.1749 art.37.pag.679.
(5) Trev.an.1752.ar.41.pag 906.
(6) Pol.Brevi.Theol.nu.1057.

accuratis determinationibus, quas necesse deinde est per æquitatem explicare & limitare.

III. Instatur. Yvon (1) ostendit immortalitatem animorum hominum in statu pœnæ negatam fuisse ab omnibus Græciæ Philosophis, Pythagoricis, Platonicis, Peripateticis, Stoicis, & quidem consequenter ad eorumdem opinionem, quam ipsis fuisse communem supra (2) jam idem evicerat, quod animæ nostræ essent partes separatæ a suo quodam toto, Natura Divina, cui tandem post multas ex uno in aliud corpus transmigrationes ad purgandas, quas in vita forte male acta contraxerant sordes, unirentur. Ergo abest consensus communis circa æternam improborum damnationem.

Resp. I. omitto ans, & dist. conseqs. abest in hac re consensus communis, si comprehendamus philosophos etiam ethnicos & incredulos, omitto, secus nego conseqm. Catholici, qui habent firmiorem propheticum sermonem, in his non curant quid illi, qui suæ soli rationi fidunt, comminiscantur.

Resp. II. nego ans. Etsi illud videatur sibi Yvon proposuisse, attamen non est assequutus, quandoquidem ostendere solum potuit fuisse philosophos, qui vel non crediderunt, vel deriserunt ea apud Inferos supplicia, quæ Poetæ describebant. Multo autem minus suadet *omnes unanimiter* ut ipse ait, consensisse in eam de Origine animarum opinionem, quam illis attribuit: quin immo alii eam exhorruerunt, utpote quæ juxta Tullium (3) *per distractionem animorum humanorum discerperet & dilaceraret Deum*.

184. IV. Instatur. Homines etiam crudeles in alios sibi inimicos, remittunt tandem odium contra illos, quos vident jam laceros & anhelantes: ergo a fortiori Deus infinite bonus in se, & hominum amantissimus remitteret æternæ & acerbissimæ pœnæ rigorem, quæ sequitur culpam, si ipse esset hujus pœnæ author.

Resp. conc. antec. & nego conseqm, cujus discrimen ab antecedenti, quod fuse exponit Rogaccius (4), est I. quia Deus non ex aliqua animi perturbatione, aut cæco vindictæ impetu, nec inscius sequuturæ qualitatis & quantitatis dolorum: sicuti accidit in hominibus, sed ex placido tranquilloque Justitiæ amore irrogat pœnam, illam volens definite, & sciens perfectissime totam

(1) Yv. in Encyclop. art. Ame. §. La plus belle

(2) Id. Ibid. sub initium art.

(3) Tul. de Nat. Deor. nu. 27.

(4) Roga. Uno necess. par. 1. ca. 26. nu. 4. pag. 648.

tam ejus qualitatem pro primo ipso instanti, & tota successiva æternitate. Brevius dicam, illud antecedens est verum, quia in homine interveniunt variabiles animi perturbationes: at illa consequentia est nulla, quia in Deo habet locum sola ratio, quæ eadem semper est. Quare de Deo dicitur: (1) *Justitia tua, justitia in æternum*. II. quia homo, qui punit, & ille, qui subit pœnam, cum conveniant in eodem naturæ infimo genere, facile tandem in puniente excitatur ille, qui dicitur sensus humanitatis propter hanc ipsam in natura convenientiam, qui animum punientis immutat. At Deus puniens, & homo peccator subditus pœnæ, sunt naturæ inter se tam oppositæ, quam opposita sunt Justitia & Iniquitas. Quare sicuti intelligitur, quod homo puniens ut ita dicam viperam, quæ sibi morsum intentavit, non flectatur unquam a quavis diuturna etiam demonstratione doloris hujus bestiæ, quia longe distant in natura, ita etiam nemo admirari potest, quod Deus puniens peccatorem nunquam immutet suum rigorem, etiamsi intueatur gravissimos ipsius cruciatus, quia vera datur oppositio inter Deum, & illum hominem, qui cum per Gratiam in honore esset, per culpam comparatur jumentis, quia similis factus est illis. Alias contra hanc partem objectiones dissolvit Petrus Halloix, ubi ex occasione (1) quod Euxenianus quidam Gentilis interrogaverat S. Abercium Episcopum Hieropolitanum, qui secundo Ecclesiæ sæculo floruit, *quinam fieri potest, ut idem* (Deus) *& bonus sit, & juste æterna inferat supplicia?* uti habetur in ejus vita, quam Halloix protulit, fuse hanc ipsam quæstionem pertractat.

Articulus V.

Argumenta pro quinta propositionis parte.

285. Quinta propositionis pars, Deum non intendere respectu hominum in hac vita mala pœnæ, tamquam finem, sed tamquam medium ad alia bona, est doctrina non solum SS. Patrum, sed etiam Ethnicorum Philosophorum. Ex Philosophis, Platonis sunt hæc verba: (2) *quod miseri sint, qui pœnas pendunt, sitque Deus qui sic affligit, poetam dicere non est permittendum. Sed si diceret malos homines, utpote miseros pœnis egere easque solventes a Deo juvari, permittendum*. Præterea de perturbationibus animi, quæ definiuntur appetitus vehementiores

(1) Psal. 118.
(2) Hall. Nota ad cap. 11. quæ. n.
(3) Pla. lib. 2. de Repub. circa finem.

tiores, & inter pœnas peccati sunt, utpote effectus amissi doni integritatis, veterum Peripateticorum doctrina fuit eas utiliter nobis a natura datas, quod multis luculenter suadebant. Itaque in iracundia cotem fortitudinis inveniebant, necessariam bellatoribus, imperantibus, & quibusvis aliquid non vulgare agentibus: in cupiditate, stimulos ad excellentiam comparandam in quavis scientia & arte: in metu, fontem omnis diligentiæ, qua paupertatem ignominiam dolorem mortem caveamus, & sic de cæteris, quæ Tullius (1) refert illos quidem impugnans, sed minus efficaciter. Nam male arbitratur nullam intervenire ex hujusmodi perturbationibus in facto aliquo præclaro, quia in illud non influere unam aliquam determinatam credidit se demonstrasse, quasi vero siquis ipsi concesserit, ipsum non fecisse ex iracundia, quæ fortiter gessit, possimus etiam concedere non fecisse ex cupiditate gloriæ.

Ex Patribus S. Ambrosius in morte hominis, malo omnium maximo inter naturalia, tot invenit bona, ut librum conscripserit *de Bono Mortis*, quem imitatus nuper est Eduardus Young in carmine *De remediis contra metum mortis* (2). S. Augustini celebris est sententia, quod, (3) *Deus cum sit summe bonus, nullo modo sineret aliquid mali esse in operibus suis, nisi esset adeo Omnipotens, & Bonus, ut benefaceret etiam de malo*. Similia habet Damascenus (4), quæ illustrat exemplis Jobi afflicti, ut ejus virtus eluceret: cæci a nativitate, ut opera Dei in illo apparerent: Martyrum, ut illorum cruciatus ipsis gloriæ, & Ecclesiæ essent semen Christianorum: Crucis demum Christi, ut salus Mundo afferretur. Illustre ejusdem propositi argumentum & instar demonstrationis habemus in stimulis conscientiæ hominem de pravis quibusque actis redarguentis. Hi mala sunt acerbissima, unde quidam Philosophi etiam Ethnici concluserunt, ut Tullius, (5), *ibi utilitatem esse non posse, ubi turpitudo sit*: nec ulli aliter contingit, quoniam scriptum est, (6) *Tribulatio & angustia in omnem animam operantem malum*, quod integro tractatu pro dignitate exponit Alphonsus de Sarasa (7). Sed quid clarius, quod hæc velit Deus in hac vita non tam per modum pœnæ peccati, quam per modum medicamenti, quod nos disponat ad illud ocius expellendum, & ab ulteriori in posterum lapsu removeat, quoties advertamus hujusmodi

(1) Tull. Tusc. li. 4. nu. 19. & seq. juxta Olivet.
(2) You. Nuit 5. juxta interpretem Tourneur.
(3) Aug. Ench. ca. 11. nu. 3.
(4) Dam. lib. 2. de Fide ca. 29.
(5) Tull. de Offic. li. 3. nu. 8.
(6) Ad Rom. 2. v. 9.
(7) Saras. Ars gaudendi par. 2. tr. 10.

di stimulos acriores esse circa carnis vitia, quam circa alia in se graviora ceteroquin scelera, ut gravis detractionis, vindictæ, blasphemiæ; quia scilicet in his minor est inclinatio & impetus appetitus, & minus proinde prolapsionis periculum, quam in illis. Ipsi jam olim Peripatetici dicebant, teste Tullio (1) melius esse morderi conscientia, & ægritudinem a natura constitutam, ut homines in delicto dolerent.

186. Placet rem ulterius aliis etiam propositis sensibilibus malis declarare. Mala quidem sibi propria habent singulæ ætates hominum, infantia præsertim & senectus: sed eadem possunt a Deo intendi propter bona, quæ propria pariter sunt singulis. In senectute tot invenit Card. Gabriel Palæotus ut librum *De bono senectutis* in vulgus ediderit eo ipso ann. 1695, quo obiit S. Philippus Nerius, quem sibi constituerat exemplar senectutis bonis a se descriptis cumulatæ. Pro hac eadem ætate, & infantia sic peroravit S. Augustinus (2) *habet decorem suum in singulis quibusque hominibus singula quæque ætas ab infantia usque ad senectutem .... Absurdus est, qui juvenilem tantum ætatem vellet esse in homine temporibus subdito, invideret enim cæteris pulchritudinibus, quæ cæteris ætatibus vices atque ordinem gerunt.*

Mala sunt morbi, & mors parvulorum, sed ut observant Interpretes in illud, (3) *Ego sum Dominus visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem*, ex his proveniunt hæc bona, quæ Deus intendit, ut reducatur iniquitas ad aliquam æquitatem, ut exemplum habeant alii, quo vel corrigantur, vel coerceantur; & generalius Augustinus dicit hac via, (4) *Duritiam majorum contundi, aut exerceri Fidem, aut Misericordiam probari*: Fidem quidem, quatenus ut idem alibi explicat credimus Deum (5) *omnibus temporaliter transeuntibus rebus, ubi sunt etiam animalium ortus & obitus, cursum ornatissimum atque ordinatissimum dare*: Misericordiam vero, quatenus per immaturam mortem Deus vel impedit illorum æternum cruciatum, vel iis largitur cælestem beatitudinem, quam si viverent prævisi fuerunt non consequuturi, quod valet de parvulis decedentibus post baptismum.

Malum intellectus maximum est error: at quam sæpe ille sit non solum utilis, sed etiam necessarius ad vitam hominis, variis post eumdem S. Doctorem (6) illustrari posset exemplis.

(1) Tull. Tusc. li. 4 nu. 19.
(2) Au. li. 83. qu. 44.
(3) Exod. 20.
(4) S. Aug. de lib. arbit. lib. 3. ca. 23.
(5) S. Aug. epist. olim. 28.
(6) S. Aug. Enchir. ca. 17.

plis. Quare cum aliunde error ſit malum phyſicum, non repugnat ex hac parte Deum poſſe eſſe illius auctorem, ut Platelius (1) cum aliis ſtatuit & propugnat. Idem vidit jam olim Plato, qui contendit (2) *ignorantiam quamdam hominibus certo quodam modo diſpoſitis bonum quoddam eſſe, non malum*. Quid dicam de ſomno? Siquis hunc in malis numeret, propterea quod impedit uſum ſenſuum & mentis, & fere dimidiam vitæ partem a nobis violenter ſubripit, nonne ſtatim ipſe ut cum Poetis loquar nobis obiicet, ſe eſſe optatam diurni laboris quietem, corroborationem ad nova deinde opera alacrius ſuſcipienda, oblivionem omnis generis malorum, conditionem tandem neceſſariam ad vitam diutius ſuſtentandam?

187. Quid dicam de fame ſiti & doloribus? Mala hæc ſunt, prout referuntur ad hominem, quem lædunt: bona autem ſunt, prout referuntur vel ad animam hominis, quam monent, ut caveat a diſſolutione corporis, cui conjungitur, vel ad totam hominum ſocietatem, cujus conſervatio & vigor dependet ab artibus & ſtudiis, quibus ſinguli opportune ſe dedunt. ut a ſe famem & ſitim depellant & vitam tueantur. Nam ut bene monet Pallavicinus, (3) *Inopis matris Indigentiæ gemina diveſque ſoboles vis ac ſolertia*. Atque etiamſi neutra exerceatur ſine labore, eſt tamen cum ipſo labore conjuncta multiplex utilitas & jucunditas, tum in ipſo exercitio, quod eſt conforme naturæ noſtræ activæ, quæ abhorret ab otio, utpote quod vires animi & corporis corrumpit, tum in aliis laboris fructibus.

188. Lactantius, & deinde Derhamus (4) illud etiam obſervant bonum ex malis, quibus expoſiti ſumus provenire, exercitium ſcilicet rationis humanæ, quæ ad eſſentiam hominis pertinet, quod non exiguum eſt, ubi propoſita æque ſunt in medio tum bona tum mala: (5) *Propoſitis*, inquit Lactantius, *bonis maliſque tum demum opus ſuum peragit ſapientia . . . Itaque propter exiguum compendium ſublatorum malorum maximo bono careremus*. Non placuit Petro Bayle apud Vvolfium (6) hæc opinio ſive ſententia, quia illam conſideravit tamquam unicam & præcipuam rationem, quæ afferatur in quæſtione, quare Deus voluerit mala hominis naturalia, quod non eſt verum, cum ſit illa potior, quod ea velit in ipſius punitionem. Quando alia bona deſint redundantia ex his malis hæc certe non deſunt, quod eadem nos purgent a contractis culpæ reatibus, retraha-

(1) Pla. de Fide Curſ. Theol. par. 3. num. 45

(2) Plat. Alcib. 2. pag. 32.

(3) Pall. Vindicati. ca. 28.

(4) Derh. Phyſico-Theol. b. 2. cha. 6.

(5) Lact. de Ira Dei ca. 14.

(6) Vvol. Manich. ſec. 3. nu. 14.

trahant a novis sceleribus, fidelitatem nostram in Deum probent, & extollant ad cælestes promissiones procurandas. Hoc ipsum sufficienter expressit Lactantius, qui propter hanc etiam caussam injuste confutatur a Bayle, quasi nomine sapientiæ intellexerit illam solum, per quam a brutis, & infantibus distinguimur, cum tamen ibidem addat: *Sapientia etiam facit, ut etiam Deum cognoscamus, & per eam cognitionem immortalitatem assequamur*. Sed clarius S. Augustinus (1) *His*, inquit, *vel punimur vel exercemur vel terremur, ut non vitam istam multis periculis & laboribus subditam, sed aliam meliorem, ubi securitas summa est, diligamus desideremus & comparemus*. Quæ bona sacri Oratores in anniversariis Quadragesimæ concionibus agentes de Tribulationibus eloquenter declarant, & brevi, sed nervose Paulus Segneri (2) interpretans illud scripturæ, (3) *Omne gaudium existimate, cum in tentationes varias incideritis*, Quare mala hæc Physica, sicut etiam Metaphysica dixit Leibnitius (4) *fieri bona subsidiata, tamquam media ad majora bona*, pro iis scilicet, qui illis sic uti noverint.

189. Hinc etiam luculenta patet commendatio Bonitatis Divinæ contra illos, qui ex malis, quibus in hac vita homines afficiuntur, vel de illa dubitant, vel cum Tacito apud Genuensem dicunt, (5) *Non esse Deo curæ felicitatem nostram, esse miseriam*. Genuensis quidem brevius credidit querulos istos & blasphemos se obruisse negando mala hominis naturalia esse mala: (6) *quæ* inquit, *hominibus accidere videntur mala, hæc mala non sunt, nisi præsente sensatione æstimata, sed bona*, & alibi loquens de malis pariter hominum ait, (7) *Physica mala, si attente expendantur, realia sunt bona*. At fieri non potest, ut hoc modo illi agnoscant se errasse, sed sibi actu afflictis & gementibus illudi clamabunt per infacetas Stoicorum tricas illas seu contradictiones, quod ea, quæ (8 *aspera sint, molesta, odiosa, contra naturam, difficilia toleratu, tamen quia nulla est in illis nec fraus nec improbitas nec malitia nec culpa nec turpitudo, non sunt mala*: & importune obtrudi, quæ iidem solam virtutem seu sapientiam statuentes esse bonum, & omne æquivalenter bonum dictitabant, a Tullio sæpius derisa effata. (9) *sapientes esse, si distortissimi sint, formosos: si mendacissimi, divites: si*

(1) Aug. de Gen cont. Manich. lib. 2. ca. 16.
(2) Segn. Manna. Febbr. 28.
(3) Jacob. 1. v. 2.
(4) Leib. Causa Dei ad finem Theod. num. 35.
(5) Gen Elem. Metaph. par. 3. Appen. ad ca. 4. §. 12.
(6) Id. ibid. §. 8.
(7) Id. Elem. Met. tom. 4. de Princip. Legis cap. 3. §. 2.
(8) Tul. de Finib. nu. 118.
(9) Id. de Fini. li. 4. nu. 19.

si servitutem serviant reges, quæ ipse idem alibi (1) & M. Cato apud eumdem (2), & alii passim recentiores, ut Jo: Ciampoli (3) pluribus exponunt & insectantur.

190. Itaque negari illis nequit esse vera ipsorum mala, calamitates morbos dolores & alia, quibuscum confli&ctantur: (4) *Utique*, sic Augustinus, *supplicia patientibus mala sunt*: & alibi loquens de morte, quæ cum primis hominibus contigerit propter peccatum, contigit deinde Martyribus propter sanctitatem, dicit hoc non ideo evenire, (5) *quia mors bonum aliquod facta est, quæ antea malum fuit, sed tantam Deus Fidei præstitit gratiam, ut mors, quam vitæ constat esse contrariam, instrumentum fieret, per quod transiretur in vitam*. Cum igitur hoc illis negandum non sit, monendi simul sunt, illa mala, si sapiant, esse media ad illorum futuram felicitatem. Et tametsi, quatenus hujusmodi media sunt, dici possint bona, addendum tamen, esse illis bona in sensu morali, in eo genere boni, quod utile dicitur: non vero dici absolute possunt bona, quæ sentimus esse physica mala; Hoc enim esset confundere omnem sermonem, nec ubi opus est distinguere bonum in se a bono ad alterum. Utique quod non est in se bonum, potest esse utile, seu bonum ad alterum. Sic medicina amara, & medica combustio corporis sunt utilia ad sanitatem, at non sunt bonum in se, cum certe non sint delectabilia, nec pertineant ad bonum honestum. Et simili modo mala nostra physica repugnat dici bona, quo nomine venit bonum in se, quod est vel honestum, vel delectabile, sed vere dicuntur utilia,

ARTICULUS VI.

Objectiones contra quintam partem.

191. I. OBjicit Bayles (6). Magis conforme esset infinitæ Bonitati Creatoris, si hominibus suis creaturis a die creationis felicitatem largiretur, & in ea conservaret in perpetuum, quam quod prius illis immittat mala innumera in hac vita, etsi eo fine, ut sint media ad alia ipsorum bona, ut vitæ innocentiam, & cumulatiorem in Cælis felicitatem; Nam ex duobus principibus ille majorem habet bonitatem & benevolentiam in subditos, qui continuo eos conservat in abundantia, quam ille, qui eos a situ & squal-

T t

(1) Tul. de Fini. li. 4. nu. 27. Id ibid li 5. nu. 28.
(2) Id. ibid. li. 3. in fine.
(3) Ciam. Prose. Disc. 9. ca. 3.
(4) S. Aug de lib. arb. li. 1 ca. 1. nu. 1.
(5) Id. de Civit. lib. 13. cap. 4 & 5.
(6) Bay. Dict. art. Pauliciens.

squallore erigit: postquam aliquamdiu voluit in eo computrescere: ergo dici non potest Deum mala hominibus in hac vita tribuere, etsi eo fine, ut sint media ad alia bona.

Respondeo, nego antec. Nam bonitas Creatoris est bonitas, quæ debet componi cum cæteris ipsius Creatoris perfectionibus. inter quas est Libertas ab omni necessitate quicquam extra se agendi vel non agendi. Per hujusmodi libertatem determinat Deus unam pro libito suo mensuram beneficii, quam largiatur potius quam aliam. Consideratio Libertatis Divinæ nequit negligi, aliter facta hypothesi, quod Deus dedisset nobis felicitatem ab ipso primo die creationis, posset adhuc quis objicere non esse conforme Bonitati Divinæ, quod majorem non dederit. Quare patet vanitas & absurditas antecedentis.

192. Venio ad probationem. Hæc imprimis non est ad rem: Nam contrarium est institutioni Principis terreni non procurare subditorum felicitatem, quod si faciat, ut argumentum videtur indicare, quia sibi jucundum est intueri afflictos & audire lamentantes, jam prodit se indolis crudelis & malevolæ, At non reddi a Creatore in hac vita felices homines præditos libertate ad bonum & malum, non est contra rationem Creatoris. Deinde cum Picteto (1) reformatur etiam exemplum in rem nostram sic: Princeps, qui sinat subditos inopia premi, ut illos puniat de abusu ipsorum bonorum, eaque norint pluris æstimare, non est crudelis, sed amans subditorum ad instar Patris, qui Filium sinat labi in miseriam, ut eum a perditis moribus revocet: ergo major etiam infertur Bonitas Dei in homines ex malis, quæ toleramus in hac vita; quippe certi sumus hoc non esse, nisi ex rationibus sapientissimis & plenis benevolentiæ erga nos.

193. II. Objicitur. Scriptum est, (2) *Deus mortem non fecit*. Et *Deus* (3) *creavit hominem inexterminabilem*: ergo Deus non est caussa mali naturalis hominis.

Resp. conc. antec., & dist. conseq. Deus non est causa mali naturalis hominis neque ex primaria, neque ex ultima intentione, conc. conseqm.: aliter nego illam. Primaria intentio mortis & mali naturalis hominum fuisset in Deo, quando mala hæc nobis inflicta non supponerent culpam; eademque fuisset ultima intentio, si ea mala etiam sub ratione poenæ intendisset ut finem, non vero ut media ad alia bona. In hoc sensu scriptum est, *Deus mortem non fecit*. Sed cum reipsa mors & reliqua mala hominum sint poena præsuppositæ culpæ (§. 53.), & Deus hæc intenderit, ut media ad

(1) Pict. cont. l'Indiff. ch. 10.
(2) Sap. 1. v. 13.
(3) Sap. 2. v. 23.

ad alia bona, hinc etsi dici ea non possunt esse nec ex primaria nec ex ultima intentione Dei, negari tamen non potest esse a Deo, quia scriptum est pariter, *Vita, & mors a Domino Deo*, ut notat S. Augustinus (1).

194. III. Objicitur. Bonum quod dicitur provenire a morbis & doloribus, incumbendi scilicet in conservationem sui, poterat æque bene haberi, vel per claram cognitionem periculi mortis, vel per diminutionem voluptatis qua prius fruebamur, vel per jucundum remedii desiderium, quod nos urgeret ad illud conquirendum eodem modo, ac nunc facimus per tristem dolorum experientiam. Quid quod poterat Deus efficere, ut illæ ipsæ impressiones, quæ nunc nobis sunt doloris caussa, essent caussa voluptatis: ergo hæc saltem mala poenæ Deus intendit ut finem, non intendit ut medium ad alia bona.

Resp. I. permitto antec., & nego conseqm. Nam quoties conceditur ex illis haberi aliquod aliud bonum, toties fit planum ea potuisse intendi a Deo, ut medium ad bonum, non ut finem. Deinde præter bonum excitandi nos ad conservationem vitæ mediis malis naturalibus, sunt etiam alia potiora bona, ut satisfactio pro peccatis, & ea omnia, quæ respiciunt acquisitionem Beatitudinis.

195. Resp. II. cum Hooke (2), nego antec. Nam clara illa cognitio periculi mortis vel dicitur debuisse conjungi cum mortis aversione & metu, jamque habetur tristitia animi, quæ nisi par sit in sua vi illi, quam dolores producunt, frustrabitur effectu, cum non raro accidat, ut ne vis quidem dolorum ingruentium arceat nos ab iis voluptatibus, quæ sunt certa eorumdem caussa. Vel dicitur debere esse sejunctam cognitionem illam ab omni tristitia, jamque non urgebit ad vitandum periculum. Similiter illa diminutio voluptatis importuna ostenditur ad finem, contra id quod putavit Leibnitius, & Bayles apud ipsum (3), quia si esset majus malum, quam sensatio dolorifera, quemadmodum majus malum haberetur privari sensu vel visus vel auditus, & inde ortis oblectamentis, ut mederemur effectibus, quos vel oculorum vel aurium morbi minantur, jamque proponitur ad effugiendum unum incommodum aliud gravius: sin esset minus malum, jam esset medium inefficax ad finem intentum.

196. Contra tertium de desiderio, quod jucunde nos excitaret ad cavendam mortem, dico nullum haberi in hujusmodi verbis sen-

(1) S.Aug.cont.Iulian. lib. 5. cap. 9. num 36.
(2) Hook.Princ.Relig.tom.1.par.1.sec. 3 ar.20.
(3) Leibn.Essai.de Theod.par.2.n.342. Id.ibid.num.354.

ſenſum ; Quoties enim in eo deſiderio habeatur quædam jucunditas, homo eadem fruetur, & deſiderans remedium ſeu vitam, mortem reipſa expetet. Quod tandem additur de Voluptate, quæ naſceretur ex iis, quæ nunc ſunt dolorum cauſa, hoc quidem cogitavit Bayles apud Trevoltianos (1), qui proinde vellet, ut fuſtis percuſſio, ignis vehementia, beſtiarum voracitas, & ſimilia hominibus voluptatem afferrent. Sed quis non videt, hoc poſito actum jamdudum fore de toto genere humano, quod cum avidum ſit voluptatis, in hanc ipſius novam ſpeciem, ſui ſcilicet contuſionem lacerationem deſtructionem convolans, ſeipſum jam olim penitus confeciſſet.

197. IV. Objicitur, Homo etſi præſtantiſſimum omnium animalium, Lucretio nihil exaggerante (2)

. . . ut ſævis projectus ab undis
Navita, nudus humi jacet infans indigus omni
Vitai auxilio, cum primum in luminis oras
Nixibus ex alvo matris natura profudit,

contrà id, quod accidit beſtiis, quæ robuſtæ ſtatim ſe produnt, quantum ſatis eſt ad motum ſpontaneum: veſtitæ hæ pennis, illæ pellibus, aliæ ſquamis, aliæ teſtis: armatæ hæ unguibus, illæ cornibus, aliæ ſpiculis: & omnes ſufficienti cognitione inſtructæ eorum, quæ pertinent ad ſui conſervationem. Præclare de illis dicit Tullius, (3) *Contra metum & vim ſuis ſe armis quæque defendit: cornibus Tauri, Apri dentibus, morſu Leones: aliæ fuga ſe, aliæ occultatione tutantur, atramenti effuſione ſepiæ, torpore Torpedines: multæ etiam inſectantes odoris intolerabilis fœditate depellunt.* Præterea aliquæ ſaltem beſtiæ vitam vivunt diuturniorem noſtra, omnes vero longe feliciorem; Nullis enim anguntur curis, nullis futuri mali timoribus, nullo ex adverſis caſibus moerore ſaltem diuturno: non tanguntur præteritorum poenitentia, non ambitione, non invidia, non alterius ſortis cupiditate; quæ ipſis neceſſaria & commoda ſunt, in promptu habent abſque laboris moleſtia per abundantem naturæ largitatem. Homo autem intra ipſum breve tempus, quo vivere poteſt, tam multis repletur miſeriis, ut Auguſtinus dixerit, ipſarum (4) *quando plorabat naſcens, propheta erat.* Soli morbi, quibus quantum ad corpus ſubjicitur, tot ſunt, ut ea Artis medicæ pars, quam Pathologiam dicunt, opus habuerit, eoſdem diſpertiri in morbos fluidorum & ſolidorum: internos & externos: ſimplices & compoſitos: benignos & malignos: criticos

(1) Memoir. de Trev ann. 1706. ar. 57. pag. 770.
(2) Luc. li. 5. v. 223.
(3) Tull de Nat. Deor lib. 2.
(4) S. Aug. de Verbis Apoſt. ſer. 167. & lias 24. ca. 1. nu. 1.

cos, chronicos, acutos, hæreditarios, proprios hujus vel illius sexus, ætatis, loci, & alia præterea genera, quibus suæ species subjiciuntur pro singulis membris organis & particulis corporis. Atqui facere Deum hujus hominum vitæ auctorem, est facere Ens, cujus natura Bonitas, libere creans infelices, qui suam infelicitatem sentiant, & doleant, quod nequit intelligi, & apertam contradictionem videtur importare: ergo.

198. Resp. conc. maj.; & nego imprimis suppositum minoris; Deus enim genus humanum non subdidit morti, & miseriis in prima ipsius creatione: sed ad vitam condidit tranquillam securam sociabilem dominatricem & immortalem, ideoque nudam illi frontem dedit, oculos loquaces, os venustum, vultum amabilem, manus argutas, erectum corpus, & totam formam corporis ad eas proportionis regulas ita exactam, ut sive otiaretur, sive operaretur, semper pulchram sui speciem & majestate plenam exhiberet. Mala itaque, quibus nunc subjacet, omnia sunt pœna pro peccato primi hominis, eidem a sua creatione apertissime a Deo indicta; quod cum transfundatur in omnes ipsius posteros. utpote totidem quasi ramos unius ejusdemque arboris jam vitiatæ, æquum est illius etiam pœnas subeant. Quæ urgent Increduli apud Voltairem (1), militant contra veritatem Dogmatis Catholici de Peccato Originali, quibus respondent Theologi Polemici, ut Bellarminus (2).

199. Deinde ad eamdem minorem dico cum Muratorio (3), pro infantiæ & adolescentiæ tempore Deum in singulari amore indito genitoribus erga suos liberos omnibus abunde consuluisse: pro reliquo vero vitæ tempore dico cum Plutarcho (4), & qui luculentius de hoc disserunt. Lactantio (5), Pallavicino (6) & Pluche (7), in anima rationali, qua singuli præditi sumus, datam esse clavem quodammodo, qua homo sibi naturæ thesauros aperiat, & omnia in suum commodum assumat lucem & tenebras, diem & noctem, æstum & frigus, ventos imbres elementa & quæcumque ex his componuntur corpora, sive in summis montibus posita, sive in terræ visceribus condita, ac proinde omnia sibi comparet, quæ ad victum vestitum tutelam conservationem & oblectamentum sui pertineant. Quemadmodum qui abundantem pecuniæ vim dat servo, cui iter aliquod committit, dicitur in ea pecunia eidem providisse de equis de curru de hospitio de commeatu, de omnibus denique ad iter commode complendum necessariis.

200. Der-

(1) Voltai.Oeuvres. tomo 6.Metaph. cha.1.§.c'est la.
(2) Bellar.de Amiss.Grat.ca.10.
(3) Murator.Filosof.Moral.ca.7.
(4) Plutarch.de Fortuna.
(5) Lact.de Opifi.ca.2.& sequ.
(6) Pall.Del bene li.3.ca.20.
(7) Plu.Spett.de la Nat.to 1.Lett.de l'etendue de la Natu.Et to.5.ent.3. Gouvern.de l'homme.

200. Derhamus (1) distinctius post Aristotelem (2) ostendit querelam de negato nobis indumento aliquo vel plumarum vel pilorum vel vellerum esse propriam hominis, qui statum suum nec naturalem nec politicum capax est cognoscendi. Pro statu enim hominis naturali convenientius illi fuit, ut sibi ipse construeret vestes; Sic enim in regione eadem perpetuo habitare potest, nec cogitur pro diversis anni temporibus alio transmigrare, sicuti faciunt bruta: Sic pro arbitrio potest in diversis terræ locis vitam ducere, & variis se exercitamentis applicare, quæ integumentum aliquod sibi congenitum perpetuo impediret: Sic facilius potest necessariam sibi ad commodius & salubrius vivendum munditiem obtinere. Pro statu autem politico homo tam opportune nascitur imparatus a vestibus, ut si fingas illum nasci vestitum, evanescet statim idea Reipublicæ humanæ, quæ coalescit ex diversis hominum ordinibus artibus & officiis, quæ nulla jam erunt commutata Republica in verum animalium armentum. Urget responsionem Jo. Ciampoli (3) rogans quænam sit vestis dura aut mollis, gravis aut levis, hirsuta aut delicata, hujus vel illius coloris, quæ nobis concessa non sit, dum in nostra potestate posita sunt omnium animalium integumenta cum omnibus plantis, gemmis, metallis, & ratione, quæ hæc omnia ita in nostrum indumentum convertat, ut veri Protei, quoties libeat, evadamus: Quis furor conqueri de beneficio, quod nisi creator sponte nobis contulisset, nescio an in mentem venisset, ut possibile factu.

201. Quod pertinet ad negatam nobis armaturam aliquam naturalem, Galenus sic respondet (4), *Homini manus data sunt, instrumentum ad omnes artes necessarium, paci non minus, quam bello idoneum. Non igitur indiguit cornu sibi innato, cum meliora cornibus arma manibus, quandocumque volet, possit accipere; Etenim ensis & hasta majora sunt arma, & ad incidendum promptiora: neque cornu neque ungulæ quicquam nisi cominus agere possunt, hominum vero arma eminus juxta ac cominus agunt: telum quidem & sagitta magis quam cornua. Non igitur est nudus, neque inermis, sed ipsi est thorax ferreus, quandocumque libet, omnibus coriis difficilius sauciatu organum, nec thorax solum, sed & domus & murus & turris.* Post hanc responsionem, cujus elegantem paraphrasim dedit citatus Ciampoli (5), nisi obmutescant adversarii, dicendum erit eos optare ut homini data fuissent cornua taurorum, dentes aprorum, rictus leonum, pedes cervorum, & alia bestiarum attributa, quæ singulis invident

(1) Derham. Physico-Theol. B 4.
(2) Arif de Part. anim. li. 4 ca. 10.
(3) Ciam. Prose Disc 1. ca. 13. pag. 46.
(4) Galen. de usu part. li. 1. ca. 2.
(5) Ciam. Prose. Disc. 1. ca. 14.

dent, sibi ut illis congenita, quod dementiæ esset singularis.

202. Quod tandem pertinet ad miserias, quæ vitæ quidem nostræ sunt comites non vero brutorum, imprimis dico, quod sicuti ex eo, quod lapides percussi & combusti non doleant, male infertur feliciores esse brutis, quæ in iisdem circumstantiis patiuntur, ita ex eo quod iis non subjiciamur malis, a quibus absunt bruta, male deducitur feliciora esse hominibus. Ratio utrobique est eadem. Sicuti enim carentia omnis vis cognoscitivæ in lapidibus excludit illos non solum a sensu omnis mali sed etiam boni, ita carentia vis intelligendi in bestiis reddit illas incapaces gravioris mali & boni, quod requirat vim intelligendi. Quare iterum concluditur ut supra (§.172.) abuti nominibus, qui bestiis tribuat miseriam & felicitatem. Deinde dico, Deum non creasse nos ut miserias, & infelicitatem hujus vitæ dumtaxat experiamur, sed ut præparemur ad obtinendam æternam felicitatem per illius tolerantiam, conjunctam cum obedientia ipsius præceptis, quam faciliorem hæc vitæ incommoda reddunt, dum superbiam deprimunt, a vitiis retrahunt, & ardentius beatitatis desiderium in nobis accendunt, quæ luculenter exponit huic objectioni respondens Benedictus Rogacci (1). Quare si esset stultitia dicit Voltaire (2) in illo, qui negaret existentiam sui Creatoris, propterea quod uno aut altero minuto temporis capite vel pedibus laboraverit intra centum vitæ felicissimæ annos, quanto major dicenda est stultitia impiorum, qui audent de Dei Bonitate dubitare propter eas vitæ temporalis ærumnas, quæ comparatione Beatitatis æternæ, quam Deus nobis comparavit, nihil sunt, & quæ rursus habent rationem medii ad illius certiorem consequutionem.

203. Instatur. Saltem mala, quæ directe nos retrahant ab acquisitione Beatitatis nostræ æternæ, & nomine amissionis Justitiæ originalis veniunt, nequeunt ullo modo esse a Deo; Nam ea urgent in peccata & damnationem: ergo non apparet, quomodo Deus possit per illa intendere aliquod bonum.

Resp. Nego assumptum. Ad probationem dist. antec.: Urgent in peccata & damnationem ita ut simul urgeant in actus virtutis & majorem beatitatem, si desidiosi non sumus, & Dei auxilium imploramus, quod efficax daturum se promisit illud *pie & perseveranter*, ut notat S. Thomas (3), petentibus, conc. antec., aliter nego antec., & conseqm. Igitur amissio Originalis Justitiæ induxit quidem rebellionem concupiscentiæ, per quam indeliberatæ incitationes & appetitus in malum frequenter nos perturbant: at in illis non.

(1) Rogacc. Uno necess. par. 1. cap. 25. a num. 8.

(2) Volta. Metaph. cha. 1. §. On repond.

(3) S. Thom. 2. 2. qu. 85 ar. 16. O.

nondum est peccatum ullum proprie tale, ut luculenter ostendit Suarez (1), iisque qui salutis suæ sollicitus est, utitur ad virtutem humilitatis altius in se figendam, quæ est radix omnium virtutum. Eademque intulit etiam nobis necessitatem continuæ vigilantiæ & dimicationis: in quo habetur volenti seges palmarum.

PROPOSITIO II.

Creaturæ possunt esse caussæ physicæ particulares mali proprie talis atque quæ sunt caussæ non liberæ sed imperfectæ, producunt effectum naturaliter malum de consequenti, non per se: quæ sunt caussæ non liberæ & perfectæ, si non producunt effectum sine ullo malo naturali, provenit ex extrinseco impedimento: quæ tandem sunt caussæ liberæ, si producant effectum cum aliquo malo naturali, cum possent producere sine illo, malum hoc provenit ex earum libertate: atque si debuissent effectum sine eo malo producere, jam hoc malum respectu effectus naturale, est respectu caussæ malum morale.

204. Probatur prima pars. Creaturæ possunt esse caussæ physicæ particulares aliquorum effectuum: Sed hi effectus possunt habere malum aliquod proprie tale; nam possunt carere perfectione ipsis debita: ergo creaturæ possunt esse caussæ physicæ particulares mali proprie talis. Veritatem majoris ex professo propugnavi agens *de Caussa efficiente* contra Occasionalistas, illorum objectiones singillatim excutiens & refellens, quibus unam addo, quam pro Occasionalismo proxime proposuit, qui meam illam dissertationem in Nunciis Literariis Europæ Parisiis editis ad annum 1765. improbavit.

205. *Hypothesis*, inquit (2) *Occasionalismi vel nullam involvit contradictionem, vel hæc in quovis systemate invenitur, nisi quis velit negare omnem speciem concursus etiam simultanei, quod repugnat sanæ Theologiæ*: Ergo cum Occasionalismus subsistat, non probatur, creaturas ullius effectus esse caussas physicas. Resp.

(1) Suar.in 1.2 tr 5.disp.4.sec.2. nu. 9.
(2) Gazette Litteraric tome 4. 6. Fevrier.pag.281.

Resp. nego antec., cum adjuncta ibidem per modum probationis assertione, quod scilicet, qui admittit simultaneum Dei concursum ad singulas creaturarum actiones incidat in similes difficultates, quibus Occasionalismus etiam de contradictione evincitur. Objicienti visa fuit certa sua objectio: saltem nihil addit, ut eam suadeat, fortasse quia jam olim Petrus Bayles pronunciavit nullas esse difficultates, quae contra Occasionalismum producuntur, quandoquidem (1) *eaedem non minus valent contra systema de Concursu praedeterminante aut simultaneo*. Sed mihi quidem videtur, hujusmodi argumentum ne debuisse quidem aut venire illi in mentem, aut ab alio jam objectum recipi & approbari; Etenim ipsummet vocabulum concursus simultanei nullum eidem locum permittit. Si enim concursus Dei est simultaneus, jam excluditur omnis actus creaturae, aut determinatio voluntatis creatae ante concursum ipsius Dei, & simili modo concursus Dei actualis ante ipsum actum liberum creaturae. Bene Suarez, qui hoc accuratius exponit, concludit: (2) *Proprie loquendo neque Deus influit, quia Voluntas se determinat, sed quia ipse voluit & ita decrevit; quamvis conditio, sine qua non influeret ad hunc actum, sit cooperatio ipsius voluntatis: neque e contra voluntas se determinat, quia Deus influit, sed quia potest & vult, quamvis dependenter a Divino influxu.*

207. Probatur secunda pars. Caussae non liberae, sed imperfectae, hoc est habentes malum aliquod naturale, agunt per suam virtutem, quae est perfectio, non vero per intrinsecam deficientiam, quae est imperfectio, & proinde utpote negatio nequit esse caussa ullius effectus: ergo effectus quatenus est ab agente caussa non libera non est malus naturaliter, sed solum quatenus est a causa intrinsece deficiente malus est; sed hoc significat, effectum illum esse respectu suae caussae malum naturale de consequenti, & non per se: ergo caussae non liberae sed imperfectae producunt effectum naturaliter malum de consequenti, & non per se. Ita claudicatio est effectus naturaliter malus productus a virtute motiva instrumentali tibiae, quae solum de consequenti illam producit, cum vis illa exerat se ad producendum motum; qui quatenus est motus claudicans, sequitur ex tibia, qua deficiens est, non qua efficiens.

208. Probatur tertia pars. Caussa non libera & perfecta, hoc est quae habet in se malum metaphysicum dumtaxat (§. 6.), agit quantum potest: ergo effectus ipsius ex parte caussae non potest

(1) Bayl. Tom 5. Resp. ad quaest. prov. pag. 1296.

(2) Suar. in 1.2. tr. 5. disp. 6. num. 23.

test esse nisi cum omni perfectione sibi debita: ergo siquam habet privationem perfectionis provenit ex extrinseco impedimento, quale esset materia non satis disposita, medium resistens, & similia; Nam ut ait Suarez, (3) *Ex concursu hujusmodi causarum sibi resistentium & sese impedientium, contingit actionem unius causæ defectuosam & monstrosam prodire, etiamsi in ipsa caussa nullum malum naturale proprie sumptum præcedat.*

209. Dices. Si effectus prodit cum malo naturali ex eo, quod caussa inveniat resistentiam extrinsecam ad agendum quantum potest, jam effectus prodit ex caussa imperfecta, quæ scilicet non habet virtutem sufficientem ad vincendam illam resistentiam: sed omnis causa non libera potest invenire resistentiam extrinsecam: ergo nulla causa non libera potest dici perfecta.

Resp. dist. maj., prodit ex causa imperfecta metaphysice conc. maj., imperfecta naturaliter, nego maj. Et concessa minori dist. consequens: nulla caussa non libera potest dici perfecta, hoc est sine ullo malo metaphysico, conc. conseqm. hoc est sine ullo malo naturali, nego conseqm.

210. Probatur quarta pars. Causa libera ad agendum vel non agendum ex hoc ipso, quod est sic libera, non semper vult agere quantum potest: ergo si nullus est ipsius effectus, cum posset & deberet illum producere, vel si effectus ipsius non est cum omni perfectione sibi debita, hoc provenit ex ipso suo dominio in actum, adeoque sine ullo vel extrinseco vel intrinseco impedimento; involveret enim contradictionem, caussam esse dominam sui actus, si aliquod hujusmodi impedimentum haberet. Quod autem in casu, quo debuisset causa libera producere effectum, illumque perfectum, & vel imperfectum vel nullum produceret, sit malum morale respectu causæ hæc imperfectio vel omissio, quæ habetur tamquam ipsius effectus negativus, non habet controversiam; sic enim communiter vocatur, unde nascitur illius vituperium.

(1) Suar. Metaph. disp. 11. sec. 3. nu. 14.

SE-

SECTIO VII.

De Caussa efficiente, & finali Mali moralis.

PROPOSITIO

Deus non est caussa efficiens neque immediate, neque mediate ullum malum morale: sed est solum illius caussa permissiva: quam permissionem Deum rectissime velle lumen ipsum rationis humanæ suadet, sed generalem dumtaxat hujus rectitudinis rationem detegit, non vero ullam in particulari, quæ adæquata sit.

ARTICULUS I.

De Adversantibus propositioni.

211. Rima pars est contra plures hæreticos, quos nominat Bellarminus (1). In his eminet impietatis portentum Calvinus, ut videre est etiam apud Martinum Becanum (2), & Petavium (3), qui tantam blasphemiam, quod Deus sit author omnium peccatorum, utpote occulta quadam vi movens impellens & cogens homines ad ea perpetranda, iterum iterumque pronunciavit: cui accesserunt non quidem omnes, ut idem Becanus (4) observat, sed tamen non pauci ex ejus asseclis: & cum his fuerunt olim aliqui Lutherani, qui sic esse opus Dei proditionem Judæ ut Pauli vocationem dixerunt, quorum blasphemiam damnavit Tridentinum (5). Ab his non fuit aliquando alienus Bayles, qui per solitam sibi inconstantiam adnotante Vvolfio, (6) *caussam peccati Deum esse conceptis verbis alicubi inficiatur, alibi vero id ipsum non proletaria opera adstruit*, ut ubi dicit (7); *Si quis magno rationum apparatu efficere conetur, fieri non posse, ut malum morale in Mundum introducatur opera principii infinite boni & sancti, respondebimus, fieri id omnino posse. Nihil est insulsius, quam*

 eorum

(1). Bel. de amissi grati. li. 2. ca. 1.
(2) Bec. Aphor. Calvinist. a. 3. 4. & 5.
(3) Pet. Theolog. Dogm. li. 6. ca. 5. a num 6.
(4) Bec. de differen. inter Calvinistas ca. 1. concl 4.
(5) Triden. sess 6 can. 6.
(6) Vvolf Manich. sec 3. nu 9.
(7) Bayl. Diction. tom. 2. pag. 2026.

eorum, quæ facta sunt, existentiam rationibus oppugnare. Alia de hac sua blasphemia testimonia dabit Jaquelotius (1). De his omnibus quis neget, quod Michael Elizalda animadvertit (2), illos pejus desipere Pelagianis; Hi enim sibi solis tribuentes quicquid tam boni quam mali operarentur, saltem poterant propter hoc ipsum suum malum demisse de se sentire. At illi tam bonas quam malas actiones in Deum, tamquam unicam causam refundentes, non solum sibi aditum omnem ad gloriam, sed etiam ad humilitatem præcludunt, & in hoc ipso, quod nullam velint in se agnoscere humilitatis caussam, immanem quamdam superbiam præseferunt. Quin immo quis non statuat cum Petavio (3), Vasquez (4), & Suarez (5), *illos in hoc pejus errare Manichæis? Nam hi non bono Deo, sed malo tribuebant peccata*: quod jam olim dixit Irenæus apud citatum Bellarminum de Florino (§. 31.), qui primus tantæ impietatis assertor nominatur.

212. Contra quartam partem, quod lumen naturalis rationis nobis suadeat Deum rectissime permittere peccata, habet ex parte Bayles violentam oppugnationem conflatam ex omnibus difficultatibus, quas Manichæi proposuerunt, aliisque ab ipso excogitatis, quoniam si facile est inventis addere in rebus, quæ sunt jam manifestæ, multo magis in iis, quæ versantur circa obscura & implexa. Harum quasi succum collegit Vvolfius (6). Bayles quidem eas vehementer urgens sæpius profitetur, se id facere non jam eo animo, ut Manichæismum promoveat, aut stabiliat, sed ut suadeat standum dumtaxat esse in multis articulis fidei Revelationi Divinæ, quæ aliquando quid proponit credendum, quod est contra omnem rationem, quemadmodum ipse vult esse rectitudinem & bonitatem Divinæ Voluntatis in permissione mali moralis, quam ipso judice sola suadet Fides, non vero ulla Philosophia, quin immo hæc contra illam proponit objectiones insolubiles. Celebris est hæc Bayles opinio, cujus falsitatem multi ostenderunt.

AR-

(1) Iaq. Exam. de la Theol. de Bayl. par.2.cha.9.
(2) Eliz. Forma veræ Reli. §. 790.
(3) Pet. Dogm. Theol. li 6. ca. 6. nu. 7.
(4) Vas. in 1.2. disp. 129. cap. 1. num. 1.
(5) Suar. in 1.2. tr. 5. disp. 6. num. 1.
(6) Vvol. Manichæ. sec. 3. nu. 14.

ARTICULUS II.

Argumenta pro prima & secunda propositionis parte.

213. PRima & secunda pars excludunt a Deo rationem caussæ tam immediate, quam mediate efficientis malum morale. Pro utraque sic arguitur. Deus nequit esse caussa aliquo modo efficiens id, quod necessario aversatur: sed Deus necessario aversatur malum morale: ergo Deus nequit esse caussa aliquo modo efficiens malum morale. Major evidens fit ex eo, quod non possit sine contradictione concipi in Natura Divina Beatissima affectionum contrarietas. Minor autem probatur. Deus necessario aversatur malum morale, si id non convenit naturæ rationali a se creatæ, ut rationali; Neque enim ex dictis potest concipi in Deo velle simul & nolle, ut rationalis sit, & non rationalis creatura: sed malum morale non componitur cum natura rationali ut rationali: quod fatentur ipsi Adversarii, cum non negent dari in hominibus peccata: ergo Deus necessario aversatur malum morale.

214. Præterea tribuere Deo esse auctorem aliquo modo mali moralis (1), *sacrilegium est, quo mihi detestabilius nihil occurrit,* inquit S. Augustinus, cujus ceteroqui authoritate niti se Calvinus in vecordia sua constans profitetur. Quare Ethnici Poetæ, qui primos maximosque suorum Deorum de iniquissimis flagitiis tamquam ab iis vel immediate vel mediate perpetratis accusarunt, tam graviter reprehenduntur a Platone, ut non solum hujusmodi fabulas detestetur, sed oblivioni omnino mandandas velit (2) *sive per allegoriam dicta ea sint, sive sine allegoria*, merito proinde laudatus a Theodoreto (3), qui totum in hac re ejusdem discursum jucunde descripsit,

215. In particulari prima pars I. sic probatur. In tantum Deus esset caussa immediate efficiens malum morale; in quantum Deus concurrit ad omnes & singulas actiones creaturarum: sed nullus est concursus Dei ad malum morale formaliter sumptum; Nam malum hoc non est actio, sed defectus in actione (§. 38.), quam minoris rationem iterum iterumque adducit etiam Suarez (4), ut planum faciat concursum Divinum ad actus malos talem esse, ut nullo modo Deus dici possit auctor peccati, quod esse contra Fidem idem lucu-

(1) S. Aug. de Ordi. li. 2. nu. 23.
(2) Pla. li. 2. de Rep. sub finem.
(3) The. li. 5. ad Græcos. De natura homin.
(4) Suar. in 1. 2. tra. 5. disp. 6. num. 10. & num. 18.

luculenter demonstrat: ergo Deus non est caussa immediate efficiens ullum malum morale.

216. II. In tantum Deus esset caussa immediate, saltem imputative, efficiens malum morale, in quantum privatio rectitudinis, in qua illud consistit, posset tribui etiam Deo, propterea quod privatio formæ a duabus caussis producendæ, qualis est rectitudo actionis, tribui debeat utrique caussæ: Atqui hoc est falsum: ergo Deus non est caussa immediate ne imputative quidem efficiens malum morale. Minor probatur. Privatio formæ a duabus caussis producendæ illi soli tribuitur, ex qua unice pendet, quod non producatur. Ita quæ accidit in fornace Babylonis privatio combustionis, soli Deo tribuitur, etiamsi a Deo & igne combustio illa facienda esset, quia per solum Deum stetit, quominus illa fieret: sed privatio rectitudinis in actione creata producenda a Deo & creatura, pendet unice a creatura, ex ejus enim sola voluntate stat, quominus illa rectitudo producatur, juxta illud (1), *Perditio tua ex te Israel, tantummodo in me auxilium tuum*: ergo privatio illa rectitudinis in actione creaturæ illi soli, non Deo tribui debet.

217. Pro secunda parte sic speciatim arguitur. Non potest Deus esse caussa efficiens mediata mali moralis, neque quatenus dederit creaturæ vim operandi; Nam malum morale, sive ut clarius dicam malitia moralis, utpote negatio quædam non est effectus sed defectus vis activæ: Neque quatenus dederit vim istam operandi imperfectam: Nam imperfectio hujusmodi est malum dumtaxat metaphysicum (§. 6.), quod nullam habet connexionem necessariam cum malo morali nec intrinsecam nec extrinsecam; Nam siquam haberet, actum esset de quovis malo morali, cum hoc requirat libertatem a necessitate, & rursus actum esset de Veracitate ac Sapientia Dei: de Veracitate quidem, quia Deus omnino vellet malum istud, quod sæpe in Scripturis contestatur se abhorrere, de Sapientia vero, quia prænunciaret præmia insontibus & supplicia peccaturis, aliaque media adhiberet, ne id fieret quod cogit facere. Neque quatenus dederit vim imperfectam agendi intendens malum morale, quod ex ea imperfectione tamquam ex conditione necessaria provenit; Nam malum morale quantum ad ipsius effectionem non potest recte & ordinate intendi; Ut enim recte posset intendi, deberet posse intendi ut finis, ut autem ordinate, deberet posse intendi ut medium ad aliquem finem; Atqui malum morale non potest intendi ut finis, quia finis est aliquod bonum; at malum morale repugnat esse aliquod bonum, idemque utpote privatio quædam (§. 38.) est nihil, & nihilo non convenit ratio ulla po-

(1) Oseæ 13.

positiva, qualis est ratio boni: neque potest intendi ut medium ad aliquod bonum, quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona: ergo nullo modo Deus potest esse caussa efficiens ullius mali moralis.

ARTICULUS III.

Objectiones contra primam & secundam partem.

218. I. OBjicitur. Receptum axioma est, quod caussa caussæ est caussa causati: sed Deus est caussa liberi arbitrii, quod est caussa peccati: ergo Deus est caussa peccati.

Resp. dist. maj. Illud est axioma, si intelligatur de caussa caussæ necessariæ, conc. maj. Si intelligatur de caussa caussæ liberæ, nego maj. Et concessa minor., nego conseqm. Hæc objectio fecit, ut aliqui refugerent concedere hanc loquutionem, Deus Author est potentiæ peccandi, quæ est in libero arbitrio, & dicerent non a Deo, sed a nihilo esse, quod liberum arbitrium hominis possit peccare. Sed rite intellecto illo axiomate, nihil est, quod cogat dicere hæc, quæ vel non possunt intelligi, vel falsa sunt, ut advertit Vasquez (1).

219. II. Objicitur. Claudicatio est malum naturale, quod mediate in Deum tamquam caussam physicam refundi potest, quia imperfectio tibiæ, quæ præsupponitur necessaria conditio ad claudicationem non spontaneam, potest esse a Deo immediate: ergo a pari malum morale mediate in Deum authorem refundi potest, quia imperfectio creaturæ rationalis consistens in ejus mutabilitate, & defectibilitate, quæ præsupponitur tamquam necessaria conditio ad malum morale, est certe immediate a Deo.

Resp. nego antec. Non enim tota ratio, propter quam in Deum mediate refundi potest claudicatio, est quia immediate fit a Deo imperfectio tibiæ, ex qua claudicatio sequitur, sed est hoc præterea, quia ea imperfectio est cum directa intentione claudicationis, quæ intentio manifesta fit ex eo, quod ea imperfectio in tibia sit connexa necessario cum claudicatione, quam Deus directe velle & intendere potest, cum ea nullam turpitudinem importet suæ sanctitati repugnantem.

220. III. Objicitur. Scriptura sæpius (2) dicit Deum indurare cor hominis alicujus vel excæcare: ergo Deus est caussa vel mediata vel immediata mali moralis. Consequentia probatur. Ipsa duri-tia

(1) Vas. in 1.2. dis. 139. ca. 10.
(2) Exod. 9. Joan. 12. Ad Rom. 4. 40.

tia cordis est peccatum, cum homo durus ex S. Bernardo sit (1), *qui nec Deum timet*, *nec homines reveretur*, & ea est fons multorum peccatorum: Sed hæc duritia dicitur haberi per actionem Dei; Nam indurare est verbum activum, quod importat actionem illius, cui tribuitur, qui si sit Deus, certe est efficax: ergo si Deus ex Scriptura indurat cor hominis, Deus est caussa mali moralis.

Resp. conc. antec., & nego conseqm. Ad cujus probationem, permitto maj.; Nam multi sunt Theologi teste Suarez (2), quibus videtur *induratio* (de qua loquitur ibi Scriptura) *ex vi vocis pœnam potius, quam culpam significare*, ex quo inferunt Deum dici posse in proprietate sermonis esse caussam indurationis; quod non placet Suarezio, qui observat in rigore sermonis hujusmodi indurationem requirere præter destitutionem Dei, pravam hominis dispositionem, cujus certe caussa non est Deus. Sed permissa majori, dist. min. Hæc duritia dicitur haberi per actionem Dei permissivam illius, conc. min.; per actionem Dei efficientem illam, nego min., & conseqm.

221. Objectio ista antiqua est, eamque ex professo discutiunt Theologi cum S. Thoma (3), & SS. Patribus, ac Sacræ Scripturæ Interpretibus, ubi agunt de Pharaone, de quo habetur Deum dixisse Moysi (4), *Ego indurabo cor ejus*. Explicationem solius S. Augustini, qui sæpius de hac re egit, prorsus abhorrentem a sensu adversariorum retulit Scipio Maffejus (5), qui etiam vindicat eumdem S. Doctorem a calumnia eorumdem, qui eum sibi favere mentiuntur. Alias aliorum Patrum iisdem similiter oppositas complexus est Benedictus Pererius decem disputationibus (6), ex quibus colligitur, Deum dici indurasse Pharaonem, vel quia fecit circa ipsum ea, ex quibus cœpit Pharao ex malitia sua occasionem magis obdurandi cor suum: vel quia non dedit ipsi gratiam illam, qua efficaciter molliretur, quem sensum egregie declarat Paulus Segneri (7): vel quia palam fecit patientia sua, quam durus esset: vel quia diu ipsum toleravit, nec quantum meruit statim punivit; in quibus omnibus nulla alia intervenit actio Dei nisi permissiva, quæ qualiscumque sit, secum conjungit & supponit in ipso homine libertatem a necessitate maleoperandi. Et generaliter excluditur omnis actio effectiva indurationis, quæ sit peccatum: pro qua ulterius suadenda perperam recurritur ad proprietatem verbi activi induro, quæ integra remanet etiam in communi usu loquendi per quam-

(1) S. Ber. li. 1 de Consider. ad Eugen.
(2) Sua. in 1. 2. tr. c. disp. 6 num. 15.
(3) S. Tho. 1. 2. qu 79. ar. 3.
(4) Exod. cap 4. v. 21. Ibid. cap. 7. v. 3. & alibi.
(5) Maff. Isto-Theolog. li. 12. §. III. n. 7.
(6) Per. Select. disp in cap. 12. Exodi.
(7) Seg Manna. 4. Giugno nu. 3.

quamcumque actionem etiam metaphoricam. Sic ut exemplum ponam in re satis obvia, dicuntur munera mentem sapientum pervertere, aut illorum cor obdurare in damnum miserorum, vel ut ait Scriptura (1), excæcare illorum oculos, quæ certe non habent actionem electivam hujusmodi perversitatis aut cæcitatis, sed solum sunt occasio quædam ad illam mentis perturbationem circa justum, quæ dicitur cæcitas. Per similem igitur metaphoram, vel aliam figuram, quæ exaggerat iram Dei in peccatores, loquitur ibi Scriptura.

222. IV. Objicitur. Habemus ex Scriptura Deum (2) præcepisse Semei, ut malediceret David. Convertisse (3) cor Ægyptiorum, ut odirent populum ejus, & dolos facerent in servos ejus. Jesum (4) definito consilio & præscientia Dei traditum. Herodem (5) & Pilatum cum Gentibus & Israelitis fecisse ea, quæ manus Dei & consilium ejus decreverunt fieri. Domini sententiam (6) fuisse, ut indurarentur corda inimicorum, & pugnarent contra Israel, & caderent, & non mererentur ullam clementiam, & perirent: ergo Deus saltem aliquando præcipit, vel aliquid facit, ex quo sequitur malum morale: sed hoc idem est, ac esse caussam mediatam mali moralis: ergo Deus est caussa mediata saltem alicujus mali moralis.

Resp. conc. antec., & nego conseqm. Non sunt enim illa verba sumenda in sensu vulgari, qui repugnat Divinæ Sanctitati, sed in illo, quem subjecta materia suggerit, & Interpretes declarant, qui est exprimere permissionem Divinam. Ita quamvis præcipio in sensu magis obvio significet velle absolute ut aliquid fiat, aliquando tamen significat solum illud permittere. Exemplum habemus in Evangeliis, ubi quod dictum fuit (7) Moysem mandasse ac præcepisse repudium uxoris, paulo infra dicitur illud permisisse. Hoc modo, ut notant post S. Thomam, Melchior Canus (8) & Suarez (9), Christus Dominus quasi imperans dicebat apud Joannem (10) *Solvite templum hoc*, idest occidite me: & apud Matthæum (11) *Implete mensuram patrum vestrorum*: & iterum apud Joannem (12) *Quod facis fac cito*: quorum sensus est, ego paratus sum etiam mori, & quod in me est, vobis permittitur, ut etiam cito id faciatis.

 223. Si-

(1) Deut.16.19.
(2) 2.Reg.16.v.10.
(3) Psal.104.v 25.
(4) Act.2.v.23.
(5) Act.4.v.28.
(6) Iosu.11.v.20.
(7) Matt 19.v.7 & Mar.10.4.
(8) Can.de Loc.li.2.ca.4.
(9) Suar.in 1.2.tr.5.disp.6.num.12.
(10) Joan 2.
(11) Matt.23.
(12) Joan.13.

223. Similis adhibenda est interpretatio ad alia Scriptura loca ; quæ Adversarii congerunt in hac objectione, cujusmodi sunt hæc : Dicitur Deus dare (1) spiritum mendacii : Mittere (2) operationem erroris, ut credant mendacio : Filios Heli non audiisse vocem patris sui (3), quia voluit Dominus occidere eos : Dominum (4), abstulisse fortunas suas Jobo, quamvis id latronum injuria factum constet; Deum (5) posuisse Pharaonem, ut ostenderet in illo fortitudinem suam : Deum (6) similem esse figulo facienti vas in contumeliam pro suo libito : Ipsum (7) abscondere veritatem a sapientibus & prudentibus : In Parabolis (8), loqui, ut ii, qui foris sunt videntes non videant, & audientes non intelligant, ne quando convertantur : Dominum (9) miscuisse in medio Ægypti spiritum vertiginis, & errare fecisse Ægyptum in omni opere suo, sicut errat ebrius : Roboam (10) non acquievisse populo, quoniam aversatus fuerat eum Dominus, ut suscitaret verbum suum. De quibus omnibus & his similibus accuratior explicatio reddetur consulendo pro singulis probatos interpretes.

Alias contra prædictas propositionis partes objectiones cum earum solutione, sicuti etiam alia pro iisdem argumenta dabit Suarez (11).

ARTICULUS IV.

Argumenta pro tertia quarta & quinta propositionis parte.

224. TErtia propositionis pars dicit Deum esse caussam mali moralis permissivam, quæ sic probatur. Omne quod aliquo modo est, sine Deo esse nequit : sed malum morale, utpote non mera negatio sed quædam privatio, aliquo modo est : ergo sine Deo esse nequit : Sed nequit esse a Deo ut caussa efficiente aut mediate aut immediate (§.213.) : ergo est a Deo ut caussa permittente. Confirmatur ex illo S. Augustini (12) : *Nihil fit, nisi Omnipotens fieri velit, vel ipse faciendo, vel sinendo ut fiat.*

225. Quarta propositionis pars affirmat, Deum rectissime permittere peccata, quæ cum Suarez (13) sic probatur. Permissio mali

(1) 2.Reg.22.v.23.
(2) 2.Thess.2.v.23.
(3) 1.Reg.2.v.25.
(4) Job.1.v.21.
(5) Exod 9.v.15.
(6) ad Rom.9.v.21.
(7) Matt.11.v.25.
(8) Marc.4 v 12.
(9) Isa 19 v.14.
(10) 3.Reg.ca.12.v.15.
(11) Sua.in 1.2.tr 5.dis.6.
(12) Aug.Enchir.ca.96.
(13) Sua.Metaph.dis 11.sec.3. num.3.

mali moralis ex ſe mala non eſt, & poteſt eſſe bona: Sed rectiſſime quis velle poteſt, quod ex ſe non eſt malum, & poteſt eſſe bonum: ergo rectiſſime Deus velle poteſt permiſſionem peccati. De majori unice dubitari poteſt, eaque ſuadetur I. authoritate S. Thomæ, qui ait, (1) *Deus vult permittere mala fieri, & hoc eſt bonum*. Suadetur II. quia ſi permiſſio mali moralis ex ſe mala eſſet, in nullis circumſtantiis poſſet eſſe bona, licita & laudabilis, quod eſt falſum; Nam in circumſtantiis, in quibus, qui alterius culpam impediret, ipſemet culpam patraret, non ſolum ſine culpa, ſed etiam cum laude illam permittit. Ita laudantur Apoſtoli, qui permiſerunt præviſum Ethnicorum peccatum, ſui ſcilicet homicidium, propterea quod ab Evangelii prædicatione non deſiſterent. Ita miles, quod eſt exemplum Leibnitii (2) in hac re repetitum a Valſecchio (3), poſitus in excubiis permittit cum laude cædem duorum litigantium, quam illuc accurrens facile quidem poſſet impedire, ſed non ſine culpa, quam incurreret deficiendo a ſua obligatione cuſtodiendi ſtationem ſuam. Sic licite permittitur peccatum fœneratoris, dum licite ab illo pecunia petitur urgente neceſſitate, etiam ſub pactione uſuræ, quod eſt exemplum Pallavicini (4), receptum communiter a Theologis, qui cum S. Thoma obſervant permitti uſuras a Republica, (5) *non quaſi æſtimet eas eſſe ſecundum juſtitiam, ſed ne impediantur utilitates multorum*. Plura alia exempla dabit Layman, ubi ex profeſſo docet (6), quando malum non ſit alterius peccato cooperari.

226. Quinta propoſitionis pars, quod Lumen naturalis rationis nobis ſuadeat Deum rectiſſime permittere peccata ſic probatur. Lumen rationis naturalis ſuadet Deum eſse ens perfectiſſimum: Sed nihil velle aut intentive aut permiſſive niſi rectiſſime, eſt de notione entis perfectiſſimi: ergo lumen rationis naturalis ſuadet Deum non velle niſi rectiſſime permiſſionem mali moralis.

Confirmatur. Quivis cordatus homo credit recte & prudenter factum aut dictum, quod novit factum aut dictum ab homine, qui communiter habeatur tamquam excellens integritate aut doctrina, etiamſi ipſe non intelligat, quo illud conſilio fecerit, aut quibus fundamentis dixerit, & tanto magis ita credit quanto major eſt exiſtimatio, quam de illo habeat. Sic ſiquis eſt

(1) S.Thom.1 p.qu.19.ar.9. ad 3. nu.7. in notis.

(2) Leibn. Cauſ. Dei. in fine Theod. num.38.

(3) Val.Fond d.Reli.li.3.par. 2. ca. 3.

(4) Pall.del Bene li.2.ca 55.

(5) S.Tho.2.2.qu.78.ad 3.

(6) Lay Theol.Mor. de Charitate ca. 13.nu.4.

eſt in Urbe Socrates, quidquid moliatur, jam creditur facere ſapienter: Si quod theorema invenitur aſſertum a Nevvtono, jam aſſumitur tamquam certum ab illo, qui imparem mentis aciem habere ſe profitetur: Illico parent milites duci ſuo, de cujus arte militari non dubitant: Sine hæſitatione utitur infirmus remedio, quod præſcribat medicus, cui magnum ſit nomen a doctrina & experientia: ergo quivis homo non poteſt non credere rectiſſime permitti peccata a Deo, quem naturalis etiam Theologia demonſtrat eſſe Sanctiſſimum Sapientiſſimum, & ut Nazianzenus ait, *ipſiſſimam rationem*. Argumentum hoc exornat Ægidius Eſtrix (1), eidemque innitentes clamarunt contra Baylem etiam Pictetus (2) & Vvolfius (3) cum aliis Heterodoxis, quos citat.

Articulus V.

Objectiones contra quartam partem.

227. I. Obiicitur. Ratio humana, prout dicitur in ultima propoſitionis parte non poteſt aſſequi, cur Deus permittat mala moralia: ergo ratio humana non poteſt aſſequi, quomodo permiſſio iſta concilietur cum Bonitate Divina: Sed hoc importat permiſſionem mali moralis attenta ratione humana non vacare culpa: ergo.

Reſp. concedo entymema in eo tamen ſenſu, qui dictis revera conſonet, ſcilicet rationem humanam non aſſequi poſitivas & adæquatas rationes permiſſionis peccatorum, etſi aſſequitur aliquas inadæquatas, & omnes negativas rationes, quatenus ſolvit quæ in contrarium opponuntur. Et nego min. quæ ſubſumitur contra omnem rationem, tum quia poſtquam ratio dixit ſe non poſſe aſſequi, cur Deus permittat hæc mala, nequit ſine contradictione dicere Deum non ſine vitio illa permittere: Sicuti qui ſe declarat non poſſe judicare de coloribus, quia cæcus eſt, nequit, ſi ſibi conſtet, affirmare fictionem eſſe quemvis colorem, aut nigrum eſſe in aliquo objecto colorem, in quo qui vident, dicant eſſe album: Tum quia etſi ratio non aſſequitur, cur Deus permittat hæc mala, hoc tamen aſſequitur, nulla & inepta eſſe argumenta omnia, quæ ad vituperandam vel alio modo

(1) Eſtr. Diatrib. Theol. ſec. 1. aſſ. 13. num. 70.
(2) Pict. cont. l'Indiff. ch. 10.
(3) Vvolf. Manich. ſec. 3. nu. 11. p. 246. & num. 20.

modo notandam hanc Divinam permissionem afferuntur, singulorum vitia planissime ostendens.

228. II. Obiicitur a Cotta apud Tullium (1). Medicus certo sciens ægrotum periturum propter intemperantiam, si illi permittat potionem vini, non potest recte & ordinate, seu sine culpa illam permittere: ergo a pari Deus præsciens homines aliquos peccaturos permittendo illis malum usum rationis, non potest sine culpa hunc illis permittere.

Resp. cum Hooke (2), conc. antec., & nego conseqm. Nam ratio conjuncta cum libertate a necessitate est aliquid, sine quo vel nullo modo habetur homo, vel saltem juxta S. Augustinum (3) non habetur homo perfectior entitative illo, qui nunc est: at vinum est aliquid, sine quo non moritur, aut in nihilum homo revertitur, & potest convalescere. Quare non sine culpa vinum Medicus cum illa prænotione permittit; hoc enim idem est ac ægrotum occidere, qui alias viveret. At sine culpa Deus dat rationem cum illa libertate conjunctam homini, qui illa etiam velit abuti; Hoc enim idem est ac creare hominem, seu speciem creaturarum nobilissimam, & ejus essentiam conservare. Exemplum reformari in rem nostram sic potest. Medicus etiamsi sciat morbum augendum permittendo cibum ægroto, sine ulla tamen culpa permittit, quia sine cibo non vivit homo: ergo a pari Deus etiamsi præsciat hominem aliquem peccaturum dando illi rationem cum ea libertate propter ipsius malum usum, sine ulla tamen reprehensione dat, vel quia sine ratione conjuncta cum ea libertate, quæ in se est bonum aliquod, ea frustra data esset, & non subsistit talis homo: vel propter alias rationes certe Deo dignas, & nobis inscrutabiles.

229. III. Obiicitur a Bayle, & quidem sæpius. Mater certo sciens fore ut filia pudicitiam amittat, si sinat eam interesse certorum hominum cœtibus, hoc illi non permittit sine nota imprudentiæ & crudelitatis, quamvis dicat se permittere ne illi libertatem tollat: ergo neque Deus sine simili nota permittit occasiones peccandi & ipsa peccata, quæ præscivit, si dicatur permittere ex motivo relinquendi libertatem.

Resp. conc. antec. & distin. consequens: non permittit sine aliqua nota Deus occasiones peccati & peccata hominum, si dicatur permittere ex motivo non tollendi ab hominibus libertatem tamquam motivo inadæquato, nego conseqm: tamquam motivo adæquato, omitto, vel potius nego suppositum. Qui enim dicit

(1) Tull. de Nat. Deor. lib. 3. num. 69. Id. ibi d. num. 78.

(2) Hoo. Princ Relig. tom. 1. sec 3. ar. 2.

(3) S. Aug. de lib. arbit li. 3. ca. 5.

dicit cum S. Augustino ut paulo infra videbimus rationem, qua Deus permittit peccata esse supra suum captum, non determinat ullam rationem neque adæquatam neque inadæquatam. Quod autem motivum conservandi libertatem possit esse aliqua inadæquata ratio hujus permissionis in Deo quidem laudabilis, nullo vero modo in ea matre, ratio est cum Hooke loco nuper citato, quod præsentia filiæ illis cœtibus non est necessaria ad illius vitam: at libertas, qua homo in statu viæ possit bene vel male agere, pertinet ad hujus status constitutionem. Vvolfius (1) Trevoltiani (2) & Vicecomes Ales apud eosdem (3) cum multas objecto exemplo dederint disparitates, hujus tamen non meminerunt, quæ præcipua certe est, & sine qua cæteræ videntur minus sufficientes, vel subjacent novis instantiis. Qualis est hæc, quod Mater ex Filiæ perditione nequit nec illi, nec sibi, nec familiæ, nec patriæ utilitatem ullam eruere: at Deus potest, qui plura sua attributa hac occasione manifestat, justitiam si puniat, longanimitatem si toleret, misericordiam si parcat, bonitatem si ad majorem etiam perfectionem comparandam perducat peccatorem.

230. IV. Objicitur. Etsi peccatum permissum non semper sit peccatum permittentis, tamen ipsa permissio semper est peccatum permittentis, quando facile illud poterat non permittere: Sed facile Deus potest nulla peccata permittere: ergo etsi peccata a Deo permissa non sint ipsius peccata, tamen ipsa permissio non satis excusari potest a peccato.

Resp. distin. maj., quando poterat & simul conveniens illi erat non permittere, conc. maj., quando poterat quidem, sed conveniens illi non erat impedire, seu non permittere, nego maj., & concessa minori, nego conseqm. Vidimus supra dari vel imaginari posse (§.25.) etiam inter homines casus, in quibus licita illis sit permissio alicujus mali, quod possent impedire. Ceterum regulariter loquendo respectu hominum semper est peccatum ipsa hæc permissio, quia in ea violatur præceptum Divinum, quo Deus unicuique mandavit de proximo suo. At relate ad Deum ista permissio nunquam subjacet ulli iniquitatis ne umbræ quidem, quia ex una parte Deus nullius contrarium præceptum potest violare, & ex alia non potest unquam non habere rationes permittendi sapientissimas, & se dignas, etsi nobis ignotas. Deus inquit Bossuetus (4) utpote caussa universalis & om-

(1) Vvolfius Manic.sec.2.nu.20.
(2) Trev an.1755.ar.67 pag.1525.
(3) Ibid.an.1758.ar.47.pag.1124.
(4) Bos. Defence de la Tradit. li 11. ca.4.

& omnipotens, ficuti habet potentiam impediendi peccata, ita habet potentiam trahendi bonum ex peccatis, & pro regulis fuæ fapientiæ altiffimis utraque utitur. Quare (1) *non dubitandum eft*, inquit S. Auguftinus, *Deum effe juftum, etiam quando facit, quod videtur hominibus injuftum, & quod homo fi faceret effet injuftus*.

ARTICULUS VI.

Argumenta pro fexta, & feptima propofitionis parte.

231. SExta pars, quod lumen rationis oftendat generales quafdam rationes hujus rectitudinis Divinæ in permiffione peccati probatur fic. Lumen rationis oftendit Deum perfectiffimum ideo permittere peccata, quia aliter derogaret fuis perfectionibus, & feipfum, ut dicit Apoftolus, negaret: & minus generaliter, quia novit ex ipfis malis quibufvis eruere aliqua bona; (2) *Neque enim*, inquit S. Auguftinus, *Deus ullum non dico Angelorum, fed vel hominum crearet, quem malum futurum effe præfciffet, nifi pariter noffet, quibus eos bonorum ufibus commendaret*: quod alibi fæpe (3) inculcat: fed hæ funt rationes generales: ergo.

232. Septima pars, quod Lumen rationis non detegat determinatam vel determinatas in particulari rationes adæquatas, per quas Deus rectiffime permittit peccata, probatur I. ex Scriptura. In ea legitur, (4) *Quis poterit fcrutari vias ejus? aut quis poteft ei dicere, operatus es iniquitatem. Ecce Deus magnus vincens fcientiam noftram*. Similiter fcriptum eft (5) *Judicia tua abyffus multa*, ubi nomine judiciorum Interpretes, & in his Paulus Segneri (6) dicunt venire etiam rationes permiffionis cujufcunque peccati: nomine autem abyffi venit profundiffima vorago, quo oculus non penetrat: ergo juxta Scripturam ficuti oculi noftri non vident, quæ funt in profundiffima voragine, ita mens noftra non affequitur rationem Divinæ hujus permiffionis. Præterea Apoftolus quærentibus quodam modo rationem a Deo, quare (7) *cujus vult miferetur, & quem vult indurat*, refpondet, (8) *O homo tu quis es, qui refpondeas Deo?* Idem de peccato incredulitatis, quod Deus olim in Gentibus, nunc in Judæis permittit, credit

(1) S.Aug.oper.imperf.li.3.nu.24.
(2) S.Aug.de Civi.li.11 ca.18.
(3) Id.de Gen.ad li.11.ca.9. num.12. Id.de Civit.li.22.ca.1. Id.Ep.ap. ad Maxim. 264.alias 141.
(4) Iob.ca.36.v.23.&.26.
(5) Pfal.35.v 6.
(6) Seg.Manna.5 Luglio nu.3.
(7) ad Rom 9.v.18.
(8) Ibid.v.18.

credit quidem esse suam rationem in sapientia & scientia Dei, sed profitetur hanc esse sibi incomprehensibilem & investigabilem, (1) *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus & investigabiles viæ ejus!* Sic ille: ergo multo magis incomprehensibilis & investigabilis a nobis est ratio permissionis hujus & cujuscunque peccati.

233. II. Probatur, quia postquam in hanc rationem inquirendam meditatus fuit S. Augustinus, illam esse supra suum captum professus est, (2) *Altitudinem consilii ejus penetrare non possum, & longe supra vires meas hoc esse confiteor*, quibus similia habet alibi (3) sæpe: ergo erit etiam supra illum aliorum hominum, quemadmodum plures reipsa fassi sunt. In his ante Augustinum est Arnobius Afer, qui cum agens de malis moralibus dixerit: (4) *Cur hæc mala Deus Omnipotens non aufert, sed esse perpetitur, & cum omnibus sæculis pertinaci continuatione procedere!* subiicit, *Si intellectus adfuerit Dei regis ac principis, nec per impias vagari suspicionum voluerimus insanias, respondeamus necesse est, nescire nos ista.* Recentius eosdem sensus exprimunt Michael de Elizalde (5), Alphonsus de Sarasa (6) Jaquelotius (7) Trevoltiani (8), & Christophorus Vvolfius (9) cum aliis etiam Heterodoxis, quos citat, quorum nullus accedit ad exponendas rationes aliquas hujus permissionis, de quibus jamjam aliquid dicam, nisi postquam omni studio conati sunt persuadere mysterium in hac re proponi nobis, de quo nunc nostra Fides exigitur, non vero intelligentia & penetratio. Quid quod temere etiam a nobis inquiri in hujusmodi rationes, videtur mihi manifeste significatum a Davide, quando prohibuit occidi Semei, qui sibi ex permissione Divina, quam Scriptura ibi vocat præceptum, maledicebat, illis verbis, (10) *Dimitte eum ut maledicat, Dominus enim præcepit ei, ut malediceret David: & quis est, qui audeat dicere, quare sic fecerit?* Quamobrem nihil melius in hac re concludere possumus, quam illud Scaligeri

Nescire velle, quæ Magister optimus
Docere non vult, erudita inscitia est.

234. III. Probatur, quia quæ solent proferri tamquam determina-

(1) ad Rom. 11, v. 33.
(2) Aug. de Gen. ad lit li. 11. ca. 5 nu. 6.
(3) Id. Ep i ad Paulinum 149 alias 59. num. 18.
Id de Gen. ad liter. li x1. ca, 10.
Id. de Dono Persev. ca 10.
(4) Arn. adv. Gent. li. 2.
(5) Eliz. Forma veræ Relig. qu. 39. a nu. 727.
(6) Sar Ars gaudendi tom. 1. tra. 6.
(7) Jaq. Examen de la Theolog. de Bayle cha. 12.
(8) Trev an. 1755. ar 67 §. 4. pag. 1519.
(9) Vvolf. Manich. sec. 3. nu. 20.
(10) Reg. 2. ca. 16. v. 10.

minatæ hujus permiſſionis rationes, inveniuntur quidem eſſe aut eſſe poſſe aliquæ, ſive ut ait Bellarminus (1), & deinde Hugo etiam Grotius (2) probabiles, ſed certe non adæquatæ rationes, ut inſtituendo illarum examen planum fit.

235. Prima ratio ſit: Deus permittit peccata, ut locum habeat illa creaturarum ſpecies, qualis eſt homo, quæ ſit prædita libertate etiam peccandi. Hanc fuſe exponunt Tertullianus (3), Simplicius (4), & Jo Tritemius, qui hanc primam facit inter multas, quas perſequitur in peculiari quæſtione, *De Permiſſione Divina*. Eamdem videtur amplecti etiam Suarez, ubi dicit, (5) *velle permittere peccatum non eſt aliud, quam velle hominem habere liberum arbitrium, & formalem uſum ejus*. Eamdem probant Grotius in alio ſuo opere (6), Pererius (7), Trevoltiani (8), & Manditus, qui hanc ante alias proponit in ſuo *Tractatu de Religione*, quem tacito nomine Gallice edidit (9). Certe dignitas intrinſeca hujus creaturæ eſt præclariſſima, nec minor gloria, quæ in Creatorem ex illius conſtitutione redundat. Ac quod pertinet ad dignitatem intrinſecam hujus creaturæ, quis non adprobet illa S. Auguſtini verba, (10) *Sicuti melior eſt vel aberrans equus quam lapis, propterea non aberrans, quia proprio motu & ſenſu caret: ita eſt excellentior creatura, quæ libera voluntate peccat, quam quæ propterea non peccat, quia non habet liberam voluntatem. Nec te moveat, quod vituperentur animæ peccatrices, ut dicas in corde tuo melius fuiſſet, ſi non eſſent; In ſui enim comparatione vituperantur, dum cogitantur, quales eſſent, ſi peccare noluiſſent*. Et alibi (11) *Servos ſuos*, dicit, *meliores eſſe Deus judicavit, ſi ei ſervirent liberaliter, quod nullo modo fieri poſſet, ſi non voluntate, ſed neceſſitate ſervirent*.

236. Per libertatem igitur datur locus creaturæ, quæ habeat dominium in ſuos actus, & capax ſit tot illis animi oblectamentis, quæ redundant ex inquiſitione variarum cognitionum, ex inventionibus, ex inſtitutione vitæ, ex colloquutione cum aliis, ex conſcientia recte factorum, aliiſque hujuſmodi, quæ omnia ſublata libertate tolluntur. Quanto vero ſplendidius effulgeat gloria Creatoris ex conditis creaturis liberis intelligi poteſt, illis per rationem noſtram ab hac rerum univerſitate pauliſper ſublatis: quo

Y y

(1) Bell.de Amiſſ.Grat.lib 3. cap.2.
(2) Grot de Eligenda ſententia §. 8.
(3) Ter.li 2.contr Marci.ca.6.
(4) Sim.Comm.in Epictet. cap. juxta Caninium 54.
(5) Sua.in 1.2.tr 5.diſ.6 n.7.
(6) Gro.de Relig.Chriſt li.1.§.19.
(7) Per in Gen.li.4. de Creat. animæ qu.2.
(8) Trev.an.1755.art.51.nu.5. & art. 67.§ 4.nu.3.
(9) Man.par 2.cha.12.
(10) S.Aug de lib.arbit.li.3.ca.5.
(11) Id ibid cap.18.

quo facto jam Mundus est mera machina digito Dei unice mobilis : in eo amplius elucere nequeunt aut Sapientia aut Potentia Divina, quibus efficit, ut tot creatæ voluntates sui dominæ, sed minus invicem consentientes, in bonum tamen Universi conspirent : nec Divina Bonitas, quæ commercium quoddam amoris instituit inter se & creaturas, quæ ipsi libere possent obsequi : neque Divina Magnificentia & Justitia, quæ in præmiorum atque pœnarum retributione exercentur, quas rationes respicientes Deum magis declarat Bellarminus (1). Nihilominus rationem istam non posse dici adæquatam rationem permittendi peccata, quam Deus sequitur, vidit S. Augustinus, qui illam subjunxit immediate ad apertam confessionem (§. 233.) de altitudine imperscrutabili Divini in hac re consilii.

237. Quod sic etiam suadetur. Certum est Deum Omnipotentem & Sapientissimum posse impedire peccata saltem multa, saltem atrociora, quin tollat Creaturis liberum arbitrium semel ipsis datum : quinimmo illos reipsa, qui ad normam virtutis constanter vixerunt, ideo celebramus, quia libertatem a necessitate bene agendi cum ipsomet bono exercitio conjunxerunt : ergo dicere, ideo Deus permittit peccata, quia non vult tollere creaturis liberum arbitrium, nequit assignari tamquam ratio adæquata, ut notavit jam Pictetus (2).

Quare minus efficax est illa argumentatio Tertulliani contra Marcionem dicentis. (3) *Quominus homo male libertate sua frui aggressus in periculum laberetur, si Deus intercessisset, rescidisset arbitrii libertatem, quam ratione & bonitate permiserat. Denique puta intercessisse. Nonne exclamaret Marcion, O Dominum futilem instabilem infidelem rescindentem, quæ instituit! Cur intercedit, si permisit? Eligat ubi semetipsum erroris notet, in institutione ne an in rescissione.* Marcio enim respondere potest esse aliquod medium inter institutionem libertatis & rescissionem, nimirum talem per Omnipotentiam Dei distributionem Gratiæ, & universim rerum dispositionem, quæ bonum usum datæ libertatis, vel saltem non tam malum, aut non tam frequenter malum secum importaret.

238. Secunda ratio sit illa Pallavicini, qui cum jam in libris de Bono ex professo propugnaverit (4) primam quam insufficientem ostendi, aliam deinde in Assertionibus Theologicis amplexus est (5), quæ est hujusmodi. Deus permittit peccata, quia honestissi-

(1) Bella. de Gra. & lib. arbit. li. 3. c. 18.
(2) Pict. Cont l'Indifferen. ch. 10.
(3) Tertull. cont. Marcion. li. 2 cap. 7.
(4) Pallav. del Bene li. 2 ca 55. num. 5. & seg.
(5) Id. de Act. human. li 1, nu. 192.

ftiffime poteft illa permittere: honeftiffime autem poteft illa permittere, quia honeftiffime vult effe creaturas rationales, quae peccabiles fint; quod probat ex eo, quod Deus honefte vult effe creaturas, quibus poffit imponere praeceptum rigorofum, de cujus ratione eft, ut non neceffitet phyfice, iifque felicitas fit praemium virtutis, non vero naturalis conditio creationis.

Sed haec ratio non fatisfacit. Nam negabunt Adverfarii affumptum, neque quae pro eo adducuntur probationes opportunae funt; Siquidem ex eo, quod Deus honeftiffime velit effe creaturas rationales. quae peccabiles fint, & proinde capaces pro fuo libito obediendi fuis praeceptis, & merendi fibi felicitatem, non illico fit, Deum poffe permittere peccata. Nonne reipfa multi Angeli in Caelo, & Virgo beatiffima in terris fuerunt natura peccabiles, & capaces obedientiae & meriti, & tamen nullum in illis peccatum permifit? Igitur cum ipfe Auctor neget bene arguere illos, qui dicunt *neceffe fuit effe poffibile malum morale, quia alioquin tolleretur libertas*, nefcio quonam modo deinde ex peccabilitate creaturarum, & requifita ad obediendum & merendum libertate concludat, ergo Deus honeftiffime permittere poteft peccata.

239 Tertia ratio fit illa aliorum. Deus permittit peccata, ut oftendat fuas perfectiones. Oftendit enim Sapientiam, dum ab his etiam malis novit multa bona elicere. Itaque (1) *Videte*, inquit S. Auguftinus, *quanta nobis praeftat de ipfo immaniffimo fcelere Judae traditoris. Judas tradidit ad paffionem Filium Dei, & per paffionem Filii Dei omnes gentes redemptae funt ad falutem*. Idem obfervat tale augmentum virtutis ex aliorum peccatis provenire relate ad bonos in hac vita, ut dicat, illos (2) *opus habere malorum commixtione, five ut per eos exerceantur, five ut eorum comparatione magna illis exhortatio fiat, ut nitantur ad melius, quibus fublatis altitudo charitatis quafi evulfa marcefcit*. Oftendit Benignitatem in Creaturas, quas peccantes diutiffime etiam tolerat: eamque facile intelligimus vere effe Divinam, quoties advertamus terrenos Dominos, Parentes, Magiftros expellere tandem a famulatu a familia a difciplina illum vel fervum vel filium vel difcipulum, quos quafi immutabiles in fua perverfitate aliquamdiu deprehenderint. At Divina Clementia non folum malos tolerat, fed ut fecum in priftinam gratiam redeant, perpetuo urget. Hinc ut profequitur idem Auguftinus, *Mali, nifi patienter cum mali funt, tolerentur, ad laudabilem mutationem non perveniunt*. Oftendit Sanctitatem, & Juftitiam, dum praemio bonos, poena malos afficit, faltem in Inferno. Sic S. Au-

(1) S. Aug. in Pfal 93 nu 28. Id. Epift. fed Maximam 144. alias 141.

(2) S. Aug. Quaeft. in Matth. 12. num. 4.

S. Augustinus (1), *Cur non crearet Deus, quos peccaturos esse praescivit, quandoquidem in eis & ex eis, & quid eorum culpa mereretur, & quid sua gratia donaretur, posset ostendere*, quibus similia habet alibi (2).

240. Verum hæ & similes rationes, quas persequitur Vasquez (3), nequeunt dici adæquatæ, & postquam quis istas attulerit, necesse erit assurgat ad alias altiores nobis nunc ignotas, sed certe Deo dignas. Quin immo ne videntur quidem numerari omnino posse inter caussas finales talis permissionis, sed inter bona, quæ supposita jam permissione peccati, Deus novit ex illo eruere. Observavit jam Vasquez (4) *Patres vulgari modo fuisse loquutos, ut Scriptura quoque consuevit cum eventum bonum, qui occasione peccati futurus est, tamquam finem exprimit, & de ipso ut caussa finali loquitur, cum tamen revera bonum, quod Deus ex peccato elicit, non sit primariæ suæ voluntatis*: Idemque deinde conclusit Valentinus de Herice, postquam ex professo propugnavit (5) non posse attribui Deo pro fine permittendi peccata, quicquid sit antecedens ad inferendum, quod Deus intenderit peccatum tamquam medium ad illum finem. Brevius equidem sensum prædictum in similibus auctoritatibus, quæ objiciuntur, sic colligo: SS. Patres respectu peccantium & peccatorum vocant Deum ordinatorem, (6) *Deus*, inquit Augustinus, *sicut naturarum bonarum optimus Creator est, ita malarum voluntatum justissimus ordinator*: Atqui ordinare præsupponit existentiam eorum, quæ in ordinem disponuntur: ergo si Deus est ordinator peccantium & peccatorum, jam antecedenter ad istam ordinationem intelligitur permisisse peccatum. Quod habendum est præ oculis ad colligendum genuinum sensum eorum, quæ ex S. Scriptura & Patribus afferri possunt tamquam denotantia in allatis rationibus haberi caussas finales ipsius permissionis peccatorum. Unde impii quidem inferunt Deum non tam permissive quam intentive velle peccata, & mala illis adnexa etiam æterna: Alii vero, ut refert S. Thomas dixerunt (7), *quod licet Deus non velit mala, vult tamen mala esse vel fieri, quia licet mala non sint bona, bonum tamen est, mala esse vel fieri: quod ideo dicebant quia ea, quæ in se mala sunt, ordinantur ad aliquod bonum, quem quidem ordinem importari credebant in hoc, quod dicitur mala esse vel fieri: Sed hoc* (subjungit S. Doctor) *non recte dicitur*. Quin immo contra illos, qui sic dicant, pronunciavit jam Apostolus, quod (8) *damnatio justa est*.

241. Hinc

(1) Id. de Civ. li. 14. ca 26.
(2) Id. de Nupt. & Concupi. li. 2. ca. 16. nu. 31.
(3) Vas. in 1. par disp. 95. ca. 9. n. 51.
(4) Vasq. in 1. 2. dis. 93. ca. 1. nu. 15.
(5) Heric. in 1. p. tr. 3. disp. 30. cap. 6. num. 31.
(6) Aug. de Civit. l. 11. ca. 17.
(7) S. Thom. 1. p. qu. 19. ar. 9. ad 1.
(8) ad Rom. ca. 3. v. 8.

241. Hinc solvuntur argumenta illa Bayles ab exemplis, quibus contra permissionem peccati caussam Manichæorum agit. Dicit enim (1): Pater nec recte nec ordinate permittit filios suos corruere cum tibiarum fractione, ut ostendat toti Urbi dexteritatem suam in restituendo ad pristinam firmitatem & rectitudinem ossa. Similiter inordinate Rex permittit seditionem, & scelera subditorum in dies augeri, ut sibi acquirat in ejus extinctione famam sapientiæ aut potentiæ, & in eorum punitione illam justitiæ: ergo neque potest dici recte & ordinate Deum permittere peccata ad ostendendas suas perfectiones.

Respondeo enim, concedo totum cum Vasquez, qui jam olim ex hoc ipso quod (2) *prudentis, ut ipse ait, & pii judicis aut medici non est permittere seditiones & morbos intentione afferendi remedia*: aperte dixerat, *falsam esse eorum sententiam*, qui permissionem peccati Adami considerabant tamquam consequentem Divinum propositum communicandi se optimo modo per Incarnationem in remedium peccati. Pictetus (3) videtur concedere antec., & sic distinguere consequens; Non potest illud dici, tamquam ratio adæquata permissionis peccati, conc. conseqm.; non potest illud ullo modo dici, nego conseqm., cujus ab antecedenti diversitatem notat esse, quod allatæ permissiones illius Patris & Regis sisterent tandem in ultimo quodam & præcipuo motivo, certe vitioso, in præpostera ambitione: & rursus essent imprudentes, cum neuter certus esse possit de felici exitu remedii, de quo cogitat: Rex autem ille, qui permitteret scelera, ut haberet, in quibus exerceret justitiam, crudelis animi esset. At in Deum perfectissimum non cadunt nisi fines sanctissimi, & ipso digni, & etsi puniat malos, non tamen permittit esse malos ad finem puniendi, & omnia habet in sua potestate, ut etiam de malis bona possit certissime elicere. Quod est fateri rationes illas non esse adæquatas, sed tamen esse aliquas, quæ saltem satis opportune sunt ad revocandum in mentem inter attributa Dei non esse solam Bonitatem, nec a Deo mundum conditum esse, ut hanc tantummodo creaturis intelligentibus manifestaret, quod præter rationem videtur sæpius supponere Adversarius. Illa etiam dissimilitudo non est omittenda, quam observat Cartesius, quod (4) *potestas quam homines habent uni in alios, ad hoc est instituta, ut ipsa utantur ad illos a malis revocandos: ea autem, quam Deus habet in omnes est quam maxime absoluta & libera*. Hinc fit ut permissio mali data ab homine semper sit reprehendenda, quoties sit vel abusus vel non usus potestatis, quam habeant ad illud impediendum. 242. Quar-

(1) Bayl. Diction. Art. Paulicieus.
(2) Vasq. in 1.p.dis.53.ca,2. nu.13.
(3) Pict. cont. l'Indiff. cha. 10.
(4) Car. Princ. par. 1. nu. 38.

242. Quarta ratio ea sit, quæ apud Trevoltianos ad ann. 1706. sic legitur, Deus permittit peccata (1) *quia sunt occasio tot virtutum admirabilium in tot Sanctis & Adventus Redempteris*. Hanc proposuerunt jam Cajetanus (2), Petrus Halloix (3), Martinus Becanus (4), nuper vero vehementius promovit Franciscus Antonius Piro in libro *de Origine mali* edito an. 1749., eamque tueri conatus est maxime in parte tertia epistolæ cujusdam apologeticæ editæ anno 1770., contra eos, qui illam impugnarunt. Ante omnes ea placuit Lactantio, qui dicit (5), *Simul Deum proposuisse bonum ac malum, & bonum quidem diligere, ac malum odisse, sed ideo malum permisisse, ut & bonum emicaret*. At inadæquata dicenda omnino est hæc etiam ratio, vel ut melius dicam nulla. Quod mihi plane videntur demonstrare duo hæc argumenta, quæ ceteroquin non invenio in illis octo, quæ Gherardus de Angelis apud eumdem Pirum (6) contra ipsum protulit. Alterum est, quod sicuti ex doctrina Apostoli (7) non sunt facienda mala, ut eveniant bona, ita neque sunt ex hoc fine permittenda. Alterum est, quia enumerata bona sunt etiam illa, effectus ordinationis divinæ de peccatis jam existentibus ex ejus permissione, non finis permittendi. Aperte hoc exprimit S. Augustinus dicens (8): *Ad aliquem usum Sanctorum ordinatur omnis cæcitas impiorum a Summo Deo, qui bene utitur etiam malis*: Quæ verba *utor & usus*, quæ important illius quo quis utitur præviam existentiam, frequentissime (9) sunt apud illum loquentem de bonis, quæ ex impiis & peccatoribus in hunc Mundum derivantur. Addatur confirmatio ex authoritate S. Thomæ supra ad finem num. 240. relata, & hic opportune commemoranda, utpote directe opposita Piri systemati. Addantur etiam, quæ aliqui contra Lactantium urgent, quod per ea verba iterum insinuet necessitatem vitiorum ad existentiam virtutum, errorem scilicet, qui in ejusdem libro *de Beata Vita* legitur plus nimis inculcatus, ubi respondetur huic quæstioni (10), *Cur* (Deus) *non fecit, ut nemo peccaret, nemo faceret malum*. Quæ habenda sunt præ oculis, ne huc procedant qui hanc opinionem amant, etiamsi fortasse non habeant locum contra Lactantium, juxta illos, quos citat

(1) Mem. de Trev. an. 1706. art. 74. pag. 967.
(2) Caj. in 1. par. qu. 22. ar. 2. ad 2.
(3) Hall. Ecclesiæ Orient. Scriptorum. Vita S. Albercii ad cap. 11. qu. 2.
(4) Bec. Manu. controvers. li. 5. ca. 16. nu. 6.
(5) Lac. de Ira Dei cap. 15.
(6) Piro. Nuove aggiunte. Discorso preli.
(7) ad Rom. 3. v. 8.
(8) S. Aug. Cont. Faust. li. 16 ca. 21.
(9) S. Aug. Ep. ad Maxim. 264. alias 141
Id. in Psal. 77. nu. 28.
Id. in Psal. 36 ser. 1. nu. 11.
Id. in Psalm. 104 nu 17.
(10) Lac. de Beat. Vit. sive li. 7. ca. 5.

tat Eduardus a S. Xaverio ultimus qui hunc auctorem illustravit, qui censent eam disceptationem ab aliquo Manichæo eidem assutam fuisse.

243. Illud etiam contra alteram hujus rationis partem est, quod ea supponat Christum non venturum, si Adam non peccasset, quod est controversum. Præterea videtur supponere dari non posse Redemptionem, per quam quis præservetur a lapsu: quod est falsum ex communissima sententia circa Beatam Virginem, quæ hanc solum illi pertinere Redemptionem docet, de qua videri potest Suarez (1). Tandem dato hoc antecedenti, Christus non venisset, si Adam non peccasset, hæc consequentia, ergo causa finalis permissionis peccati Adami fuit exercitium Redemptionis, negatur expresse ab illis ipsis, qui propositum antecedens vehementer propugnant, ut a Platelio (2). Horum enim doctrina est prius per rationem permitti peccatum Adami *justissimis sed arcanis de caussis*, deinde præviderі ipsius peccati existentiam, tandem decerni Christi Incarnationem, & Redemptionem.

245. Quinta ratio hujus Divinæ permissionis sit illa, quam primam invenio apud Kingium, ubi fusissime in hanc rem inquirit: quod peccata, quæ vocantur mala moralia, sint minora mala, quam mala naturalia, qualia sunt miseriæ, quibus subjecti sumus, quia inquit (3) *electiones pravæ ideo præcipue pro malis habentur, quia nos in mala naturalia ducunt. Majora ergo sunt mala naturalia, quam moralia; propter enim quod aliquod malum, necesse est, ut illud pejus sit*. Ex quo sequitur, ut sicuti sine ulla læsione aut nota Divinæ Bonitatis, Deus intelligitur permittere seu potius velle mala naturalia, ita intelligitur permittere mala moralia.

Rejicitur hæc, quia impossibilis & laborans falsa suppositione circa gravitatem minorem mali moralis, quam naturalis, ut jam olim S. Thomas distincte docuit dicens (4), *quod culpa habet plus de ratione mali quam pœna, & non solum quam pœna sensibilis, sed etiam universaliter accipiendo pœnam, secundum quod privatio gratiæ vel gloriæ pœnæ quædam sunt*.

246. I. Quia Sacra Scriptura aperte nos docet propter peccata subjacere hominem malis naturalibus, & hæc esse illorum pœnam (§. 53.): ergo majora sunt mala moralia, quam naturalia; *Propter enim quod aliquod malum necesse est, ut illud pejus sit*, repetam ego optimo jure, quod Kingius non poterat pro se afferre, ut contra

(1) Suar in 1.2.tr.5.disp.9.sec.4.num. 10.& sequ.

(2) Plat.de Incarn.nu.84.

(3) King.de Orig. Mali cap. 5. sec. 5. subsec.2.a nu.1.

(4) S.Thom.1.par.qu.48.ar.6.

tra illum notavit jam Vvolfius (1), nisi in scelerata sententia jam (2) confutata, quod malum morale non habeat rationem mali nisi ex denominatione quadam extrinseca, puta ex hominum opinione, aut nocumento quod nobis vel Reipublicæ afferat.

II. Malum culpæ importat, voluntatem se exercere inordinatim. malum vero pœnæ non se exercere circa aliquid, cujus usu privatur: ergo quanto aliquid est majus nihilo, tanto malum culpæ est majus malo pœnæ. Simile argumentum adhibet citato loco S. Thomas concludens, *quia ergo culpa consistit in deordinato actu voluntatis, pœna vero in privatione alicujus eorum, quibus utitur voluntas, perfectius habet rationem mali culpa, quam pœna.*

247. III. Cum eodem S. Thoma: Malum pœnæ opponitur bono creaturæ, quo illam privat, at malum culpæ opponitur Bono increato Divinæ voluntati: ergo majus malum est culpa, quam pœna.

IV. Malum, per quod creatura rationalis evadit intrinsece mala in ulteriori sensu quam metaphysico, majus est eo malo, per quod non evadit sic intrinsece mala; atqui per malum morale creatura rationalis evadit intrinsece mala in ulteriori sensu, quam metaphysico: per malum vero naturale non evadit sic intrinsece mala; Quis enim affirmabit ægrotum vel pauperem, aut alio naturali modo miserum esse sceleratum, aut intrinsece malum in ulteriori sensu, quam metaphysico? ergo malum morale majus est malo naturali. Utrumque proxime factum argumentum confirmant piæ illæ Sanctorum affectiones, quibus profitebantur malle se uri etiam in æternum, quam vel semel peccare.

V. Malum, cujus Deus nullo modo potest esse author, est longe majus illo, quod ipse sanctissime potest velle: sed mali moralis Deus nullo modo potest esse auctor ex dictis (§. 213.): malum autem naturale ipse sanctissime potest velle, ut vidimus (§. 177.): ergo.

248. VI. Sunt quidem multa mala moralia, quæ metaphysice connectuntur cum malis naturalibus, ut furtum & homicidium; Nam in hæc mala directe tendunt & terminantur: Sed multa etiam sunt, quæ hanc connexionem non habent, ut sunt peccata cogitationis saltem aliqua, quæ in hac Kingii opinione videntur excludi a numero peccatorum.

VII. Mala naturalia sunt consequentiæ physice necessariæ ex natura creaturarum hujusmodi, quæ constant etiam materia, cujus partes, ut utilis esset, debuerunt habere motus inter se contrarios: Unde provenit alteratio in compositis & dissolutio, quæ in ani-

ma-

(1) Vvol. Manich. sec. 3. nu. 34.   (2) De Bono.

matis morbi tandem ſunt & mors; Quare vel Deus has creaturas non debuerat creare, vel quoties illas creaverit, non poterat ut Author naturæ non velle illarum alterationes & diſſolutiones: At mala moralia involvit contradictionem eſſe conſequentias ullo modo neceſſarias ex natura creaturæ liberæ ab illorum neceſſitate. Sola igitur mala moralia ſunt quid unice & prorſus deteſtabile.

249. Sexta ratio ſit illa, quam dat Leibnitius dicens cum Optimiſtis (1). *Deum non permittere peccata, niſi quia abſolute impoſſibile eſt melius fieri a quocunque*, hoc eſt ut alibi (2) diſtinctius explicat, quia cum Deus neceſſitetur ad faciendum optimum Mundum, poſito quod Mundum voluerit creare, ea peccata non vult quidem propter ſe, nec ut media ad ſuam gloriam, ſed propter optimam Mundi conſtitutionem, ad quam pertinent ut conditiones, ſine quibus non eſſet Mundus optimus. Rejicitur hæc, quia impoſſibilis; nam ut alibi (3) oſtendi falſum eſt ſyſtema Optimiſmi, ſive quod Deus non potuerit facere Mundum hoc qui exiſtit meliorem. Nec argumenta, quæ pro hac opinione Canzio nuper viſa ſunt, ut ipſe ait (4) *peremptoria, & phari loco habenda*, quidquam poſſunt niſi apud eos, qui falſa illa Leibnitii principia admiſerint, de neceſſitate in Deo creandi optimum, & de facultate in nobis inveniendi rationem ſufficientem de omnibus.



(1) Leib Eſſai de Theodic. par. 2. nu. 165.
(2) Id. ibid. nu. 340.
(3) Diſſ. de Mundo.
(4) Canz. Philoſoph. Leibnit. cap. 6. §. 554.

SECTIO VIII.

Corollaria circa Subjectum, & Causam efficientem finalem & formalem mali.

COROLLARIUM I.

250. 
Ubjectum cujusvis mali est aliquod bonum: Nam subjectum privationis alicujus boni est aliquod bonum: sed quodvis malum est privatio alicujus boni (§. 35.): ergo subjectum cujusvis mali est aliquod bonum. Simile argumentum habet S. Thomas (1), ubi distincte idem statuit & propugnat. Illius majorem S. Augustinus, qui frequens (2) est in eadem assertione, fuse probat in hunc modum (3): Si subjectum, quod aliqua perfectione privatur, non esset bonum, esset malum: ergo esset nullum; Nam malum est in genere negationis: ergo donec subjectum privationis sit aliquid, est etiam aliquod bonum.

Dices: S. Dionysius negat (4) *malum esse in his quæ sunt*: ergo negat esse in bono.

Resp. cum S. Thoma articulo nuper citato, dist. antec. Negat malum esse in his, quæ sunt, per modum entis positivi, conc. antec. per modum privationis, nego antec. & conseqm.

251. Ex eo, quod subjectum cujusvis mali sit aliquod bonum (5) *patet*, inquit Pallavicinus, *puram negationem entis possibilis* (quod non sit de genere modificationis) *non esse malum*, *quia non est in alio*, *cui disconveniat*. Ex eodem principio colligit Augustinus (6) hoc paradoxum, quod *malum sit*, *quod bonum est*: *nec malum sit*, *nisi quod bonum est*. Verum illud, sicuti par est, cessat esse paradoxum, si remotis terminis mali & boni, qui abstracte sumpti, adeoque in significatione confusa & indeterminata, efficiunt rectæ intelligentiæ, quandoquidem explicant mutuam inter se oppositionem, reponantur illorum apertæ explica-

ca-

(1) S.Thom.1.p qu.48 ar.3.0.
(2) S.Aug.de Civit.li.12.ca.3. Id.lib.1.cont.Julian.oper imper. nu. 114.p.940.& ibid.nu.66. Id cont.Epist.Fundam.ca.31.
(3) Id Enchirid.ca.11 nu.4.
(4) S.Dion.de divi.nomi ca.4.
(5) Pall.de Act hum lib.1 nu.187.
(6) S.Aug Enchir.cap.11.nu.4.

cationes, & dicatur carens aliqua perfectione est aliquid, quod habet aliquam perfectionem, nec caret aliqua perfectione, nisi id quod habet aliquam perfectionem.

COROLLARIUM II.

252. Causa directe, hoc est non de consequenti efficiens malum, nulla est.

Nam malum quidem metaphysicum, seu improprie tale (§. 6.) est mera negatio, seu merum nihil: malum vero proprie tale est etiam ipsum quædam negatio, quæ dicitur privatio seu defectus (§ 8.): Atqui merum nihil, est nihil per hoc ipsum, quod nulla sit caussa directe illud efficiens: & similiter defectus est id, quod est, ex causa non jam physice efficiente sed deficiente in agendo: ergo. In majori magis magisque declaranda contracte ad malum morale fuse immoratur S. Augustinus per plura capita libri 12. de Civitate Dei (1), ubi tandem concludit, (2) *ergo malæ voluntatis efficiens naturalis, vel si dici potest, essentialis nulla est caussa, nec talem voluntatem facit nisi defectio, qua deseritur Deus, cujus defectionis etiam causa utique deficit.*

Minorem vero eodem S. Doctore referente (3) fuerunt, qui negarunt, innitentes in illo Joannis, (4) *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quia ipsum nihil in fine sententiæ positum est: ergo, inquiunt, factum est, & ideo quia factum est, ipsum nihil aliquid est.* At illa, si opus sit, confirmatur responsione ejusdem S. Doctoris, quæ est hujusmodi. Quemadmodum, quia *domus revera est aliquid, nihil interest, utrum dicatur sine illo facta est domus, an sine illo domus est facta: ita quia nihil utique non est aliquid, quando vere & proprie dicitur, sive dicatur, sine illo factum est nihil, sive sine illo nihil factum est, nihil interest.* Responsio tamen opportunior est hæc alia ab eodem ibidem data: Quis velit loqui cum his, qui sensum perdiderunt studio contradicendi? Qui sanum habent cerebrum, rem manifestissimam vident.

253. Hinc si causa sit non libera, & aliquo naturali malo affecta malum provenit ab ipsa, ut non agente ex intrinseca sibi necessitate: sin caussa sit non libera, sed carens omni malo naturali (§. 9.) malum provenit ab ipsa, ut non agente ex extrinseca sibi necessitate, propter scilicet impedimentum aliquod sibi

(1) S. Aug ca 6. & seq.
(2) Id. ibid. ca. 9.
(3) Id. de Natu. Boni. ca. 25.
(4) Ioan. Evang. cap 1.

sibi insuperabile; (1) *Agens enim naturale*, inquit S. Thomas; *producit effectum suum talem, quale ipsum est, nisi impediatur ab aliquo extrinseco*. Sin tandem caussa sit libera, hoc est domina sui actus, malum provenit ab ipsa, ut non agente ex dominio, quod habet in suum actum absque ullo neque intrinseco neque extrinseco impedimento, quorum neutrum componeretur cum prædicta libertate. Patet hoc ex nuper dictis (a §. 227.).

COROLLARIUM III.

254. CAussa de consequenti efficiens omnis mali naturalis est vel solus Deus, vel Deus simul & Creaturæ, quatenus vel aliquid in re efficiant, quod est incompossibile cum aliqua perfectione, quam res illa prius habebat, vel non dant effectui omnem perfectionem sibi debitam. Quod malum si inordinate fit a creatura rationali, quæ sola capax est inordinatæ operationis, cum dicatur malum morale, sola illa est caussa efficiens mali moralis. Atque quia malum morale trahit secum ejusdem creaturæ malum pœnæ, ideo ipsamet jure dicitur sola caussa omnis mali proprie talis, cui subjacet.

Prima corollarii pars confirmatur authoritate S. Thomæ, qui propterea quod agnovit dari caussam efficientem de consequenti malum, ideo loquens de causa mali non dixit absolute illud non habere caussam, sed (2) *aliqualiter causam habere, vel habere causam per modum agentis, non autem per se, sed per accidens*. Ultima autem corollarii pars est argumentum homiliæ S. Basilii, cujus titulus est (3) *Quod Deus non est auctor malorum*, & quam Italicam eleganter cum aliis fecit Angelus M. Riccius, & Florentiæ edidit ann. 1732. Eadem confirmatur verbis S. Augustini, qui cum profiteatur, (4) *quæstionem illam* (unde malum) *se admodum adolescentem vehementer exercuisse, & fatigatum in hæreticos impulisse, atque dejecisse*, tandem a libero voluntatis arbitrio omne hominis malum exortum fuisse statuit, tum malum culpæ, tum illud, quod ex illo sequutum est, malum pœnæ, Quod in multis suis operibus (5) docet, præcipue vero in tribus de libero arbitrio libris, quos scripsisse se dicit (6) *propter eos, qui negant ex libero voluntatis arbitrio mali originem duci: & Deum si ita est Creatorem omnium naturarum culpandum esse* con-

(1) S.Thom.1.p.qu.49.art.1.ad 3.
(2) S.Thom.1.par.qu 49.art.1.O.
(3) Bas.Oper.tom.2.
(4) S.Aug.de lib.arb.ca.2.nu.4.
(5) Id.Enchir.ca.24 & seq.nu.4.
Id.lib contra Fortunatum.
Id de Civit.li.22.c.1.
(6) Id.lib.1.Retrac.cap.9.nu.2.

contendunt: eo modo volentes secundum suæ impietatis errorem, Manichæi enim sunt, immutabilem quamdam & Deo coæternam introducere mali naturam.

255. Cum itaque improba voluntas sit causa malorum omnium proprie talium, quæ sunt in creaturis rationalibus tam Angelis quam hominibus, illa Angeli jam depravati, qui persuasit Evæ inobedientiam est causa remota & extra genus nostrum humanum, malorum omnium, quæ illud affligunt; illa vero Evæ in idem peccatum impellentis Adamum est jam prima, intra speciem humanam, malorum ipsius causa. Quare S. Augustinus loquens de lapsu filiorum Dei alienigenarum mulierum amore captorum, unde & omnes exceptis octo diluvio perire meruerunt, dicit, (1) *quod malum a sexu feminineo causam rursus invenit*: Proxima tamen, & persæpe unica causa mali potissimi, scilicet actualiter moralis, est cujusque voluntas; (2) *Nam* sic idem Augustinus, *esse posse voluntatem malam etiam sine aliquo spiritu vel seducente vel incitante, in ipso Diabolo satis ostenditur, qui per nullum alium Diabolum, sed propria voluntate factus Diabolus invenitur.*

256. Quoniam ex hoc & superiori corollario manifestum est causam efficientem mali in uno sensu nullibi, in alio vero etiam in Deo inveniri, non immerito laudari debet de prudentia Arnobius, quod scribens adversus Gentes post recentem suam ab Ethnica superstitione ad Fidem Christianam conversionem dixerit ad quæstionem, (3) *Mala unde sunt? Responsionis necessitas nulla est. Unum solum posuisse contenti, nihil a Deo principe, quod sit nocens atque exitiale proficisci. Cætera quæcunque neque nosse contendimus, neque investigare curamus.* Injuria igitur Desiderius Heraldus in suis ad illum notis ex hac ipsa sua responsione argumentum desumit ipsum accusandi, quod hæreticorum sui temporis errores adoptaverit.

COROLLARIUM IV.

257. Causa formalis cujusvis mali, per quam scilicet malum constituatur in esse mali, nulla est.

Nam malum non solum improprie tale (§. 6.), sed etiam proprie tale est negatio quædam (§. 32.). Atqui repugnat dari formam aliquam, per quam nihilum seu negatio constituatur in esse nihili; nomine enim causæ formalis venire solet aliquid posi-

(1) S Aug. de Civit. li. 15. ca. 42.
(2) Id. de Patientia ca. 24. nu. 21.
(3) Arn. li. 2. infra medium.

positivum: ergo repugnat dari caussam formalem seu formam aliquam mali. Hoc ipsum S. Thomas jam olim dixit: (1) *Caussam formalem malum non habet*. Nihilominus quoniam ipsæmet negationes concipiuntur per modum entis, dici potest, malum prout concipitur tamquam aliquod ens, habere pro sua caussa formali ipsammet suam malitiam, ut Suarez non solum loco supra (§.3.) citato, sed alibi (2) etiam adnotavit: & hoc modo ipse dicit de Peccato Originali, illud (3) *formalem caussam non habere præter quidditatem suam*.

COROLLARIUM V.

258. Caussa finalis omnis mali proprie talis est sempet aliquid extrinsecum ipsi malo, & quidem bonum aliquod vel verum vel apparens.

Prima pars probatur, quia malum in seipso utpote negatio non potest habere rationem finis, sive intendi propter se (§ 163.) Ex quo est illud effatum, *nemo intendens ad malum operatur*, cujus luculentam paraphrasim exhibet S. Thomas (4). Rursus sic arguitur. Causa finalis habet, quod sit intentio finis, scilicet alicujus boni requisiti ad perfectionem debitam rei, contra vero malum proprie tale habet, quod sit privatio talis finis: ergo mali causa finalis nequit esse ullum malum, sed aliquid ipsi malo extrinsecum. Confirmatur ex S Thoma, qui ait, (5) *Malum non habet causam finalem, sed magis est privatio ordinis ad finem debitum*.

Secunda pars probatur, quia Deus recte & ordinate semper operans, malum omne tam pure naturale quam pœnale semper intendit propter verum bonum (§ 163 & 177.). At creatura utpote limitatæ cognitionis potest malum naturale velle non solum propter verum, sed etiam propter apparens dumtaxat bonum: utpote vero etiam capax inordinatæ operationis, malum morale semper vult propter bonum apparens. Quare, *proxima radix*, inquit Suarez (6), *mali moralis, est libertas voluntatis, quæ non habet necessariam conformitatem cum sua regula, concurrente simul aliquo defectu intellectus*.

CO-

(1) S.Thom.1.p qu.49.art.1.O.
(2) Suar.Metaph.disp.11.sec.3.nu. 1.
(3) Id.in 1 2.tr 5.disp.9.sec.3. nu.1.
(4) S.Thom 1.p.qu.19.ar 9.O.
(5) Id.ibid.qu.49.ar.O.
(6) Suar.Metaph.disp.9.sec.2.nu. 1.

COROLLARIUM VI.

259. EX dictis colligitur, quomodo apertissime dissolvatur celebre sophisma, quod apud Tullium (1), Sextum Empiricum (2), Tertullianum (3), & Lactantium (4) legitur, fons non tantum Manichæismi, sed Incredulitatis, & est hujusmodi. Deus aut vult tollere mala & non potest: aut potest & non vult: aut nec vult nec potest; Atqui si vult & non potest, caret Potentia: si potest & non vult, caret Bonitate: si nec vult nec potest, caret Potentia & Bonitate: ergo Deus caret Potentia, vel Bonitate, vel utroque; Eo ipso Deus non est, seu non existit: ergo Deus non existit.

Dissolvitur igitur tribuendo determinatam aliquam significationem generico nomini malum, quæ prout diversa esse potest, diversa pariter nascitur responsio. Fac argumentum loquatur de malo tamquam natura aliqua seu ente positivo, jam negatur suppositum in ipsa prima propositione ex dictis (§ 35.). Fac loquatur de malo morali, tunc concessâ majori, negatur minoris secunda pars: Nam posse & non velle tollere mala moralia, est posse & non velle, ut deficiat in creatarum rerum numero species nobilissima creaturarum, quæ præditæ sint libero bene vel male agendi arbitrio, cum permissiòne mali ipsius usus ob rationes certe Deo optimo dignas, etsi nobis inscrutabiles. Fac loquatur de malo naturali, tunc iterum concessa majori, iterum pariter negatur minoris secunda pars: Nam posse & non velle tollere mala naturalia, sive pure naturalia (§.12.) sint, sive non pure naturalia, sed etiam pœnalia, est posse & non velle tollere bona diversi generis (§.163.). Fac tandem loquatur de malo metaphysico, tunc iterum concessa majori, negatur tertia minoris pars; Nam non velle & non posse tollere hujusmodi malum est, non velle & non posse id, quod involvit contradictionem, scilicet creaturam infinite perfectam.

De hoc Sophismate multi loquuti sunt, ut præter citatos, Elizalda (5), Jo. Franciscus Buddeus (6), Kingius (7), Leibnitius

(1) Tull. li. 3. de Nat. Deor. n. 92.
(2) Sex. Hypoth. Pyrrhon. li. 3. ca. 7.
(3) Tertull. adver. Hermog. cap. 10. lib. 2. Contr. Marcionem cap 5.
(4) Lact. de Ira Dei cap. 14.
(5) Eliz. Forma Veræ Relig. qu. 39. & seq.
(6) Budd Trac. de Atheis. cap. 7. §. 1. in notis.
(7) King de Origin. Mali cap. 5. sec. 5. subsec. 7. num 7.

tius (1) Valsecchius (2), Para (3) Genuensis (4) & alii de quibus ipse Genuensis alibi (5) de hoc tertio agens meminit, omnes putantes illud se penitus dissolvisse, quod aliqui illorum non videntur sufficienter fecisse. Bayle (6) vero satis audacter & inscite insolubile esse pronunciavit.

(1) Leibn. Essai de Theodic. in animadv. ad Kingium §. ult.
(2) Val. Fond. della Relig. li. 3. part. 2. ca. 3.
(3) Par. Elem. de Metaph. nu. 247.
(4) Genu. Elem. Metaph. par. 3. cap. 4. prop. 24.
Id. ibid. in Append. ad cap 4. §. 23.
(5) Id ibid. tom. 4. de Principiis Legis cap. 3. §. 2.
(6) Bayl. Diction. art. Pauliciens.

L A U S D E O.



DE



DE PULCHRO

AUTHORE

ANDREA SPAGNIO



PRÆFATIO.

I.  Ulchrum dari extra controversiam est; Certi enim sumus ex experientia trahi quodammodo homines a rebus pulchris, ita ut etiam qui indole aspera aut superba sunt, demittant animos, & pulchris obsequantur. Hinc aliquæ gentes, referente Strabone (1) Pomponio Mela (2) & Athenæo (3), illos sibi in Regem eligebant, qui pulchritudine alios superarent, & Deus ipse Israelitis regem postulantibus Saulem dedit, qui (4) *stetit in medio populi, & altior fuit universo populo ab humero & sursum: & ait Samuel ad omnem populum, certe videtis, quem elegit Dominus, quoniam non sit similis illi in omni*

(1) Strab.li.6.
(2) Pom.li.3 ca.4.
(3) Athen.li.13.
(4) Reg.li.1.ca.10.23.

omni populo. Vulgus tandem ipsum quotidie audimus de iis, quos etiam in plebe vident pulcherrimos, dicere dignos esse, qui e regio sanguine ad imperium fuissent procreati, quæ est vox omnium temporum, cum illud Euripidis *Priami forma digna imperio*, vel ut alii advertente Menocchio (1) melius legunt, *præstans forma digna imperio*, fuerit jam apud veteres in proverbio.

2. At quidnam sit pulchrum, non ita facile explicatur. Quare idea ipsius, sicuti de idea boni dictum est (2), apud omnes tam doctos, quam indoctos clara est, quatenus utrique conveniunt in assignanda eadem re, ut eodem homine, qui pulchritudinis dote excellat inter alios: sed quotusnam ex doctis etiam erit, qui noverit proferre definitionem pulchritudinis talem, quæ non solum reddat ipsius ideam claram, sed distinctam etiam faciat? Magnam in hoc difficultatem illi ipsi, qui de ea acquirenda solliciti fuerunt, expertos se esse fatentur, ex quibus est S. Augustinus, qui multa testatur (3) olim se de hac re meditatum fuisse & scripsisse, quæ tamen sua etiam ætate dicit intercidisse: & propius nostris temporibus Petavius (4), qui subtiliter & erudite differens de natura pulchritudinis, illud Platonis in hac re commemorat, (5) *quod in proverbio diceretur, quæ pulchra sunt, esse difficilia*: Et Trevoltiani, quorum sententia est (6) *videri minus difficile facere, quam definire pulchrum*: Et Diderotius, qui in Encyclopædia seu Dictionario Dissertationum, quod e Gallia prodiit, articulum *de Pulchro* aggrediens observat, non solum quæ pulchra sunt, sed generalius quæ magis sermone hominum usurpata sunt, esse intellectu difficillima, a qua observatione jam antea Ivo Andre aggressus fuerat suum *de Pulchro tentamen*, de quo infra redibit sermo: Et tandem Aloisius Verneius, qui ait ea, quæ (7) *Veteres & recentiores Philosophi dixere, mihi implicatiorem rem ipsam facere, quam nudum vocabulum pulchrum*: quod illi credendum est, non solum quia sponte id fatetur, sed etiam quia, postquam tandem pulchrum statuit definiendum, *id quod placet, idest vel visum vel auditum delectat*, dicit non multo post, *nulla certa notio pulchritudinis constitui potest*. Experiar igitur & ego pro modulo meo, an extundere possim tum ideam distinctam pulchri, tum illas, quæ conveniunt suis speciebus, quas conabor accurate distinguere. Atque quoniam pulchro opponitur deforme, & oppositorum oppositæ sunt notiones & gradus, ex iis, quæ de pulchro statuuntur, conjici debent, quæ ad deforme pertinent.

SE-

(1) Mem. Stuore par. 2. cent. 4. ca. 22.
(2) De Bono §. 1.
(3) S. Aug. Conf. li. 4. ca. 13.
(4) Petav. Dogm. Theol. de Deo lib 6. ca. 8. num. 6.
(5) Pla. Cratilus sub. initium. Id. Hippia mai. in fine
(6) Trev. an. 1748. ar. 59. pag. 1150.
(7) Vern. Metaph. li. 4 ca. 11.

SECTIO I.

Definitiones, & Divisiones Pulchri.

Articulus I.

De Pulchritudine tum in genere, tum vera, tum apparenti.

3. Ulchrum significat ens bonum in se, constans diversis sive realiter sive æquivalenter partibus, quod per sui cognitionem delectat. Ita corpus humanum, in quo plures realiter sunt partes, pulchrum est & dicitur, quoties hæ cognoscantur habere eam perfectionem, quæ ipsis convenit, per quam possit dici bonum & non malum, cum qua cognitione semper conjungitur quædam animi delectatio. Ita anima pulchra est & dicitur, quatenus intelligitur acuta in cognoscendo, recta in volendo, prompta in recordando, quæ præcipuæ sunt ipsius partes, non quidem reales, sed per æquivalentiam fundatam in hujusmodi diversis effectibus ab ipsa in se simplici prodeuntibus.

4. Ex iis, quæ dixi agens *de Bono*, notum est aliud esse bonum in se, aliud bonum alteri: nec omne quod est bonum alteri, esse bonum in se. Quare definitio pulchri importat bonum quod in se tale est, non vero quod bonum dumtaxat est per respectum ad aliquid a se distinctum, ut infra probando bonitatem hujus definitionis suadebo distinctim. Rursus ex ibidem dictis aliud est bonum verum, aliud apparens, etiam cum sermo est de Bono in se. Eadem proinde divisio cadit in pulchritudinem: atque quæ vera est pulchritudo, postulat ut sit reapse bonum in se, cum quæ apparens dumtaxat est, postulet ut per errorem reputetur esse bonum in se. Hanc divisionem in pulchritudinem veram, & apparentem observarunt etiam citatus Diderotius (1), & Vvolfius apud eumdem (2), & recentius Fuginellius (3). Hinc fit, ut quæ unus pulchra dicit, alius neget, quia nimirum alteri est apparens, alteri vero non est.

(1) Did.Encycl.art. Beau. §. Quand ie dis.

(2) Id.ibi.§.Il distingue.

(3) Fig.Princ. Metaph. tom. 1. prop. 40.coroll.3.

ARTICULUS II.

De pulchritudine essentiali, & naturali.

5. PUlchrum formaliter sumptum, seu pulchritudo tam vera, quam apparens, immediate dividitur in essentialem, naturalem, & artificialem. Yvo Andre Soc. Jesu mortuus an. 1764. ætatis suæ octogesimo nono in Xenodochio Urbis Cadomi, in qua per annos 50. Mathesim docuerat, qui scripsit Gallice *Tentamen de Pulchro*, ubique jam celebre, & magnifice laudatum a Diario Encyclopædico Bullionensi (1), & a Gallica Encyclopædia (2), & a Formeyo, qui novam illius editionem dedit longa adornatam præfatione, postquam prodiit iterum ab ejus Auctore dimidia fere ex parte auctum, & distributum per sermones, cum prius esset per capita, ille prædictam divisionem dedit, cujus duo posteriora membra. cum limitatione tamen ad res corporeas observavit jam olim S. Augustinus, dicens (3) *omnia, quæ sensibiliter pulchra sunt, sive natura edita, sive artibus elaborata.*

6. Pulchritudo essentialis est, quæ consistit in rei essentia, nullam involvente contradictionem in suis attributis apte inter se convenientibus, per quæ a nobis concipitur vel explicatur. Talis pulchritudo non solum est in omnibus existentibus creaturis, sed in omnibus absolute possibilibus, quam solus Deus infinite intelligens perfectissime cognoscit.

7. Pulchritudo naturalis consistit in essentia rei existentis. Hæc cum sermo est de quavis creatura, & ejus actionibus, quæ non sint ipsi liberæ, unde dici illæ solent naturales, & naturaliter pulchræ, dependet a Libertate Dei, qui cum sit infinitus in cognoscendo, ex infinitis modis, quibus salva pulchritudine essentiali, quæ & fundamentalis dici potest, vidit potuisse variari in eadem specie creaturam aliquam, elegit, & determinavit hunc potius modum, quam illum, sub quo daret illi existentiam. Exemplum talis pulchritudinis habetur in toto Universo, & singulis ipsius partibus, ut in plantarum & animalium structura, eorumque naturalibus operationibus. Ita cum S. Augustinus stetisset olim contemplans cum admiratione & voluptate duos Gallos Gallinaceos inter se pugnantes, & quæsisset deinde, curnam ipsa hujus pugnæ facies esset pulchra visu, rationem esse dixit, quia omnes illius partes aptissimo modo sese invicem connectebant ex institutione Divina, quæ omnia

(1) Jour Encycl. an. 1764. art. 15.
(2) Encycl. art. Beau.
(3) S. Aug. de vera Relig. ca. 30. num. 56.

nia cum ratione modificat & gubernat: (1) *Ut*, inquit, *in iisdem Gallis erat videre intenta projectius capita, inflatas comas, vehementes ictus, cautissimas evitationes, & in omni motu nihil non decorum, quippe ratione desuper omnia moderante. Postremo legem victoris, superbum cantum, & membra in unum quasi orbem collecta, velut in fastum dominationis. Signum autem victi elatas a cervice pinnulas, & in voce atque motu deforme totum: & eo ipso naturæ legibus nescio quomodo concinnum & pulchrum*. Elegans enim vero descriptio, cujus paraphrasim dedit Daniel Bartolus (2).

Articulus III.

De Pulchritudine artificiali.

8. Pulchritudo artificialis est illa, quæ rerum pulchritudini naturali superadditur ex arbitrio artificis. Arbitrium, quod includitur in notione pulchritudinis artificialis non est arbitrium, per quod aliquid quod essentialiter non est pulchrum reddatur pulchrum, sed est arbitrium, per quod aliquid in se essentialiter pulchrum superadditur per modum proprietatis accidentalis alteri pulchro, tamquam illius subjecto; Nam quod aliquod artificium sit capax unius aut alterius dispositionis seu formæ, quin exeat e tali specie determinata, præsupponit tam unam quam aliam formam esse in se pulchras, & quatenus solum possunt considerari res aliquo modo compositæ cum distinctione inter ipsarum attributa essentialia & accidentalia, habet locum ista denominatio pulchritudinis artificialis. Quoniam autem pulchritudo artificialis includit in sua ratione relationem ad sui caussam cum libera electione operantem, illa reperiri nequit, nisi in operibus caussæ intellectualis, cujus propria est hæc libertas.

9. Exemplum pulchritudinis artificialis videmus in omnibus artificiis tum liberalibus, ut in tabulis & signis: tum literariis, ut in orationibus & carminibus: tum in mechanicis, ut in habitationibus & vestimentis: & utrorumque formis & ornamentis; In omnibus enim si reipsa pulchra sint, elucet supra pulchritudinem essentialem arbitrium nostrum in electione hujus potius formæ quam alterius. Sic sermo in orationibus Tullii pulchritudinem habet artificiose singularem, quia præter pulchritudinem naturalem sermonis humani, quæ necessario postulat sententias verbis opportunis expositas ad rei de qua agitur cognitionem & persuasionem in aliis excitandam, eam habet dispositionem atque texturam, ut non

(1) S. Aug. de Ordine ca. 5. num. 25. (2) Bart. Ricr. del Savio li. 1 ca. 14.

non solum rem persuadeat, sed in illam jucunda quadam violentia totum mentis assensum quodam modo pertrahat, & omnes animæ affectus inclinet.

10. Sic in Architectura plura sunt de ejus pulchritudine essentiali, quæ advertit Laugier in suo, *De Architectura tentamine*, quod auctum prodiit Parisiis an. 1755, & laudat Formeyus (1) tamquam fontem, unde hauriantur multa ad rectam pulchri notionem. Hujusmodi sunt columnæ & parietes e solo surgentes ad perpendiculum, & trabes & tigilla æqualis crassitudinis, & opportune collocata. Nam hæc de natura intrinseca ædificii sunt, quod sit non ad miseram hominum habitantium cædem sub cumulo saxorum brevi corruentium, sed ad illorum tutamen & securitatem. Quod autem hæ & similes ædificii partes habeant hanc potius inter se rationem quam aliam, dependet ab arbitraria electione nostra unius potius quam alterius ex multis, quæ in se pulchræ sunt, & bene se habent cum substantia ædificii conjunctæ. Ex arbitraria ista electione nati sunt quinque celebres Architecturæ ordines, Etruscus, in quo ratio diametri columnæ sumptæ ab imo ipsius scapo est ad ejusdem longitudinem comprehensa base & capitulo, ut 1. ad 7., Doricus, in quo est ut 1. ad 8., Jonicus, in quo est ut 1. ad 9., Corinthius demum, & compositus, in quo est ut 1. ad 10. Idemque de aliis sexcentis dicitur, in quibus ex eo etiam elucet arbitrium, quod non desunt quotidie, qui in his mutationes inducant, ex quibus laudem sibi comparant singularem, quando in illis appareat cum vi ingenii apta ad novas pulchritudines ut ita dicam creandas notitia etiam eorum, quæ ab aliis jam olim stabilita, & communiter recepta inter artis dogmata videntur numerari.

In his nunquam illud ab oculis removendum est, ut dispposita non congesta sint in artefactis ornamenta. Quemadmodum enim molesta accidit prænimia luminarium copia, quæ aulam vel templum per noctem collustrent, ita minus pulchrum jam evasit opus, quod profusis quodammodo sumptibus artifex studuerit exornare. Atque huc pertinent omnia illa effata, quæ nimietatem monent fugiendam in omnibus, quæ a nobis fiant, etiamsi sint ex iis, quæ præcisim considerata ad virtutem spectant, ut illud Socratis, *Nequid nimis*; & Tullii, *omnibus in rebus videndum, quatenus*; & Senecæ, *Omnis in modo virtus est*, & alia quæ in Sacris Literis habentur, quibus Andre (2 utitur ad suadendum ut studeamus servare modum in omnibus, quæ volumus esse pulchra, quoniam in modo consistit apex quodammo-

(1) For. Disc. preli. au P. Andre.

(2) And. Eps i sur le Beau. Disc. 5. Le Modus.

modo perfectionis requisitæ ad omnem pulchritudinem, quæ capax sit detrimenti vel propter defectum, vel propter excessum aliquem in suis vel ornamentis vel perfectionibus, cujusmodi est omnis pulchritudo præterquam essentialis, in quam excessus non cadit. Maxime vero omnium cavere oportet excessum, quoniam ut jam observavit Tullius, *Etsi suus cuique rei modus est, tamen magis offendit nimium quam parum*.

Articulus IV.

De Pulchritudine ex solo Ingenio, & ex Ingenio simul & Scientia.

11. Pulchrum artificiale dividitur cum eodem Andre in pulchrum ex solo ingenio, & pulchrum ex ingenio simul & scientia. Pulchrum ex solo ingenio est illud, quod est in artificiis, quæ facta sint vi solius ingenii innati, seu ut ajunt marte dumtaxat suo independenter ab omni artis cultura. Pulchrum hoc elucet in operibus illorum, qui etsi vel nullo modo vel satis parum exculti fuerint in præceptis artis, nihilominus illa exequuntur modo satis opportuno & concinno, ut videas aciem ingenii, quod vi sua perspexit penitus requisita essentialia ad artificii bonitatem & pulchritudinem. Sic celebris fuit hoc sæculo Romæ Nicolaus Zabaglia mortuus an. 1750. ætatis suæ 86. qui licet omnium disciplinarum expers esset, utpote qui ne artem quidem legendi noverat, nihilominus data problemata de constructione aliqua, aut elevatione alicujus magni ponderis corporis, aut similibus, quæ Architectorum propria sunt, & ab illis habebantur pro difficillimis, & magnos sumptus requirentibus ad sui exequutionem, ille unico quasi obtutu intelligens modum expeditiorem applicandi opportunas potentias contra oppositas resistentias, resolvebat reipsa facillime & minimo sumptu. Exempla dabunt, qui de illo loquuntur, ut liber *de Contignationibus & Pontibus* ipsius Latine & Italice editus Romæ an. 1743, Angelus Bandini (1), Trevoltiani (2), & Caylus in tomo 23. Acad. Inscriptionum.

12. Pulchrum ex ingenio simul & scientia est illud, quod eminet in artificiis, quæ facta sint vi ingenii non solum innati, sed etiam ut ita dicam acquisiti per cognitionem artis, ad quam illa pertineant. Pulchrum hoc elucet in iis omnibus, quæ fiunt

(1) Band. de Obelisco.

(2) Trev. an. 1751. art. 62. pag. 1202. & an. 1757. ar. 100. nu. 4.

fiunt a primæ notæ artificibus illorum locorum, in quibus artes egregie excoluntur, quod magis apparet, quando conferantur cum artificiis ejusdem generis alterius loci, in quo minus vigent artes. De primis dices, Proh pulchrum & elegans & exquisiti judicii & expoliti artificis opus! De secundis vero, nihil tale certe dices, & fortasse artificis ignorantiam inertiam rusticitatem atque barbariem late apparentem merito condemnabis.

Perraultius apud Chambersium (1) dividens pulchritudinem in positivam seu convincentem, & arbitrariam, incidit in illam jam expositam; Nam ita illam declarat, ut pulchritudo positiva complectatur pulchritudinem tum essentialem tum naturalem: arbitraria vero idem sit cum pulchritudine artificiali.

ARTICULUS V.

De Pulchritudine Spirituali & Corporea.

13. PUlchritudo tum essentialis tum naturalis dividitur in pulchritudinem spiritualem & corpoream. Sic pulchra est natura Angeli & Animæ rationalis, & Deus ipse, a cujus pulchritudine tamquam a fonte provenit omnis pulchritudo creata: (2) *Omne pulchrum*, sic S. Augustinus, *a summa pulchritudine est*, *quod Deus est*, & ut magis explicat S Dionysius, sive Auctor de divinis Nominibus, (3), *est participatio pulchrifica pulchrorum omnium caussa*: quod forte desumptum est ab eloquenti Platonis sermone de pulchritudine Divina, in quo ipse pariter habet, (4) *omnia quæ pulchra sunt, illius participatione pulchra*. Sic pulchræ sunt illæ entium spiritualium operationes, quæ Virtutes nuncupantur sive intellectuales sive morales.. In quibus omnibus habentur exempla pulchritudinis spiritualis; Nam exempla de corporea, nulli qui cæcus non sit aut stupidus non sunt obvia.

14. Pulchritudo spiritualis dividi potest in moralem & non moralem. Moralis dicatur, quæ reperitur in actionibus bonis moraliter: Sic actus virtutis sunt pulchri, & turpes contra actus vitiosi, qui illis opponuntur. Pulchritudo vero spiritualis non moralis reperitur tum in ipsa essentia rerum spiritualium, tum in earum actionibus, quas dicam indifferentes, ut in cognitionibus

(1) Chambers. Diction. art. Bellezza.
(2) S. Aug. li 83. quæ. 44.
(3) Dion. de Div. nom li. 4.
(4) Plat. Convivium circa finem Socrat. oration.

nibus ſcientificis. Sic pulchra eſt anima rationalis, & pulchræ demonſtrationes ſcientificæ.

15. Pulchritudo corporea dividitur in illam, quæ eſt objectum viſus, ſic pulchram dicimus faciem: Et illam quæ eſt objectum auditus, ſic pulchrum dicimus concentum. Hæc diviſio eſt juxta communem ſententiam, ut obſervavit jam olim Socrates apud Platonem dicens (1) *id pulchrum eſſe quod nos delectat per auditum & viſum*: & S Thomas aliique cum illo animadvertunt, quod (2) *non dicimus pulchros ſapores aut odores*, eo jure, de quo infra quæremus. Solum S Auguſtinus notat, quod (3) *in viſibilibus formis uſitatius dicitur pulchritudo*, quam in iis, quæ ad aures pertinent. Sed ratio etiam in promptu videtur eſſe, quia ſcilicet frequens magis & neceſſarius eſt uſus oculorum quam aurium.

16. Andre dum pulchrum dividit in pulchrum viſibile, pulchrum in moribus, pulchrum in operibus Spiritus, & pulchrum muſicale, plane deſignavit per pulchrum viſibile & muſicale duas ſpecies pulchri corporei jam obſervatas: per pulchrum vero in moribus, & in operibus Spiritus, diſtinxit duas ſpecies pulchritudinis ſpiritualis, in quarum neutra habet locum pulchritudo propria ipſiuſmet Spiritus, quam in eo eſſe intelligimus, etiamſi præſcindamus ab omni ipſius operatione. Quare tum ex hoc capite, tum ex eo, quod permiſceat membra dividentia diverſi generis, deſcendens a corporalibus ad ſpiritualia, & iterum ad corporalia revertens ſatis imperfecta diviſio eſt.

ARTICULUS VI.

De Pulchritudine abſoluta & relativa.

17. PUlchritudo tam viſibilis quam audibilis dividitur in pulchritudinem abſolutam & relativam. Abſoluta eſt illorum objectorum, quæ non ſunt aliorum imago ſeu imitatio. Sic pulchra ſunt opera Naturæ, ut Stellæ Animalia Plantæ Flores Voces, & ſimiliter opera multarum artium, ut Architecturæ & Muſices. Pulchritudo relativa eſt illorum objectorum, quorum intrinſeca bonitas conſiſtit in conformitate cum ſuis exemplaribus. Sic Pulchræ ſunt expreſſæ vel coloribus vel verbis imagines prærupti montis, incendii urbis, rugoſæ vetulæ, languentis

(1) Plat. Hipp. mai. circa fin.
(2) S. Thom. 1. 2. qu. 27 art. 1. ad 3.
(3) S. Aug. de Muſica li. 6 ca. 13. n. 38.

tis infirmi, horridi & fœdi cujusvis cadaveris vel monstri, quando hæ bene imitatæ fuerint sua exemplaria. Sic fabulæ vel tragicæ vel comicæ vel epicæ magis vel minus pulchræ dicuntur, prout magis vel minus accedunt ad mores sensus & verba eorum, de quibus agunt. quod pariter in historiis requiri nemo non videt.

18. Divisio pulchritudinis tam visibilis quam audibilis in absolutam & relativam adhibita jam olim est ab aliis. Sed sensus horum nominum idem non est apud omnes. Illum quem pro pulchritudine absoluta proposui, video usurpatum jam ante fuisse ab Hutchesono apud Formeyum (1), qui dum absolutam pulchritudinem vocat etiam originalem, invenit nomen significanter imprimens menti notionem etiam oppositæ pulchritudinis relativæ. Aliquas diversas eorumdem nominum usurpationes, juvat observare. I. sunt, qui nomine pulchritudinis absolutæ videntur intelligere formam aliquam Peripateticam, per quam res efficiatur pulchra; Nolunt enim in ejus notione includi respectum ullum, ne ad vim quidem cognoscitivam. Quare negant pulchritudinem esse quid relativum in hoc sensu, quod scilicet ea essentialiter dicat ordinem ad intellectum. Inferius bonitatem definitionis stabilitæ de pulchritudine ostendens planum faciam istos errare.

19. II. Sunt, qui pulchritudinem absolutam vocant illam, quæ non dependet a nostris opinionibus: contra vero relativam, quæ ab his dependet. Hic horum nominum sensus clare exprimitur a Trevoltianis (2), qui dicunt in eo versari controversiam quæ adhuc viget. Eumdem visus est sequi Vernejus, ubi statuens *pulchrum* esse nomen relativum, quin tamen quæ sit hæc relatio declaret, primo quidem dicit, (3) *Ineptos esse aliquos, qui longo sermone efficere aggrediuntur, esse aliquam rem absolute, idest simpliciter & sine ullo ad alium respectu pulchram*... Deinde vero negat ullam haberi certam regulam pulchritudinis, quia ex cujusque placito illa dependet, *Si pulchrum*, inquit, *est, quod singulis placet, nulla certa regula, nulla imago in se, & simpliciter pulchra designari potest*. Ante illum Cartesius idem sic docuit, (4) *Neque pulchrum neque jucundum quicquam significant præter judicii nostri relationem, & quia hominum judicia diversa sunt, nequit dici, quod pulchrum aut jucundum habeat mensuram ullam determinatam*. Contra istos, qui admittentes omnem pulchritudinem esse

(1) Form. sur le Beau d'Andre §. La Beautè.

(2) Trev. an. 1748. art. 59. pag. 1250.

(3) Vern. Metaph. li. 4. ca. 11.

(4) Cart. Epist. par. 2. ep. 110. ad Mersenn.

esse in prædicto sensu relativam, consequenter negant ullam esse realem pulchritudinem, distincte inferius disseram.

20. Interea notandum est illum qui absolutæ pulchritudinis nomen accipiat in secundo sensu pro pulchritudine realiter tali, & non per nostram solum cogitationem. negare non posse eam etiam pulchritudinem, quæ sit in objecto, quod est alterius imitatio, esse absolutam. Quare cum hæc pulchritudo propria imitationis appelletur etiam (§. 17.) relativa, fit, ut quæ est pulchritudo relativa sit simul absoluta sine ulla contradictione, quippe nomina quidem in eo casu sunt opposita, non vero illorum notiones. Etsi autem nemo est, qui in eodem sermone usurpet ea nomina opposita in significatione nullo modo opposita; nisi forte qui sectetur levissima paradoxa, attamen contingere potest, ut duo habentes in animo notiones horum nominum diversas, litem, inter se instituant, quæ nulla fuisset, si nitide sensum nominum, quibus quisque utitur, præmisisset. Hoc modo erit, qui affirmet in tabulis Apellis alicujus esse pulchritudinem absolutam, & qui contra neget, contendens esse solum relativam. Sed si primus nomine absolutæ pulchritudinis intelligat realem pulchritudinem, alter vero eam intelligat, quæ est in operibus quæ non sint aliarum rerum imitatio, quis non videt eorum contentionem versari totam in æquivoco, quo declarato uterque consentiret alteri.

21. III. Sunt, qui pulchritudinem absolutam sumunt pro attributo, quod rei conveniat exclusa omni comparatione cum aliis rebus, quemadmodum cum dicitur quantitas, id significatur, quod nullam importat ejus comparationem cum ullis extra se rebus. Pulchritudinem rursus relativam sumunt pro attributo, quod rei convenit solum post institutam cum aliis rebus comparationem, quemadmodum cum dicitur magnum aut parvum denotatur attributum, quod non convenit ulli rei, nisi post comparationem, (1) *Nihil enim magnum*, inquit Pallavicinus, *aut parvum nisi comparatum*. Qui negat in hoc sensu dari pulchritudinem absolutam, falli ipsamet definitio pulchritudinis (§.3.) persuadet.

22. IV. Sunt qui pulchritudinem absolutam sumunt pro positiva seu non comparativa. Juxta quam acceptionem fit, ut easdem res sive naturales sive artificiales, aliqui quidem dicant etiam pulcherrimas, alii vero ne esse quidem pulchras concedant. Utrique bene vel non omnino male. Primi enim loquuntur de rebus illis in se ipsis dumtaxat spectatis: Secundi vero

(1) Pall. Vindicati. ca. 20. pag 140.

ro de iisdem loquuntur ex comparatione, quam ineunt cum aliis ejusdem generis a se cognitis. Atque cum ante oculos primorum obversentur perfectiones rei magis, quam ipsius imperfectiones (Nam hæ, deficiente comparatione, minus sunt ipsis observabiles) non injuria pronunciant rem illam esse pulchram, scilicet absolute. Cum vero Secundi contrario modo obruantur adspectu plurium imperfectionum ejusdem rei, quæ ex præviis cognitionibus, quibus ornati sunt, turmatim in eorum mentem quodammodo irruunt, & vix sinunt advertere ad perfectiones, quæ cæteroquin eidem insunt, sine injuria pariter negant rem illam esse pulchram, scilicet comparative; Nam observavit jam olim S. Augustinus, quod (1) *species mala in comparatione dicitur formosioris atque pulchrioris*.

23. V. Auctor anonymus opusculi Romæ editi anno 1765. *Saggio sopra la Bellezza*, de medio prorsus tollit divisionem pulchritudinis in absolutam & relativam, dicens illam natam esse ex abusu (2) vocis relativæ sumptæ etiam a Metaphysicis in hac re pro absoluta. Quod credit sic suaderi. Qui dicunt pulchras esse Raphaelis tabulas, Tullii orationes, & similia relate ad illos qui has artes Pictoriam & Oratoriam calleant, sicuti sunt qui sic loquuntur, non animadvertunt, hæc esse pulchra relate ad omnes, qui hujusmodi operum dotes intelligant: Sed quæ pulchra sunt relate ad omnes, qui illa intelligunt, sunt pulchra absolute: ergo illa sunt pulchra absolute: ergo qui dicunt illa esse pulchra relative, abutuntur nomine relativi pro absoluto.

Sed hoc argumentum non suadet propositum, in quo negari in primis potest major; quandoquidem illa esse pulchra relate ad omnes, qui illorum dotes intelligunt, idem est ac esse pulchra relate ad illos, qui Pictoriam & Oratoriam norint, quod est id, quod illi expresse affirmant. Deinde omissa majori negari potest minor, & cadunt reliqua: Nam quæ pulchra sunt relate ad omnes, qui illa intelligunt quando sint ex iis objectis, quæ sunt aliorum imitatio, hæc non dicuntur absolute pulchra, sed relative; (3) *Etsi enim*, inquit Formejus ex Hutchesono, *quavis pulcritudo sit relativa ad mentem cognoscentis, attamen proprie hoc nomen non tribuimus nisi pulchritudini, quæ est imitatio accurata alicujus archetypi*. Accipio igitur quod ipse assumit, esse qui dicant Raphaelis tabulas & similia esse pulchra relative dumtaxat, & non absolute, sed in sensu, quem opportune stabilivimus (§ 17.) huic nomini *Pulchritudo relativa*, adeoque sine ullo terminorum abusu.

24. Pul-

(1) S.Aug.de Nat.Boni.ca.23.
(2) Anony.§.21.
(3) Form.Disc sur d'Andre, §. Telle etant.pag.61.

24. Pulchritudo tam abſoluta quam relativa rurſus dividitur in totidem fortaſse ſpecies, quot ſunt illæ corporum & rerum corporearum. In his illa hominis optimo jure habetur potiſſima admiratione digna.

Omitto diviſionem pulchri generice ſumpti, quæ naſcitur a diverſis ipſius gradibus. & unius pulchri cum altero comparatione: ex qua fit, ut unum dicatur alio pulchrius, & etiam pulcherrimum. Ita dici poteſt in iis objectis, quorum pulchritudo eſt relativa, illa eſse pulcherrima, in quibus reperitur etiam pulchritudo abſoluta. Sic inter duas imagines alteram Alcibiadis, alteram Therſitæ, ambas quam maxime ſuis prototypis conformes, pulchrior habetur prima, quam ſecunda: Atque ſi inter duo poemata Epica illud, quod proponit ſuum heroa cum aliquibus defectibus pulchrius habetur altero, quod ſuum in nullo aberrantem exprimit, ratio eſt, quia hoc ſecundum deficit a ratione pulchritudinis relativæ (§.18.), quæ prima obſervatur ac requiritur in objectis, quæ ſunt aliorum imago. Generaliter argumentum tanto majoris pulchritudinis in re aliqua utique habetur, quo plures ſunt illi, quibus res illa placet, ita ut illa tandem dici poſſit pulcherrima, quando omnibus qui illam percipiant placeat.



SE-

SECTIO II.

De Bonitate datæ de Pulchro in genere definitionis.

PROPOSITIO.

Notæ pertinentes ad notionem adæquatam pulchritudinis in genere sunt, bonitas rei intrinseca, multiplicitas diversarum partium sive realium sive æquivalentium coalescentium in unum, ordo ad vim intellectivam, & aptitudo ad eam delectandam.

ARTICULUS I.

Argumenta pro prima propositionis parte.

25. 
Ropositio cum probata fuerit, planum faciet definitionem pulchri in genere supra (§ 3.) positam esse opportunam, utpote quæ notas hujusmodi continet & enunciat. Prima interea pars, bonitatem in se primum esse ex attributis pertinentibus ad notionem pulchritudinis I. probatur. Omne quod dicitur pulchrum, invenitur esse bonum sive verum sive apparens; Nam (1), *quidquid laudatur*, inquit S. Augustinus; *ideo laudatur qua bonum est. Insanit qui laudat quod non est bonum*: Sed quod est pulchrum laudatur: ergo quod est pulchrum, est bonum.

II. Omne quod amatur est bonum: Nemo enim est, qui non approbet illud Platonis, (2) *Nihil aliud præter bonum homines amant*: Sed quod est pulchrum amatur: ergo quod est pulchrum est bonum. In quo etiam argumento non solum vulgus, sed etiam philosophi communiter consentiunt. Nam quod nuper extiterit Yvon, qui statuit pulchrum excitare in nobis admirationem, non vero amorem, nisi forte sit simul bonum nobis, ostendam inferius falsum esse. Quod autem omne quod habetur tamquam pulchrum sit illud tantummodo bonum, quod dicitur bonum in se, suadetur, quia vera universaliter est hæc propositio,

(1) S. Aug. in psal. 134. nu. 4. (2) Plat. Conviv. in Socratis Oratione.

ſitio, omne pulchrum eſt bonum, ita ut quæ communius dici ſolent pulchra, in quacunque ſpecie pulchritudinis ſint, dicantur etiam ab Auctoribus bona. Ita S. Auguſtinus loco nuper citato dicit, *Bona eſt terra altitudine montium & temperamento collium & planitie camporum: & bonum prædium amoenum ac fertile: & bona domus paribus membris diſpoſita & ampla & lucida: & bona animalia, animata corpora: & bona facies hominis dimenſa pariliter & luculenter colorata: & bonum Cœlum cum Sole & Luna & Stellis ſuis: & bona loquutio ſuaviter docens: & bonum carmen canorum numeris & ſententiis grave*, quæ omnia vulgo dicuntur pulchra. At viceverſa univerſaliter vera non eſt hæc alia propoſitio, omne bonum eſt pulchrum; Nam ut jam olim obſervavit Jo. Philoponus (1), medica potio, ſectio, aduſtio, bona ſunt ægroto, non tamen pulchra dicuntur, quia hæc non ſunt in ſpecie boni in ſe, ſed ſolum in ſpecie boni ad alterum: & propter eamdem cauſam communiter quidem dicuntur bonæ divitiæ bonus aer bona valetudo, non vero eadem communiter dicuntur pulchra: ergo ad pulchritudinis notionem pertinet bonitas rei intrinſeca.

26. III. Quod cognoſcitur præditum perfectionibus ſibi debitis, non neceſsario judicarur bonum ad alterum ſeu utile: at enim vero neceſsario judicatur bonum in ſe; Atqui etiam quod cognoſcitur præditum perfectionibus ſibi debitis non neceſsario judicatur bonum ad alterum ſeu utile, at neceſſario judicatur pulchrum; Certi enim ſumus, quovis intentato ſupplicio non poſse obtineri, ut quod apparet plenum ſuis perfectionibus, reputetur deforme aut turpe, nec contra quovis propoſito præmio obtineri poſse, ut quod apparet plenum defectibus reputetur pulchrum: ſed ad ſummum verbo tenus per mendacium expreſsum per præmia aut ſupplicia poterit pulchrum dici turpe, & turpe pulchrum: ergo pulchrum neceſsario eſt bonum in ſe, non vero neceſsario eſt bonum ad alterum.

IV. Quotquot agunt de pulchritudine, & determinatis ejus ſpeciebus, etſi non conſentiant in aſſignandis iiſdem numero attributis, omnes tamen ea proferunt, ſine quibus res nequit eſse in ſe bona. Ita dum Andre ad pulchrum in moribus requirit actiones, quæ præſeferant Deum omnibus præponi, & animam corpori, ea exponinit attributa, quibus deficientibus actio hominis vel mala eſt, vel ne humana quidem eſt: Similiter dum ad pulchrum in oratione ſtatuit pertinere neceſsario veritatem ordinem honeſtatem & decentiam, eadem ſtatuit ac ille, qui quæ-

(1) Phil.lib.7.in.Hexaem.cap.6.

quærat in quo consistat Oratio bona: ergo bonitas in se pertinet ad notionem pulchritudinis.

27. V. Authores passim loquentes de pulchro notam boni, & quidem boni in se exprimunt: ergo illa est communiter recepta in notione pulchritudinis. Prima antecedentis pars probatur. S. Dionysius, (1) *Pulchrum*, inquit, *idem est cum bono, nec ulla res existit, quæ non pulchri sit ac boni particeps*. Eodem modo loquuntur Proclus, & Plotinus approbantibus Gulielmo Parisiensi & aliis, quos citat & sequitur Theophilus Raynaudus (2). Interpretes Sacræ Scripturæ observant illud, quod in Genesi sæpe Vulgata repetit: *Vidit Deus, quod esset bonum*, in textu Hebræo exprimi per tale nomen, quod æque significat bonum ac pulchrum. Iidem illud de Saule dictum (3) *Erat Saul electus & bonus*, literaliter volunt significare ipsius juventutem & pulchritudinem. Et S. Augustinus (4) vult pro pulchro accipi bonum, quod (5) scriptum est de luce. Idem in illud Vulgatæ (6) *Videntes filii Dei filias hominum, quod essent pulchræ*, quod ipse sequutus versionem septuaginta, legit, quod essent bonæ, dicit (7) *consuetudo Scripturæ hujus est etiam speciosos corpore bonos vocare*. Quod Vives in eum locum confirmat exemplis adductis ex Terentio, qui etiam deformitatem vocavit malum. Ex aliis etiam Latinis suppetunt similia exempla. Facciolatus in suo Dictionario, verbo *Pulcher*, dat exempla ex Gellio, & Horatio, in quibus pulchrum idem est ac bonum, & etiam summum bonum. Alia ex Catone & Tullio dat Philippus Pareus in suo Lexico, verbo *Pulcher*. Idem ostendit Petavius (8) accidere in lingua Græca, adductis in medium testimoniis Auctorum Græcorum, qui pulchri nomen attribuunt singulis boni speciebus. Idem dici posse, quod accidat in Lingua Italica, testis est quisque Italus, qui virtutem dicit pulchram, quæ est in genere boni honesti, & concentum dicit pulchrum, qui pertinet ad bonum delectabile. Raynaudus tandem loco nuper citato hoc commune esse plerisque idiomatibus dicit advertisse jam Eugubinum (9), & Scaligerum (10).

28. Pro secunda antecedentis parte, quod Authores in notione pulchri exprimant notam boni in se, est Aristoteles, qui pul-

(1) S.Dion.de Div.nom.cap 4.
(2) Ray.Theol.natur.Dist.7.nu.140.
(3) Reg.li.1.ca.9.v.2.
(4) S.Aug.de Civit.li.15.ca.13.
(5) Gen.1.v.4.
(6) Gen.6.2.
(7) S.Aug.de Civit.li.15.ca.23.
(8) Peta.de Deo li.6.ca.8.nu 1.
(9) Eug in ca.6 Genes sub init.
(10) Scalig.Exerc.300.nu.3.

pulchrum, hoc enim modo jure optimo intelligit Majoragius (1), quod in Græco textu legitur *καλὸν*, & alii, ut Sylvester Maurus (2) honestum interpretantur, pulchrum inquam definit, *id, quod cum propter se sit expetendum, est etiam laudabile*. Est S. Augustinus, qui dicens, (3) *pulchra esse omnia una salva convenientia*, inter ea scilicet, quæ ad ipsa quæ dicuntur pulchra, spectant, jam dicit bonitatem intrinsecam esse characterem pulchritudinis; Nam per convenientiam plurium inter se ex alibi dictis (4) definitur bonitas. Idem rursus cum animadvertat, (5) *quod imago dicitur esse pulchra, si perfecte repræsentet rem*, jam ostendit pulchrum dici ipsum bonum in se. Si enim imago sit alicujus monstri, ipsius pulchritudo non potest in alio consistere, nisi in eo quod sit bona imago sui exemplaris. Est S. Thomas, qui Honestatem moralem, quæ est species potissima boni in se, dicit (6) *esse quamdam spiritualem pulchritudinem*.

29. Sunt illi Platonici, de quibus meminit Pallavicinus, (7) qui in Venere adumbratam dicunt fuisse a Veteribus non solum pulchritudinem, sed etiam bonitatem: & alii omnes, qui statuunt illum esse verum amorem, & ut dicitur benevolentiæ, qui habet pro suo objecto formali pulchrum: illum vero, cujus objectum formale sit bonum amantis, qui communiter amor concupiscentiæ appellatur, esse cupiditatem dicendum, & philautiam. Bene hoc unus ex his Maximus Tyrius sic expressit. (8) *ὁ δὲ ἐρῶν ἄλλυ, καὶ μὴ κάλλυς, ἡδονῆς ἐρᾷ. ἀφαιρῶμεν δὲ, εἰ βούλει, τὸ ὄνομα, καὶ ἐπιθυμεῖν λέγομεν τῦτον, ἀλλὰ ὐκ ἐρᾶν, ἵνα μὴ τῇ περὶ τὴν φωνὴν παρανομίᾳ, πρᾶγμα ὑπαλλάξαντες λάθωμεν, ἀλλὰ ὐ τὸ ὄνομα μόνον*, quæ equidem relicta Cosmi Paccii versione sic reddam, *qui aliud amat quam pulchritudinem, voluptatem amat: abstineamus igitur ab hoc vocabulo, illumque dicamus cupere, non vero amare, ne propter æquivocum appellationis, non solum rei nomen, sed rem ipsam ignoremus*: Atqui amor benevolentiæ habet pro suo objecto formali bonum in se: ergo dum Platonici dicunt amorem Benevolentiæ habere pro suo objecto formali pulchrum, dicunt pulchrum importare rationem boni in se.

30. Minorem facti argumenti respuit Yvon in Gallica Encyclopædia, tamquam Chimæricam, concedens posse quidem nos

 ad-

(1) Major. Rhetor. Aristot. li. 1. ca. 30.
(2) Mau. Rhetor. Arist. li. 1. ca. 9. art. 1.
(3) Aug. de Ver. Relig. cap. 30.
(4) Diss. De Bono § 72.
(5) S. Aug. de Trin. li. 6. cap 10.
(6) S Tho. 2 2. qu. 145. ar 4. O.
(7) Pall. del Bene li. 2. cap 12. nu. 5.
(8) Tyr. serm. 11.

admirari pulchrum, quia bonum in se est, non tamen amare (1), nisi simul sit bonum nobis; in hoc enim dumtaxat vult consistere objectum amoris rationalis: qui modus loquendi videtur plane exigere ut pulchrum sive id, quod objectum amoris benevolentiæ est, producat in nobis aliud bonum distinctum ab illo, quod consistit in fruitione objecti, quod nobis præsens sit vel alio modo possideatur. Nam cum in hoc sensu sine controversia pulchrum sit bonum nobis; non negaret pulchrum amari. Verum in hoc illum vehementer falli suadetur, quia opponitur receptæ apud Philosophos, Patres, & Theologos doctrinæ.

31. Ex Philosophis est Plato, cujus sunt effata illa universalia. (2) *Amor, pulchritudinis amor est. Amor circa pulchrum versatur*. Idemque alibi refert haberi vetus hoc proverbium, (3) *pulchrum esse amicum*, de quo videri possunt, quæ disserit M. Antonius Muretus (4) post Proclum in Commentariis ad Alcibiadem Platonis. Illud quidem Plato quasi declarans subjungit; *Apparet enim molle quiddam, lene, ac pingue, ideoque in nos facile forte illabitur, serpit & penetrat, quasi lubricum quiddam*. Stoici in ipsa notione amoris notam pulchritudinis ponebant. Nam ut ait Tullius (5) *amorem definiunt, conatum amicitiæ faciendæ ex pulchritudinis specie*. Stobæus (6) probat responsionem Aristotelis interrogationi, cur quæ pulchra sunt, amarentur? quæ sic habet: *Caci hæc interrogatio est*. Plutarchus vero laudat illud Xenophontis: (7) *Ignis tangentes solum urit, pulchri vero etiam procul distantes inflammant*. Nuper Marchio de la Tourri vult hanc propositionem (8) *Pulchrum est amabile, haberi tamquam principium in Ethica*. Quod assumit etiam Andre, ubi de amore pulchri disserens in ejus originem & particulares species, quæ observantur inter homines distributæ, ejusdemque effectus inquirit (9) Tandem vulgus ipsum novit Poetas cujusvis temporis passim dicere amorem filium esse Veneris, seu pulchritudinis, quam per illam fabulæ adumbrant.

32. Sed venio ad Patres. (10) *Omnibus*, sic S. Dionysius, *est pulchrum & bonum amabile*. (11) *Num*, rogat S. Augustinus, *amamus aliquid nisi pulchrum? Quid est, quod nos allicit, & conciliat rebus, quas amamus? nisi esset in rebus decus & species, nullo*

(1) Yvon. Encycl. art. Bon.
(2) Plat. Conviv. in Socrat. oratione.
(3) Plato. in Lyside inf. a medium.
(4) Muret. Var. Lect. li. 4. ca. 4.
(5) Tull. Tusc. li. 4. nu. 34.
(6) Stob. serm. 63. de Pulchrit.
(7) Plut. li. de Amore.
(8) Tour Forza attrattiva dell' idee. pag. 20.
(9) Andr. sur le Beau disc. 8.
(10) Dion. de Div. Nom. cap. 4.
(11) S. Aug. Conf. li. 4. ca. 13.

lo modo nos ad se moverent. Ejusdem Augustini (1) est fabula de Philocalia, quæ est amor pulchritudinis, & philosophia, quod sint germanæ, & iisdem parentibus procreatæ, quæ quidem illi deinde displicuit, non jam quia nullam viderit esse Philocaliam, sed quia censuit (2) non posse satis apte unam ab altera distingui. Ex Theologis unus pro cunctis satis est S. Thomas, (3) *Ipsum honestum*, sic ille, *secundum quod habet spiritualem decorem appetibile redditur*, qui simul refert & approbat illud Tullii (4): *Formam & tamquam faciem honesti vides, quæ si oculis cerneretur, mirabiles amores*, ut ait Plato (5), *excitaret sapientiæ*. Est tandem illud Apostoli: (6) *Charitas non quærit, quæ sua sunt*, cui ex diametro Yvon opponi videtur.

ARTICULUS II.

Argumenta pro secunda propositionis parte.

33. Secunda pars est multiplicitatem partium esse alteram ex notis pulchritudinis, adeoque pulchritudinem non significare bonitatem quamcumque rei intrinsecam, sed eam quæ coalescit ex plurium in unum complexione. Probatur I. quia quæ simplicitatem quamdam, etiam prout concipiuntur a nobis præseferunt, non dicimus esse pulchra, etsi dicamus esse in se bona saltem transcendentaliter. Sic prima principia scientifica, ut nihil potest simul esse & non esse, totum est majus sua parte, & similia, non dicimus esse pulchra, propter quamdam quasi simplicitatem sui esse, sub qua illa concipimus contraposite ad complexum plurium coalescentium in unum. At enim vero pulchrum dicimus de Theorematis & Problematis, quæ sunt complexio tot veritatum, quot sunt propositiones, quas in se includunt, & sine quibus distinctam illorum ideam non habemus.

34. Eadem de caussa sententia prolata a severo aliquo Socrate vera dumtaxat dicitur, at pulchra etiam prædicatur, postquam venustatem accepit ex ornamentis eidem additis a Tullio aliquo, vel Catullo: in quo habeo consentientem Buffierium (7), ubi quæstionem, quam non satis feliciter pertractavit Despreauxius de modo, quo veritas ceteroquin vulgaris evaderet pulchrum effatum, resolvit dicendo id fieri quoties decoro quodam quasi habi-

(1) S.Aug.li.2.cont.Academ.ca.3.
(2) Id.Reto.li.1.ca.1.nu.3.
(3) S.Tho 2.2.qu.145.ar.2.ad 1.
(4) Tull.de Officiis li.1.ca.5.& de Fin. li.2.nu.16.
(5) Plato in Phædro ante med.
(6) 1 Corinth.13.v.5.
(7) Buff.Exam.des prejug.Dis.8 num. 239.col.1018.

bitu ornata proponatur. Idque multo magis apparet in iis, quæ præter elegantiam brevitatem & veritatem habent etiam quamdam novitatem, & argutæ sententiæ dici possunt, quas Pallavicinus in earum naturam diligenter inquirens definit (1) *observationes admirabiles paucis inclusas verbis*: quæ definitio potior est quam illa Maupertuisii (2), sive Baconis, a quo gloriatur se eam desumpsisse, quæ dicit, esse communes cogitationes, quæ vi cujusdam artificii apparent singulares, qua ratione, quæ semper habita fuerunt tamquam ingenii lumina, ad fraudis cujusdam speciem revocavit. Sed ut exemplum ponam etiam in pulchritudine sensibili, quoniam quæ allata sunt, continentur in genere pulchritudinis spiritualis, observare possumus, cum unam vocem nominamus, conjungi quidem cum attributo maxime generali bonæ vel malæ, non tamen cum illo pulchræ vel deformis; Hæc enim infima genera pertinent ad concentum, non vero ad vocem. Quamobrem Tullius dicens (3), *vocis genera permulta, canorum, fuscum: leve, asperum: grave, acutum: flexibile, durum*, quin nominet pulchrum & deforme, accurate loquutus est: ergo pulchrum invenitur esse bonum illud in se, quod consistit in complexione plurium in unum, Consequentia confirmatur ex notione deformis, quod contrarie opponitur pulchro, quam si declaraveris, dices esse id, quod discedit a forma sibi & singulis suis partibus convenienti.

35. II. Probatur ex consensu Authorum, qui communiter statuunt multitudinem & unitatem, illam partium, hanc compositi, esse duos necessarios characteres pulchritudinis: Præter illos, quos proferam inferius loquens de pulchritudine spirituali & corporea, in quarum secunda abundantiores sunt Auctores, utpote de re, quæ sicuti frequentius cadit in hominum sermones, ita distinctius fortasse tractata est a Philosophis, hic statim commemorabo, celebrem Charitum fabulam ab Hesiodo confictam, ab ipsis deinceps Philosophis fuisse receptam, in quibus est Seneca (4). Tres illæ dicuntur ab Jove progenitæ, quarum una Aglaja vocatur ab alacritate, qua cæteris antecellit: altera Euphrosine a suavitate: tertia Thalia a vivacitate. Ceterum omnibus communes proprietates sunt, virginitas hilaritas juventus modestia, & elegans quidem sed simplex indumentum, & perfecta concordia, ac vitæ societas, quam mutua manuum colligatione declarant. Ecquis autem alius horum sensus, nisi ille quem eloquenter Andre (5) exponit, scilicet ut intel-

(1) Pall. dello Stile ca. 10. nu. 4.
(2) Mau. Oevres. Disc. su i doveri d'un Accademico. col. 325.
(3) Tul. de Nat. Deo. li. 2. num. 55.
(4) Sen. de Benef. li. ca. 3.
(5) And. sur le Beau tom. 2. Disc. sur les Graces.

telligamus nihil eſse pulchrum per unam tantummodo: ſed per plures ſimul illi ingenitas, gratas ut ita dicam proprietates, quandoquidem omne quod pulchrum eſt, idem & gratioſum. Eadem eſt doctrina Pallavicini, qui ſtatuit (1) ſine varietate nihil poſse pulchri appellationem obtinere: Idem docet Antonius le Grand, obſervans (2) *majorem in viventibus corporibus pulchritudinem deprehendi, quam in artificialibus, quia cum hæc in varietate conſiſtat, major partium diverſitas in viventibus eſt, quam in aliis corporibus*: Idem Antonius Genuenſis, definiens (3) *pulchritudinem eſſe aptam attributorum aut partium entis congruentiam*.

36. Idem inſinuat S. Auguſtinus per ſuam illam aſsertionem (4), *Omnis pulchritudinis forma eſt unitas*: ubi nomine unitatis convenientiam certe ſingularum partium cum illo, quod conſtituunt, intellexit; Nam ipſemet ſic ſe ipſum non ſemel explicat (5): *Una*, inquit, *ſalva convenientia pulchra ſunt omnia: ipſa vero convenientia æqualitatem unitatemque appetit*, & alibi dicit (6), *quæ multa ſunt bona, tunc placent, cum in univerſum aliquid conveniunt atque concurrunt. Univerſum autem ab unitate nomen accepit*. Contra quam ipſius explicationem male objicit Diderotius (7) unitatem modo dicto acceptam, *potius conſtituere eſſentiam perfecti quam pulchri*; Nam S. Doctor non dicit eſsentiam pulchri eſſe unitatem, ſed dicit de eſsentia pulchri eſse unitatem, quandoquidem dicit illam eſse formam pulchritudinis. Rurſus non dicit unitatem perfectam eſse eſsentiam pulchri, ſed unitatem nominat præſcindendo a ſui perfectione, vel imperfectione. Quare ſi quid eſt perfectum, non ſolum erit pulchrum ſed pulcherrimum: at ſiquid erit tale, ut perfectum dici quidem non poſſit, ſed bonum dumtaxat in iis, quibus conſtat partibus vel attributis, negari non poterit eſse pulchrum ab illo, qui illud poſſit cognoſcere.

37. Huc etiam pertinent duorum recentiorum definitiones, alteram citati modo Encyclopædiſtæ, alteram Caroli Giuliani, quam inſeruit in notis ad novam hujus Encyclopædiæ editionem Lucenſem. Primus (8) inquit, *Pulchrum appello id, quod in ſe continet ea, quæ in mente excitare poſſunt ideas relationum*. Quam ſuam definitionem bonam eſse fuſiſſime conatus eſt ſuadere. Sed illa præter notam multiplicitatis partium, quam poſtulat notio pulchritudinis, & pro qua illam hic adduco, nihil aliud continet, quod approbari poſſit. Atque ille ipſius defectus eſt omnino inſignis, quod non me-

(1) Pall. dello ſtile ca. 4. nu. 1.
(2) Gran. Inſtit Philo par. 7 ca. 2.
(3) Gen. Elem. Metaph. par. 1. def. 80.
(4) S. Aug Ep. ſt ad Cœleſt. 8. alias 63.
(5) id. de Ver. Rel. ca. 30.
(6) Id. de Gen. cont. Manich. li. 1. ca. 21.
(7) Dide. Encycl. ar. Beau § Que S. Auguſtin.
(8) Id. ibid. §. Pappelle.

meminerit de bonitate rei, quæ est pulchra. Propter quam caussam ejus definitio non solum convenit rei pulchræ, sed etiam cuivis rei quantumvis deformi. Certe audita hac definitione pulchrum est, quod continet in se ea, quæ in mente excitare possunt ideas relationum, subsumi potest; Atqui homo varus gibbosus luscus nasutus ulcerosus multa habet in se, quæ excitant ideas relationum: ergo homo ille est pulcher; Quod est falsum & ridiculum. Ipse ejusdem Author majorem huic impugnationi ansam & vim tribuit, tum quia monet se, dum in sua definitione nominaret ideas relationum, consulto loquutum esse indefinite, quia (1), *non postulo*, inquit, *ut ad appellationem pulchri opus sit declarare determinatam relationem, quæ in eo regnet*: tum quia videns impugnationi prædictæ se subjacere, eamque ipsemet non mediocriter urgens, ab illa tamen nullo modo se liberat, & vel concedit, ut quæ turpia etiam sint, possint dici pulchra, vel ejus solutio e mente illi excidit, dum eam ab ovo aggreditur declarare, in naturam & species relationis prius inquirens, vel quam ipse idem sibi objectionem proponit, in alio ac a nobis proposita est sensu, accipit.

38. Secunda definitio sic habet (2): *Pulchrum non est nisi proportio, justa relatio, & regularis convenientia idearum inter se, & quæ adhærent objecto*, sive ut sua ipsius verba referam, *le beau comprend en soi plusi urs idees, n'etant que la proportion, le juste rapport, & la reguliere convenance des idees entre elles, & qui sont adherentes a l'object*. Hanc quoque affero, quia exprimit multitudinem attributorum rei, de quibus haberi potest idea: sic enim interpretor eam illius vocem, *ideas*, adeoque confirmat propositum. Ceterum definitio hujusmodi approbari nequit, primo propter redundantiam tot nominum proportionis, relationis, convenientiæ, quæ idem significant, vel æque obscura sunt, & forte magis quam pulchrum: secundo propter obscuritatem sermonis, in quo si ideæ nomen sumatur juxta communem acceptionem pro cognitione, & applicetur rebus inanimis, quæ sunt pulchra ut floribus fructibus gemmis, fit sensus ridiculus, quippe tribuitur illis, quod habeant cognitiones, & regularem convenientiam cognitionum.

39. Dum objicitur quæstio inter Platonicos & Peripateticos (3), *quorum alteri*, inquit Pallavicinus, *constituebant pulchritudinem etiam in rebus simplicibus, alteri in solis rebus compositis, utpote in quas tantum caderet proportio partium*, equidem suspicor quæstionem nullam futuram, si qui rei simplici pulchritudinem negabant, clare dixissent se in illa eam non agnoscere aut concipere, nisi per plura attributa diversa ipsam rem in se simplicem conciperent. AR.

(1) Id. ibid. §. Quand ie dis tout ce.
(2) Giuli Encyclop art. Beau in notis.
(3) Pall. in 1.2. disp. 1. qu. 3. ar. 4. nu. 5.

ARTICULUS III.

Argumenta pro tertia & quarta propositionis parte.

40. Tertia pulchritudinis nota est, eam dicere ordinem ad vim intellectivam. Hæc I. probatur, quia quod laudatur est bonum dicens ordinem ad vim cognoscitivam; Insanit enim juxta Augustinum (§. 24.), qui laudat, quod non est bonum: Sed pulchrum laudatur: ergo pulchrum est bonum, dicens ordinem ad vim cognoscitivam. Rursus in hypothesi quod nequeat haberi cognitio de objecto ut bono, quæ solius intellectus est, non restat nisi simplex apprehensio objecti boni, quam non sufficere ad denominationem pulchri apparet, tum ex infantibus, qui non carentes sensatione objectorum, quæ bona in se sunt, quia tamen nequeunt illa cognoscere ut in se bona, non indicant a se haberi pro pulchris, quæ pulchra sunt: Tum ex iis, qui cum in arte vel scientia aliqua exculti non sint, ignorant, curnam alii iis expoliti exclament unanimiter, O rem pulchram! dum opus aliquod, ut picturam contemplantur, vel sermonem aliquem aut audiunt aut legunt, quæ ipsi pariter sensibus suis usurpant, quin tamen possint illa judicia exhibere & declarare, quia opportuna carent intelligentia: tum multo magis ex Brutis, quæ vident quidem & audiunt, quæ nos pulchra dicimus, sed nullo modo significant pulchra a se ipsis haberi, quia nequeunt ab ipsis cognosci ut in se bona.

41. II. Probatur ex Authoritate. S. Thomas, & cum eo qui illum sequuntur, dicit: (1) *Pulchrum & bonum, in subjecto quidem sunt idem, sed ratione differunt; Nam bonum proprie respicit appetitum, pulchrum autem respicit vim cognoscitivam.* Et alibi: (2) *Pulchrum est idem cum bono sola ratione differens: addit supra bonum quemdam ordinem ad vim cognoscitivam.* Bene hanc doctrinam exprimit Ficinus, qui pulchritudinem vocat (3) *splendorem bonitatis.* Petavius dicit: (4) *Pulchritudinem rei cujuslibet intelligo sic, ut sit convenientia quædam ipsius cum illa perfecta specie & exemplari, ad quod naturâ sua exigit postulat,* addens infra, *quamobrem tota pulchritudinis ratio, cum ad archetypas formas comparari dicitur, ad cognitionem & notitiam quoque referri simul intelligitur:* quam definitionem profero, ut constet bonitatem, & ipsius ordinem ad intelle-

(1) S.Tho.1.p.qu.5.ar.4.ad 1.
(2) Id.1 2 qu.27.ar.1.ad 3.
(3) Fic in compend. Timæi.ca.15.
(4) Pet.Theol.Dog.de Deo l.6.ca.8. num.7.

tellectum esse etiam per Petavium notas essentiales pulchritudinis. Beniaminus Chambers, (1) *Quando*, inquit, *dico aliquid esse pulchrum, significo me percipere aliquid quod approbo*. Christianus Vvolfius ait (2) *Pulchritudo est perfectio sive vera sive apparens, quatenus sentitur vel percipitur*. Yvon dicit, (3) *Bonum relate ad nostram mentem recidere in ideam pulchri*; Sed illud quod immediate subjungit, *pulchrum aliud non esse nisi perceptionem idearum*, debuerat omnino omittere, utpote vel carens sensu vel dictu ridiculum. Quis enim intelligat, vel non irrideat qui dicat pulchrum idem esse ac cognitionem, seu speciem illam cognitionis, quæ est cognitio relationum? Huc tandem facit quod supra (§.26.) observatum est in notis nobis linguis usurpari nomen boni loco pulchri. Ex quibus confirmo pulchritudinis notionem conflari ex bonitate rei, & ordine ad vim intellectivam, cum habeamus, bonum dici illud pulchrum, quod visum seu cognitum sit.

42. Quarta pars affirmans ad pulchritudinis notionem pertinere aptitudinem ad delectandum subjectum, quod illam cognoscit, probatur I. quia bonum & pulchrum non sunt duo synonima: ergo non potest notio pulchri esse completa per solas notas boni in se, quod constet diversis partibus; Hoc enim modo definitur quædam boni species: igitur apte additur ad hanc distinctionem nota delectationis, quam in intellectu cognoscente producat, quæ propria est pulchri, & complens ejus quasi differentiam specificam.

Dices. Solum etiam bonum in se, quod non possit dici pulchrum, delectare potest, ut dapes gustui jucundæ, non vero oculis: ergo delectandi aptitudo nequit esse quid proprium pulchro.

Resp. conc. ans, & dist. conseqs Aptitudo delectandi potentiam aliquam, quæ non est intellectus non est propria pulchro conc. conseqm., aptitudo delectandi solum intellectum non est propria pulchro, nego conseqm. Ubi præstat advertere delectationem propriam intellectui distingui a delectatione, quæ conveniat appetitui. Prima est complacentia sine motu; quiescit enim intellectus in jucunda contemplatione pulchri: Secunda vero est complacentia cum motu; Nam appetitus non sistit in ea complacentia, sed ulterius tendit ad consequutionem rei, quæ placet. Propter quam causam laudatur a Pallavicino (4) Aristoteles, quod dixerit pulchrum distingui a bono per hoc quod pulchrum

(1) Cham.Dizion.art Bellezza.
(2) Vvol.Elem.Architect.civil.§.10.
(3) Yvon.Encycl.art.Beau.
(4) Pall.in 1.2.disp.1.qu.1.art.4.nn.1.

chrum est id, quod placet sine motu: bonum autem cum motu.

43. II. Probatur, quia non licet in rerum notionibus recedere ab usu communi. Sed usus communis Authorum est, exprimere in notione pulchritudinis ipsius aptitudinem ad delectandum, qui illam contempletur: ergo notio pulchritudinis importat hanc etiam aptitudinem ad sic delectandum. Minorem hæc suadent. Aristoteles præter definitionem supra (§.28.) allatam, hanc etiam proponit & approbat, *pulchrum id est, quod cum bonum sit, est etiam jucundum quatenus bonum*. S. Thomas ait, (1) *pulchrum dicitur id, cujus apprehensio placet*: S. Dionysius (2) *pulchrum est, quod omnia ad se vocat*, ubi sequutus est etimologiam Græci nominis κάλος pulchritudo, a καλέω voco. Didacus de Rosis, (3) *Pulchrum in genere dici posset, quod per sui cognitionem delectat*. Pallavicinus, (4) *Pulchrum nihil aliud est, nisi species quædam boni, quæ per sui cognitionem delectat*. Qui inseruit in Ephemerides Literarias Hagæ anni 1714. animadversiones ad Gallicum tractatum de Pulchro Joannis Crouzas eodem anno editum, & anno iterum 1724. cum accessionibus, Crouzam accusat referente Formejo (5) quod pulchrum definiat per ea tantum, quæ solius boni ideam excitant, negligens notam delectationis, quam pulchrum addit supra bonum. Eamdem vidimus supra (§.15.) proponi a Platone, & aliquo modo a Vernejo: & recentius Adamans Fuginellius in eamdem rem inquirens statuit, (6) *pulchrum definiri posse quod nobis placet*, cujus memini in confirmationem usus communis circa hanc notam appositam in definitione pulchritudinis; Nam mala cæteroquin est definitio hoc solum exprimens quod placeat, quia de objectis etiam, quæ grata sint odoratui aut gustui, dicimus illa nobis placere, non tamen necessario dicimus illa esse pulchra, quin immo non raro id aperte negamus. ut cum pyrum quod sub rudi cortice gratum succum continet, vocatur ab Etruscis mendax, & a Romanis pyrum turpe simul & bonum.

Ddd SE-


(1) S Tho.1.2.qu.27. ar.1.ad 3.
(2) S.Dion. de Div.nom.ca.4.
(3) Rosi.Ethic.Christ li.2 ca.3.
(4) Pall.del Bene li.2.ca 11.
(5) Form.Disc. sur le beau du P. Andre pag.18.
(6) Fugin.Princ.Metaph.

SECTIO III.

De Quibusdam opinionibus circa naturam pulchritudinis.

PROPOSITIO I.

Fundamentum pulchritudinis non est utilitas.

44. Pponitur propositio auctori tentaminis circa meritum & virtutem, qui contradictoriam statuit. Illum impugnat Diderotius (1), & hujus impugnationem laudat Formejus. (2).

Est contra ipsum I. quod luculenter jam ostendimus (§.24.), bonitatem intrinsecam rei esse fundamentum pulchritudinis, utpote primum ipsius attributum: ergo fundamentum pulchritudinis non est utilitas seu bonitas extrinseca.

Est II. S. Augustinus, cujus sunt hæc: (3) *Videt pulchri aptique* (quod reducitur ad utile) *distantiam quisquis non negligit intueri. Pulchrum enim per se ipsum consideratur atque laudatur: aptum vero quasi religatum pendet aliunde, nec ex semetipso, sed ex eo cui connectitur judicatur.*

Est III. Ipsum vulgus, quod quandoque audimus de quibusdam ædificiis ad habitandum antiquitus erectis a principum civium magnificentia affirmare, illa quidem esse magnifica & pulcherrima, sed negare esse satis opportuna ad commode vivendum: & contra de aliis recentioribus affirmare, ea esse sic bona & opportuna, at negare, eadem dici posse pulchra. Quid quod inventi aliquando sunt artifices, qui cum possent, utpote ex suis laboribus vitam sustentantes, negligere ultimas quasdam sibi & paucis aliis notas operis perfectiones cum temporis compendio, quod in aliis operibus ad majus lucrum congregandum impenderent, noluerunt omnino negligentiam hanc committere, quia sine ea perfectione, quam norant suscipere posse opus suum, dicebant sibi illud nec pulchrum nec gratum fore: ergo e vul-

(1) Did. Encycl. art. Beau.
(2) For. sur le beau d' Andre. §. On sefute.
(4) S. Aug. Ep. ad Marcell. 138. alias 5. ca. 1. nu. 5.

e vulgo ipso indocti homines norunt pulchrum non fundari in utilitate.

Quæ afferri in contrarium possunt exempla, aliud non probant, quam bonum in se frequenter esse etiam bonum utile; eademque retunduntur a tot aliis exemplis de iis, quæ quamvis æque utilia sint ac alia opposita, universim tamen altera eliguntur tamquam pulchra, altera vero negliguntur tamquam deformia. Sic da duas mensas, alteram sustentatam quatuor pedibus omnino uniformibus & uniformiter positis, alteram vero pedibus æque quidem altis, sed uno pingui, alio gracili, hoc curvo, illo recto, etiamsi utilitas par in utroque sit, nemo tamen erit, qui primam pulchram non dicat, secundam vero ut deformem non rideat.

Hinc probari nequit illa aliquorum definitio pulchritudinis dicens, esse aptitudinem singularum partium totius ad finem, quæ in eamdem tandem recidit opinionem, quod pulchritudinis quodammodo forma sit utilitas. Contra quam definite dico, evidens quidem esse, notabilem excessum aut defectum in parte aliqua corporis non solum nullius usus esse, sed etiam impedimentum afferre ad opportunum illius usum. Quare cum utrumque deficiat manifeste a fine, plane intelligitur, cur utrumque etiam seorsim tollat corpoream pulchritudinem. Ita oculi nimis exporrecti, quia minus custoditi sunt ab objectis externis, quæ illos lædant, & nimis remotam habent retinam, ut opportune unitos recipiant radios ex objectis paulo distantioribus, deformes dicuntur. Ita crura longiora vel breviora vel graciliora pro mole trunci, incommoda sunt toti homini, & proinde non pulchra. At S. Augustinus observat, quod (1) *si homini unum radatur supercilium, propemodum nihil corpori, & multum detrahitur pulchritudini*: & generaliter paulo plus vel minus in quantitate partis alicujus nec affert majorem aptitudinem ad finem illius partis, nec minuit aliarum partium commodum usum, cum tamen afferat vel tollat decus pulchritudinis. Sic qui habet os aliquanto latius caret vultus pulchritudine, etsi æque bene utatur tum ad loquendum tum ad manducandum, ac alter qui habet os magis contractum.

(1) S Aug. de Civi. li. 11. ca. 22.

Propositio II.

Pulchritudo essentialis ne a Deo quidem dependet.

45. Propositio est cum alias laudato Andre, qui de singulis membris agens pulchritudinis corporeæ & spiritualis, quæ sibi proponit, quoties de illa, quæ essentialis est (§. 6.) meminit, affirmat eam esse *independentem ab omni institutione etiam Divina*.

Ea autem suadetur sic. Pulchritudo essentialis non dependet a Deo, neque ut caussa exemplari, neque ut caussâ efficienti: ergo nullo modo dependet. Antec. probatur. Pulchritudo essentialis consistit in essentia rei absolute possibili, hoc est non involvente ullam contradictionem: Sed (1) *res*, ut ait Suarez, *secundum esse essentiæ non habent actu caussam exemplarem, sicut neque caussam efficientem*. Quod superius, quantum pertinet ad exclusionem caussæ exemplaris, de qua unice dubitari potest, planum fecit dicens, (1) *Creaturæ, consideratæ tantum secundum esse essentiæ, non habent veritatem essentiæ ex conformitate ad Divinam ideam; non enim homo est talis essentiæ, quia talis cognoscitur a Deo, sed potius ideo talis essentiæ cognoscitur, quia talis est essentialiter*: ergo pulchritudo essentialis non habet actu ullam dependentiam a Deo.

46. Objicitur. Pulchritudo essentialis importat attributa rei, quæ inter se concordent: Sed attributum entis creati est dependentia a Deo: Siquidem ens a se & ens ab alio, est prima divisio entis realis; Quare per ipsam dependentiam a Deo, tamquam per differentiam specificam contrahitur ens generalissime sumptum ad ens creatum. Ergo pulchritudo essentialis entis creati importat dependentiam a Deo, quæ cum aliis attributis concordet: Atqui repugnat pulchritudinem essentialem, quæ importat dependentiam a Deo, non dependere a Deo: ergo.

Resp. conc. maj., & dist. min Attributum entis creati in statu existentiæ, est dependentia a Deo, & quidem ut caussa tum exemplari tum efficiente, conc. min., in statu puræ possibilitatis, nego min., & simili distinctione excepto consequenti, etsi cadant reliqua: attamen illud non omittam advertere, entis quidem creati differentiam specificam dici posse dependentiam a Deo: sed illam entis creabilis esse limitationem.

Pro-

(1) Suar. Metaph. dis. 8. sec 7. num. 31.

Propositio III.

Pulchritudo vera, secundum id quod dicit de Bonitate, est aliquid reale: nec dependens ab hominum opinione: secundum vero id, quod dicit de ordine ad vim intellectivam postulat judicium verum: & in judicio vero, quod descendat ad minutas etiam partes rei, consistit bonus, ut ajunt, rerum gustus, qui proinde definiri potest, judicium de reali bonitate etiam quantum ad minutas rei partes.

Articulus I.

De Adversantibus propositioni.

47. Quod pertinet ad primam partem eidem adversantur, qui contendunt nullam esse pulchritudinem, quæ ab arbitrio hominum non dependeat, quos Andre luculenter impugnat pro singulis a se stabilitis pulchritudinis membris & Fuginellus (1), quin tamen neuter quemquam nominet. Sed nominari possunt ii, qui ex dictis alibi (2) bonum ipsum in hominum opinione situm dicunt. Citari præterea possunt Vernejus juxta supra (§. 19.) ex ipso relata, & Leibnitius, qui apud Encyclopedistas (3) statuit, ideo rem esse pulchram quia placet, non vero ideo rem placere quia est pulchra. Omitto illos, qui dubitant, quam partem sequantur hujus disjunctivæ, datur vel non datur pulchritudo absoluta, non alia verius de causa quam propter obscuritatem hujus nominis *pulchritudo absoluta*, quæ tota evanescet, si dicatur pulchritudo non dependens ab opinionibus.

48. Quod pertinet ad tertiam partem, quæ notionem boni gustus determinat, ea opponitur primo Buffierio, qui in sua dissertatione *De natura gustus*, illum etiam, qui bonus est, definit esse (4) *jucundam animi commotionem circa id, quod communius probatur, aut exquiritur ab hominibus in iis, quæ non habent pro*

(1) Fug.Princ.Metaph.tom.1.ca.7.propos.40.
(2) De Bono §.151.
(3) Encycl.art.Beau.
(4) Buff.nu. 2 & suiv.Extat in libro Cours des Scienc.col.1497.

pro se, nec contra se manifestam rationem. Quod hic dico jucundam animæ commotionem, ille explicat per vocem *sentiment*, quam alibi (1) definit dici de affectionibus appetitus seu voluntatis, sicuti idea dicitur de illis intellectus. Juvat statim reiicere hanc notionem, quia si ad bonum gustum pertinet versari circa id, cui ratio manifeste nec suffragatur, nec adversatur, jam contra communem cogitandi & loquendi modum negare opus esset, bonum gustum cadere posse in ea, quæ sint pulchra; Cum enim hæc manifeste sint in se bona, semper habent pro se apertam rationem. Præterea nequit dici objectum boni gustus esse id, quod communius probatur, postquam sæpe vidimus aliquid communiter per longum etiam tempus probatum fuisse, quod nunquam debuit, utpote in se vitiosum, & proinde merito tandem improbatum fuit. Duplex de hoc exemplum illustre occurrit, alterum in Architectura Gothica, quæ unice adhibebatur sæculo decimo tertio & deinceps, sed tandem explosa est, utpote peccans audacia, dum erigit moles ingentes supra columnas nimis graciles, & multo magis levitate, dum omnia implet pyramidibus statuis cælaturis, & omnis generis ornamentis importune congestis. Alterum in illo, qui sæculo decimo sexto universaliter placuit stylo redundante verbis sesquipedalibus aut audacter translatis, quibus vel nulla vel ridicula vel falsa suberat sententia.

49. Secundo est contra Feronium & Formejum, quorum primus in tomo 3. Acad. Scient. Nanciensis, & secundus in sua *Analysi de Gustu*, quærentes an gustus definiri debeat per potentiam animæ intellectivam an per appetitivam, statuunt utramque pertinere ad ejus notionem adæquatam. Gustus est inquit Feronius, sensatio quædam animæ conjuncta cum rei intelligentia: Formeii autem definitio dicit, (2) *Gustus est cognitio pulchritudinum quarumcunque, quæ sparsæ sunt in operibus naturæ & artis, non sejuncta ab jucunda animæ commotione*, quam repetit in alio posteriori suo opusculo *Principia elementaria bonarum artium* ab Antonio Planelli Italica ex Gallicis facta Neapoli ann. 1767. Eodem hoc anno prodiit Londini Anglica dissertatio *De Gustu* cum hoc titulo *Clio, or an discourse on taste* cujus auctor easdem ac Formejus notas & alias præterea postulavit ad notionem gustus, dicens illum esse *cognitionem distinctam ejus, quod est nobile pulchrum & commovens animum in naturæ & artis operibus*. Quam definitionem Diarium Encyclopædicum Bullionense

(1) Id. ibid. Sec. Logig. nu. 157. col. 799.

(2) For. du Gout, ad finem tract. de pulchro P. Andre.

se (1) accusat obscuritatis. Quid enim inquit est nobile? Quid pulchrum? Equidem accipio, quod uterque postulat ad notionem gustus cognitionem pulchri non quamcunque sed distinctam, utpote confirmans, quod ipse in hac re statuo, reliqua autem dico redundare.

50. Nihil dicam de quibusdam aliorum definitionibus, quæ aperte malæ sunt, & contra bonum definiendi gustum. Talis est illa Bernardi Trevisani in Introductione ad tractatum Lamindi Pritanii, hoc est Ludovici Muratorii, *De bono in scientiis & Artibus gustu*, præmissa aliquibus ipsius editionibus, (2) *Bonus*, inquit, *gustus est dispositio mentis ad recipiendas ideas rerum, prout sunt in se, una cum habitu easdem semper commensurandi cum vero, & semper uniendi cum bono*: in qua obscura definitione mihi videor videre illum habuisse præ oculis solos artifices, quos tunc credit ostendere bonum gustum in suis operibus, quando illa respondeant objectis, quod est commensurari cum vero, & habeant perfectiones sibi convenientes, quod est uniri cum bono. Talis etiam est illa Antonii Genuensis dicens: (3) *Judicium est scientia bona deligendi, iisque recte utendi, qui* (fortasse ille scripsit, quæ vel quod) *ab Italis vocatur Buon gusto*. Ex qua colligo illum postulare ad notionem boni rerum gustus illius etiam usum: Sed in hoc errare suadent quotidie Architecti, Artifices, Coqui, qui optimi vel pessimi gustus sæpe prædicantur, etsi ædibus, instrumentis, cibis a se quidem, at non sibi constructis ac præparatis ipsi non utantur.



AR-

(1) Jour. 1. Aout. 1767. pag. 141.
(2) Trevis. pag. 65.
(3) Gen. Elem. Log. li. 1. ca. 1 §. 11.

ARTICULUS II.

Argumenta pro prima & secunda propositionis parte.

51. PRima pars, quæ statuit pulchritudinem veram non dependere ab hominum opinione I. probatur. Datur bonitas realis seu non dependens ab hominum opinione: ergo pulchritudo vera, secundum id quod dicit de Bonitate, est aliquid reale, non dependens ab hominum opinione. Antecedens alibi (1) demonstratum est; consequentiam autem probo, quia sicuti pulchritudo dicit in sua notione bonitatem (§.24.): ita pulchritudo vera dicit hanc bonitatem esse realem, nec dependentem ab hominum opinione: ergo si datur bonitas non dependens ab hominum opinione, etiam pulchritudo secundum id quod dicit de Bonitate respondens huic bonitati reali, non dependet ab hominum opinione. Consonat huic argumeuto Christianus Vvolfius dicens (2) *quoniam pulchritudo in perfectione fundatur, pulchritudo arbitraria non est.*

52. II. Dantur aliqua, ut quidam flores, aves, homines, bestiæ, quæ singulis constanter placent & primo ipso aspectu pulchra censentur: ergo id, per quod placent, & pulchra censentur, est in illis realiter & independenter ab hominum opinione. Consequentia probatur, quia id solum, quod in re evidenter esse apparet, trahit omnes & singulos in eamdem de illa sententiam, in eaque immobiliter retinet. Vernejus quærens (3) *cur forma, quæ ex Pictorum idea conformata sit, magis hominibus singulis placeat, quam alia?* vidit, verissimum esse antecedens hujus argumentationis, sed respondens *ingenue fatebor me id nullo modo intelligere posse*, maluit profiteri se nescire, cur id accideret, quam descendere in nostram conclusionem, & agnoscere falsum esse, quod nihil sit absolute pulchrum. Quod autem addidit, non esse mirum, propositum ab ipso problema solvi non posse; *Nam nec illud intelligi potest, cur quidam cibi aliquos delectent, aliquos non item*, est plus quam importunum, quasi vero sit mysterium (4), *palato non sano*, ut inquit S. Augustinus, *pœnam esse panem, qui sano suavis est*, & generaliter organa gustus diversimode affici ab iisdem objectis, pro diversitate ipsorum dispositionis, etiam in uno eodemque subjecto in horas mutabili.

Con-

(1) De bono.
(2) Vvol.Elem.Archi.Civil.§.14.
(3) Vern.Metaph.li.4 ca 11.
(4) S.Aug.Conf.li.7.ca.16.

53. Confirmatur propositio authoritate & argumento S. Augustini. Ille inducit artificem, qui uno arcu constructo alterum in alteram partem molitur, eumque interrogat, cur id faciat? responsio est, ut paria sint membra in toto ædificio. Instat ipse, cur id ipsum eligat? reponit hoc decere, hoc esse pulchrum, hoc delectare cernentes. nihil addens amplius, & oculis humi defixis profitens, unde id pendeat, se non intelligere. Tunc Augustinus volens eruere ab illo rationem, cur credat illa placere, & judex esse audeat ipsius delectationis humanæ dicit, (1) *Si prius quæram, utrum ideo pulchra sint, quia delectant, an ideo delectent, quia pulchra sint. Hic mihi sine dubitatione respondebitur, ideo delectare, quia pulchra sunt; Quæram ergo deinceps, quare sint pulchra? Et si titubabitur, subjiciam, utrum ideo quia similes sibi partes, & aliqua copulatione ad unam convenientiam rediguntur? Quod ita esse comperiet*: Ergo per Augustinum ipsamet intrinseca rei pulchritudo est ratio, cur illa placeat: non vero ipsum placere est ratio, cur res sit pulchra: & ipsomet judice fabri murarii superant in hoc Adversarios nostros, qui nec discernunt quod illi vident, & negant etiam quod illi comperiunt.

54. Secunda jam pars probatur. Pulchritudo vera distinguitur a pulchritudine apparenti: sed pulchritudo apparens dicit bonitatem, quæ per errorem judicatur esse bonitas, cum in re non sit: ergo pulchritudo vera dicit bonitatem, quæ cum veritate judicatur esse bonitas, quia in re talis est.

Hinc intelligitur, quare plerumque homines unanimiter hoc pulchrum dicant, illud vero minus vel magis pulchrum vel etiam deforme. Quia scilicet non est neque majoris neque potioris partis hominum, errare in judicando de objectis, quæ prout realiter sunt, cognoscantur: ergo partes in rebus omnium sensibus subjectis, quæ præseferunt eam inter se connexionem, quæ non potest non cognosci ab iis, qui illas intueantur, esse magis vel minus secum ipsis & cum toto convenientes, non possunt non censeri reddere magis vel minus pulchrum totum corpus. Hac ratione pulchra dicitur machina composita, simul ac cognoscitur ipsius constructio non solum apta ad finem intentum, sed etiam concinne disposita, secus vero informis habetur & contemnitur. Atque quia corpora naturaliter organica, ut illa animalium, sunt Divini Artificis opera, & omnes ipsorum partes explicant dispositionem, quæ non solum redundat in singularum perfectionem, sed in illam etiam totius, generaliter pulchra dicuntur, si secundum se considerentur: magis

(1) S.Aug.de Vera Relig.ca.32.nu.59.

autem aut minus pulchra, si inter se conferantur; Tunc enim objiciuntur ea, quæ in aliquibus sint peccata ut ajunt naturæ, quia naturales etiam caussæ, Deo sic volente, ad illorum productionem concurrunt, quæ aliquando invicem se perturbantes, perfectionem operis in pluribus vel paucioribus partibus impediunt.

ARTICULUS III.

Objectiones contra primam partem.

55. I. OBjicitur. Homines mutant quotidie formas habitationum mensarum portarum fenestrarum vestimentorum, omnium denique quæ ad victum vestitum & usum humanum pertinent, ita ut quæ olim placebant jam displiceant, & viceversa: ergo horum saltem pulchritudo dependet a mero hominum arbitrio. Probatur consequentia. Mutare illas formas est exercite dicere illas non esse amplius pulchras: Sed si pulchritudo esset independens ab arbitrio, & hominum opinione, non possemus sine falsitate illas dicere, non esse amplius pulchras: ergo.

Resp. conc. antec., & nego conseqm. Ad probationem dist. maj.: mutare illas formas, est dicere, illas non esse amplius pulchras secundum quid, & comparative ad alias formas & circumstantias, conc. maj., non esse amplius pulchras simpliciter & absolute, nego maj. Minori applicatur eadem distinctio, & consequentia negatur. Distinctio ostenditur legitima exemplo ciborum. Omnes illi, qui conferunt ad conservandam sanitatem, sunt boni, & ut tales habentur; Nihilominus in certis circumstantiis, ut divitiarum majorum vel minorum, has potius escas adhibemus quam illas. Certe quas rusticus amat, respuit civis, & quibus civis vescitur, non utitur princeps. Simile quid accidit in objectis rebus. Omnes in se pulchræ sunt, cum bonæ in se sint, sed pro circumstantiis diversis alias amamus præ aliis. Quod siquis neget esse pulchtas illas formas, quæ in veteri ætate dicebantur pulchræ, non aliter intelligendus est, quam intelligatur civis, qui dicat non esse bonum cibum rusticorum, scilicet in sensu quodam comparativo, non vero absoluto. Sicuti enim siquis negaret, esse absolute bonum cibum, quo multi utantur, sed ipse pro circumstantiis suæ conditionis non utitur, evinceretur erroris ab ipsomet ipsorum usu apud alios: ita siquis neget, esse pulchras absolute formas olim usitatas, refutatur ab illis, qui iisdem usi sunt. Philosophus etiam suadere posset judicium illud absolutum esse erroneum, inferendo ab iis, quæ pulchra ab ipsis conceduntur esse, pulchra etiam esse

ſe ea quæ illi negant, propterea quod in utriſque invenitur compoſitio ex partibus, quæ habent eamdem, vel parum diſſimilem rationem ſecum ipſæ, & cum toto.

56. II. Objicitur. Sæpe accidit, ut quid uno tempore dicatur pulchrum, alio vero negetur, vel ab his eodem tempore laudetur & ſuſpiciatur, ab illis vero vel nulla dignum laude cenſeatur, vel forte etiam de pluribus accuſetur. Teſtis eſt Soretus apud Trevoltianos (1) vidiſſe ſe adjudicatum præmium ab Academiis diſſertationibus pluſquam mediocribus, aliis neglectis longe melioribus. Tullius laudavit tamquam concinne dictum a Timeo (2) *qua nocte natus Alexander eſſet, eadem Dianæ Epheſiæ templum deflagraſſe, minime eſſe mirandum, quod Diana cum in partu Olympiadis adeſſe voluiſſet, abfuiſſet domo*, quod Plutarchus (3) vituperat tamquam inſulſum & frigidum. Si aliquos audias, Tullii dictione nihil eſt præclarius, ſive oratorem agat ſive philoſophum. At aliter olim cenſuerunt Seneca (4), & Auctor *de cauſis corruptæ eloquentiæ*, qui communiter creditur Quintilianus, & *docti* (5) *qui* apud ipſum Quintilianum, *judicarunt plurimum in eo virtutum, nonnihil fuiſſe vitiorum*, quos non pauci uſque ad hæc tempora ſequuntur, qui Plinium in laudatione Trajani, Senecam in quæſtionibus philoſophicis Tullio præponunt. Si quovis tempore Virgilius laudatus eſt, reprehenſus etiam atque contemtus eſt. Caligula olim noluit ejus ſtatuas in bibliothecis Romanis, cum in eo doctrinam & ingenium deſideraret: propius noſtris temporibus Joannes Ciampoli referentibus Antonio Baldaſſarri (6), & Philippo Bonamici (7) multa in eo reprehendebat: recentius Harduinus negavit opus quod ſub nomine Virgilii vulgare eſt, eſse opus aurei ſæculi. Quam multi ex una parte Ariſtotelem celebraverint tamquam Philoſophiæ ornamentum, & quot ex alia condemnaverint tamquam ejuſdem probrum, docebit Benedictus Aletinus (8). Quot laudes in Carteſianam Philoſophiam majores noſtri ſaltem aliqui contulerunt? *Omnia profecto*, ſic Henricus Morus ſcribebat ad Carteſium, *tam concinna in tuis philoſophiæ principiis, dioptricis & meteoris, tamque pulchra ſibi ipſis, naturæque conſona ſunt, ut mens jucundius vix optaret, lætiuſque ſpectaculum*: & Merſennus ad Gisbertum Voetium auſus eſt de Carteſio dicere, *vix credam ulli mortalium majorem rerum naturalium cognitionem a Deo tributam*. Quem autem vice-

Eee 2

(1) Trev.an.1754.ar.135.pag.2728.
(2) Tul.de Nat.Deor.li.2.nu. 69. col. 310.
(3) Plut.Vita Alexandri
(4) Sen.
(5) Quintil.li 10.ca.17.
(6) Bald.Vitæ di Perſonaggi edi. 2.
(7) Bona. De Pontifi.epiſ.ſcrip.
(8) Alet.Lett.apolog.2.

viceversâ ejusdem contemtum nostræ ætatis Physici & Metaphysici passim non declarant, excepto illo ex Trevoltianis, qui ad annum 1758. ipsum appellavit, (1) *sanæ philosophiæ fundatorem*: ergo pulchritudo dependet a solo hominum arbitrio.

57. Resp. conc. antec. & nego conseqm. quæ nullo modo descendit. Quæ enim legitime infertur est: ergo pulchritudo, prout affirmatur, non solum importat in sua notione bonitatem rei, sed etiam cognitionem de eadem bonitate, & rursus veracitatem ajentis vel negantis de re aliqua pulchritudinem; Multæ enim possunt esse caussæ, quæ aliquos inducant ad mentiendum more vel impudentium vel sophistarum, qui cum omnia habeant in se aliquid mali, vel sint alicujus mali occasio, quidvis facile laudant tacitis malis, vel vituperant bonis dissimulatis.

58. Sed hujusmodi caussis omissis, quot aliæ sunt, quæ possunt impedire cognitionem, seu judicium conforme ipsi objecto, totidem esse possunt, quæ varietatem inducere possunt in judiciis hominum, qui veraces sint, circa pulchritudinem alicujus objecti. Aliquas eleganter expolivit Andre (2): multas deinde curiose exquisitas persequutus est Diderotius (3), quas in compendium redegit Formejus (4). Atque tales sine controversia sunt præter hebetudinem mentis, & imperfectionem sensuum, ignorantia: facilitas rem totam æstimandi ex apparenti solum cortice: defectus exercitii in hujusmodi judiciis: præjudicia nata ex consuetudine legibus educatione aliisque, quæ ad præsentiam alicujus objecti excitant tales ideas, quæ illius pulchritudinem non permittant advertere: perturbationes animi, quæ perfectiones in artificiis maxime obvelant, si sint eorum quos non amamus: sin eorum quos diligimus, has dumtaxat detegunt. Sicuti enim oculus, inquit Pallavicinus (5), ita intellectus duas habet conspicillorum species: alteram quæ objecta amplificat, alteram vero quæ illa mirifice imminuit, quibus addatur tertia de vitris coloratis, per quæ omnia eodem colore infecta conspiciuntur. Hinc autem non fit, ut pulchritudo vera non dicat ordinem ad bonitatem realem, sed solum, ut hæc non sit alicui apparens.

AR-

(1) Trev.an.1758.ar.35.pag.809.
(2) And.sur le Beau. cha.1. §. Nous cherchions pag.30.
(3) Dide.in Encyclopæ. art.Beau.
(4) Form.Disc.preli.sur le Beau d'Andre. §.Le Beau, qui. pag.111.
(5) Pallav.Lettere pag.267.

ARTICULUS IV.

Argumenta pro tertia parte.

59. TErtia pars, bonus rerum gustus consistit in judicio, quo intellectus discernit realem bonitatem etiam quantum ad minutas rei partes, probatur I. sic. Potiri bono rerum gustu, & probe rem aliquam callere, aut acri in re aliqua judicio pollere, vulgo reciprocantur: Atqui probe rem aliquam callere aut acri circa illam judicio pollere, est habere judicium, quo intellectus discernit realem bonitatem etiam quantum ad minutas rei partes: ergo.

60. II. Qui accusant hunc vel illum auctorem mali gustus in literario aliquo opere, dum rogantur, ut hoc ipsum sensibili aliquo argumento nobis, qui id non dignoscimus, demonstrent, audimus statim diversa in illis minuta vitia animadvertere vel in dispositione, vel in expositione, vel in alia ex partibus minus conspicuis, & quæ proinde obvia non sunt iis, qui in ea disciplina minus experti sunt. Similiter novimus Scriptores aliquos vel artifices magnum sibi nomen comparasse aliquo insigni opere, quod tandem protulerunt post alia vel mediocria, vel etiam mala, scilicet quia tandem acquisiverunt acre judicium quod adverteret minima etiam, de quibus prius fortasse ne cogitaverant quidem: ergo bonus rerum gustus postulat hujusmodi distinctum judicium.

61. III. Gustus qui pertinet ad intellectum, de quo hic est sermo, dicitur per analogiam a gustu, qui pertinet ad sensum, qui habet pro objecto cibum & potum: Sed gustus qui pertinet ad hunc sensum, non est nec dicitur bonus, sed malus & obtusus, quando non afficitur a cibi & potus qualitatibus, quæ propter suam tenuitatem minus intensæ sunt: ergo etiam gustus, qui pertinet ad intellectum non est nec dicitur bonus, nisi quando discernit etiam minimas objectorum partes. Belletus in suis de gustu reflexionibus apud Trevoltianos (1) observavit jam hanc analogiam inter gustum, qui est sensatio, & gustum qui est intellectio.

62. IV. Suadetur ex aliorum testimoniis, qui vel tacite vel expresse in suis de hac re vel definitionibus vel disquisitionibus sententiam nostram includunt. Itaque Buffierius fatetur se millies au-

(1) Trev. an. 1755. art. 114. pag. 2747.

audivisse (1) qui dicerent bonum gustum consistere in imitatione accuratissima naturæ, in expressione felici illius, quod verum est & genuinum, in penetratione mentis acute etiam minima perspicientis: quæ omnes loquutiones aperte mihi suffragantur. Camillus Ettorri in suo *De Bono gustu* commentario Italico hunc definit (2) Judicium directum ab arte. Citatus Muratorius ait (3) *bonum gustum appellare possumus discernere optimum*: & alibi, (4) *posse judicare de imperfectionibus & perfectionibus scientiarum & artium ad illas effugiendas & has procurandas*. Idem credit Gibertus (5) dici communius. Baudorius apud Trevoltianos (6) inter multos modos, quibus ipsum oratorie describit, hos etiam habet, bonus gustus est rectum judicium, quod reiicit quicquid ad rem non pertinet. Troubletus apud eosdem (7) dicit esse judicium versans circa objecta, quæ delectent. Florianus Dalham vult (8) *bonum gustum esse felicem imaginationis effectum sæpius in optimis objectis exercitæ, qui menti fideliter assistens sine ratiocinii subsidiis præsidium & dignitatem rebus decernit*. Hæc definitio nobis favet, quatenus gustum vult esse judicium verum de qualitatibus seu partibus objecti. Quod autem postulet etiam celeritatem judicii, quæ excludat ratiocinium, hoc equidem non requiram. Quis enim dicat carere bono gustu, qui post maturam considerationem judicium suum exponit circa aliquod objectum nihil discrepans ab illo. quod statim alter pronunciet? Nihilominus ante Dalhamum idem attributum censuit ad notionem gustus pertinere Poucetus de la Riviere Episcopus Trecensis in sermone *de Gustu* habito an. 1751. in primo conventu Academiæ Scientiarum, quam Nanceii constituit Stanislaus Rex Poloniæ, & Dux Lotharingiæ, laudato a Trevoltianis (9), & deinde iterum edito an. 1754. in primo tomo Commentariorum hujus Academiæ; Hic enim definit gustum esse facilitatem primo quasi obtutu dignoscendi pulchritudinem rei, de qua agitur, scilicet inquit vim & alacritatem ingenii, quæ comprehendit connexionem singularum partium cum singulis, & omnium opportunam distributionem ac formam, quæ penitus satisfaciat intelligentibus.

63. Confirmatur ex eo, quod non raro videamus homines mediocris vel minimi ingenii sibi plaudere cum aliorum risu de bono gustu, & contra homines ingenii singularis, nulli fere ho-

(1) Buff du Gout nu. 7. col. 1499.
(2) Ettor. Il buon gusto prefaz. nu. 2.
(3) Mur. Buon Gusto par. 2. ca. 2.
(4) Id. ibid. par. 1. ca.
(5) Gib. Observations a M. Rollin. ar. 2.
(6) Trev. an. 1750. art. 64 pag. 1238.
(7) Ibid. an. 1754. ar. 68. pag. 1362.
(8) Dal. Psychol. §. 24.
(9) Trev. an. 1751. ar. 72. pag. 1394.

hominum hunc concedere, quia nimirum primi incapaces sunt acris judicii ad gustum requisiti: secundi vero quia plus nimio perspicaces sunt.

PROPOSITIO IV.

Pulchritudo non est objectum particularis potentiæ, quæ distingui debeat in homine ab ipsius potentiis tum spiritualibus, ut intellectu & voluntate, tum materialibus, ut quinque sensibus vulgo notis.

64. Propositio est contra Hutchesonium Philosophiæ Moralis Professorem in Academia Glascuensi, qui statuit admittendam esse determinatam quamdam potentiam ratione nostra ab omni alia distinctam, cujus proprium objectum sit pulchritudo: hanc ille vocat sensum internum pulchri; quemadmodum pariter admittit aliam particularem potentiam, cujus objectum sit bonitas, quam ipse similiter distinguit in anima, & vocat sensum internum boni. Hæc ille habet in suis *inquisitionibus in originem idearum, quas habemus de Pulchritudine & virtute*, quas ipse Anglice protulit, & cujus versio Gallica supra quartam editionem facta prodiit in duobus tomis Amstelodami anno 1749. Ipsius doctrinæ, quod pertinet ad pulchrum, epitomam quamdam afferunt Galli Encyclopædistæ (1) & Formejus (2).

65. I. Probatur. Qui statuit pulchritudinem esse objectum particularis potentiæ distinctæ ab intellectu & voluntate, & quinque sensibus vulgo notis supponit opinionem illam aliquorum Platonicorum, quod pulchritudo sit particulare quoddam ens, quod per modum formæ cujusdam inhæret rebus & gratiam ipsis conciliat: saltem incumbit illi onus assignandi attributa aliqua propria hujus objecti, per quæ appareat non posse esse objectum neque intellectus neque voluntatis neque ullius ex potentiis quinque sensuum, aliter temere illud statuit. Atqui ea Platonicorum opinio est certo falsa, ut inferius ostendam: attributa autem propria hujus objecti non assignantur: ergo falsum est pulchritudinem esse objectum particularis potentiæ, vel saltem temere id statuitur.

66. II. Pro-

(1) Encyc.ar.Beau. (2) For.Disc.prelim.sur d'Andre.

66. II. Probatur, quia nullum est sufficiens argumentum adstruendi hujusmodi potentiam, cujus objectum sit pulchritudo, ut constabit per examen eorum, quæ per authorem præcipua sunt.

Primum sit. Objecta faciunt in nobis impressiones necessario gratas vel necessario ingratas, quin scilicet id directe pendeat a nostra voluntate, sed solum indirecte, quatenus volumus quæ grata accidunt, & hæc procuramus: contra vero nolumus ingrata, & ab his avertimur quantum possumus: ergo pulchrum est objectum sensus cujusdam particularis, qui est intra nos.

Resp. conc. antec., & nego conseqm, quæ nullo modo descendit. Consequentia legitima hæc est, ergo objecta habent vel non habent in se, quod per sui cognitionem delectatione vel contra molestia aut horrore nos afficiat.

67. Secundum sit. Ideæ objectorum sensibilium, quæ in nobis excitantur, sunt necessario gratæ vel ingratæ, nec quod gratæ sint vel ingratæ, dependet a ratione propria cujuscunque sensus externi, ut a colore sonitu extensione & similibus, sed dependet ab ordine regularitate imitatione & similibus proprietatibus vel harum contrariis, quæ non sunt objecta sensuum externorum: ergo hæ proprietates sunt objecta alterius sensus interni.

Resp. transeat prima antecedentis pars, & omitto secundam Nam vera illa est, si significet rationes coloris sonitus & similium abstracte sumptas non esse nec gratas nec ingratas; at in sensu abstracto hæ non sunt objecta sensuum: Falsa autem est, si loquatur de tali colore, tali sonitu, & similibus; Nam hæ sunt reipsa per se occasio ideæ gratæ vel ingratæ ex parte sua. Sic placet color vividus bene videntibus, displicet lippis. Tertia tandem pars antecedentis sic distinguitur, gratas esse vel ingratas ideas illas dependet a prædictis proprietatibus, tamquam a quibusdam partialibus conditionibus, concedo; tamquam a solis conditionibus illius jucunditatis vel molestiæ, nego; Nam ex dictis ipse color vel sonitus est partialis caussa, quod illæ gratæ sint vel ingratæ. Et nego consequentiam; Nam legitima consequentia est: ergo hæ proprietates, ordo regularitas aliæque similes, sunt objecta facultatis intellectivæ, quæ reflectit supra ea, quæ per sensus immediate percipiuntur.

68. Ter-

68. Tertium fit. Non admissa in anima hominis facultate determinata ad percipiendum pulchrum in objectis, non restat nisi facultas cognoscitiva utilitatis objectorum: ergo quæ non cognoscentur utilia, contemnentur, & ingrata erunt: Atqui hoc non accidit; Nam ne barbari quidem solas amant casas, & regias ædes abhorrent, nec ea universaliter, quæ deliciæ vel luxus nuncupantur, negliguntur communiter aut contemnuntur. Ergo datur ea facultas.

Resp. nego antec. Restabit enim facultas intellectiva boni in se, & attributorum, quæ ad ipsum quodammodo componendum amice conspirant, qua posita non relinquitur in homine locus soli amori in bonum utile. Omitto alia, quæ multo leviora mihi visa sunt.



SECTIO IV.

De iis quæ pertinent ad notiones pulchritudinis spiritualis & corporeæ.

PROPOSITIO I.

Pulchritudo spiritualis bene definitur bonitas intrinseca entis spiritualis ex pluribus diversis perfectionibus quodammodo coalescens, quæ per sui cognitionem delectat.

69. Robatur quia in proposita pulchritudinis spiritualis definitione characteres omnes supradicti (§.24.), qui pertinent ad notionem pulchritudinis genericæ, clare exprimuntur, & convenienter limitantur ad particularem speciem, pulchritudinem spiritualem. Illam confirmat S. Basilius dicens: (1) *Pulchra est omnis anima quæ in bene temperato commensu propriarum facultatum consideratur*, quandoquidem illa verbi bene temperatus commensus facultatum animæ, prout ab intellectu consideratur, præseferunt tum bonitatem intrinsecam, tum pluralitatem perfectionum, tum ordinem ad vim cognoscitivam. Eidem suffragatur etiam S. Thomas, qui definit pulchritudinem spiritualem esse proportionem inter actiones entis rationalis secundum ductum rationis peractas; dicit enim, (2) *Pulchritudo spiritualis in hoc consistit, quod conversatio hominis sive actio ejus sit bene proportionata secundum spiritualem rationis claritatem*, quibus similia habet alibi (3). Apparent enim in illa sufficienter characteres essentiales pulchritudinis spiritualis, qui quoniam nobis non innotescunt nisi per actiones externas, ideo de illis fit mentio.

70. Definitio pulchritudinis spiritualis in genere contrahi potest per proprias differentias ad singulas illius species, ex quibus primariæ sunt moralis, & non moralis ex supra (§.14.) dictis. Ita ad definitionem pulchritudinis moralis actionum humanarum spectat ea illis intrinseca bonitas, quæ constat ex omnibus proprietatibus

(1) S.Bas Hom.in Psal.29.
(2) S.Th.2.2.qu.145.ar.2.
(3) Id.ibid.qu.142.ar.2.0.
Id.ibid.qu.180.ar.6.ad 3.

tibus, quæ respiciunt non solum naturam humanam, sed etiam singularem hominem, tempus locum & adjunctas circumstantias, ut præclare exponit Andre, ubi subtiliter disquirit (1) differentiam inter honestum & decorum. Ad pulchritudinem autem animæ prout est causa vitæ bene moratæ adeoque hujusmodi actionum, spectant ea, quæ his verbis complexus est Tullius (2), *In animo pulchritudo vocatur opinionum judiciorumque æquabilitas & constantia cum firmitate quadam & stabilitate virtutem subsequens, aut virtutis vim ipsam continens.*

PROPOSITIO II.

Pulchritudo corporea bene definitur bonitas intrinseca objecti visibilis seu audibilis, coalescens ex pluribus realiter partibus, quæ per sui cognitionem delectat: atque ea in particulari, quæ est hominis, bene determinatur dicendo esse bonitatem intrinsecam corporis humani quatenus visibile est, quam constituunt plures realiter partes affectæ proprietatibus frequentioribus apud homines, quæ per sui cognitionem delectat.

ARTICULUS I.

De Adversantibus propositioni.

71. ADversarios appello, qui alias protulerunt pulchritudinis corporeæ definitiones, de qua longe plures circumferuntur, quam de spirituali, utpote de re sensibili, maxime de illa pulchritudinis corporeæ specie, quæ est hominis, de qua etiam qui in studiis non versantur, plus nimio studiosi aliquando sunt. Aliquas, quæ mihi occurrunt affero.

Prima sit, quæ habetur in his S. Augustini verbis, Pulchrum corporeum est id (3), *quod habet laudabiles mensuras & numeros & ordines in suo cujusque genere*, Hæc incompleta est; Nam declarat solum proprietates quasdam, sine quibus esse nequit bonitas corporis intrinseca. Et siquidem contenti simus ideis illis quibuscumque, quæ auditis nominibus mensuræ numeri & ordinis, in nobis exci-

Fff 2 tan-

(1) And. Le Beau Disc. 6.
(2) Tul. Tusc. li. 4. nu. 13.
(3) S. Aug. de Genes. contra Manich. li. 2. cap. 21.

tantur, ea addit distinctionem quamdam in idea hujus bonitatis, quam declarat.

72. Huic definitioni accessit Crouzas, qui dixit pulchritudinem esse varietatem unitatem regularitatem ordinem & proportionem conjunctim, cui subscripsit Ignatius de Luzan, qui eamdem copiose declaravit in sua Poetica, Hispanice scripta & laudata a Trevoltianis (1). At in hac definitione illud imprimis adprobari nequit, quod non postulet solam multiplicitatem partium, sed earum etiam varietatem. At speculum & adamas pulchra communiter habentur, tunc solum quando carent partium varietate: & nemo in controversiam vocabit credo, an lux uniformi candore per spatium cæleste collucens sit pulchra, cum ipsemet Deus suæ pulchritudinis quasi imaginem quamdam daturus sæpius in Sacra Scriptura dicat (2) *Ego sum lux*. Illud etiam reprehendi debet, quod cum necessario ex ordine & proportione plurium inter se inferantur unitas regularitas & varietas; Quis enim concipiat ordinem, ubi quæ multa sunt, vel propter omnimodam similitudinem inter se poterant, quæ prima sunt, esse ultima vel media, vel aliter? Hæc omnia, inquam, juxta leges bonæ descriptionis rei, quæ suppleat vices definitionis, non sunt in ea numeranda nec exprimenda.

73. Diderotius (3) observans, illam a Crouza non afferri pro pulchritudine dumtaxat entis compositi, cujusmodi est corpus, sed pro ipsa in genere pulchritudine, eamdem rejicit non solum propter obscuritatem tot nominum, quæ non fuerunt antea a suo Authore explanata, sed etiam quia non videt, quonam modo illa dici possit de iis, quæ compositionem non præseferunt, ut de verbo, sententia, una aliqua parte totius, quibus certum est vulgo tribui vel negari pulchritudo. Sed secunda hæc impugnatio non est opportuna; Nam siquid vere non præseferat multiplicitatem quarumdam partium, ex dictis (§. 33.) non dicitur pulchrum. Quare quæ verba vel sententiæ vel pars una totius dicuntur pulchra, ideo dicuntur, quia plura in illis animo consideranda objiciuntur, ut mensura numerus ordo sonus aliaque.

74. Secunda sit, quæ pulchritudinem corpoream dicit esse uniformitatem cum varietate. Hæc placuit Hutchesonio, & suis affeclis. Certe corpus, quod multis constet partibus, quæ tendant ad unum aliquem quasi finem totius, idem est ac corpus, in quo datur convenientia partium cum toto, in qua consistit ex dictis alibi (4) bonitas

(1) Trev. an. 1748. ar. 59. pag. 1252.

(2) Jo. Evan. ca. 8. v. 12. & ca. 9. v. 5. & ca. 12. v. 46. Id. Epis. 1. ca. 1. v. 3.

(3) Did. Encycl. art. Beau.

(4) De Bono.

bonitas rei intrinseca: ergo qnando uniformitas cum varietate hoc significet, hæc definitio ex hac parte nostram confirmat.

Cæterum illa multis de caussis ostenditur imperfecta; Nam omisso, quod in hujusmodi notione non exprimitur ordo ad vim cognoscitivam, dico non intelligi, quid sibi velit hic sermo, Uniformitas cum Varietate, quando alia sit illius significatio ab ea, quam nuper proposui. Si enim quis nomine uniformitatis partium corporis intelligat, debere esse in illis rationem æqualitatis in extensione & figura, nomine autem varietatis intelligat debere esse in illis diversitatem utique in extensione & figura: imprimis fit sermo involvens contradictionem: deinde traditur definitio evidenter falsa in omnibus operibus naturæ & artis, quæ ad sui pulchritudinem non solum non requirunt hanc rationem æqualitatis in forma & figura suarum partium, sed etiam respuunt, & ea posita amittunt totum suum esse. Da enim aures homini ejus extensionis cujus sunt brachia, os ejus figuræ cujus sunt manus, vel viceversa: & agnosce si potes non dicam hominem pulchrum aut deformem, sed ipsummet hominem. Sin autem nomine varietatis intelligatur idem ac multitudo, jam uniformitas cum varietate idem erit, ac multitudo partium æqualium. Atque hunc revera sensum Auctores hujus definitionis videntur intendere; Nam affirmant, quadratum pulchrius esse triangulo æquilatero, pentagonum quadrato, hexagonum pentagono, & sic deinceps crescere volunt pulchritudinem aucto numero partium: & rursus affirmant triangulum æquilaterum esse pulchrius scaleno, vel isoscele sed non æquilatero. At hoc modo intellecta illa definitione, primo quidem patet nihil dici, quod aliqua ratione suaderi possit; erunt enim, qui triangulum dumtaxat isosceles dicent pulchrius æquilatero,& quadratum quovis polygono: Deinde iterum quæritur, quonam modo homo sit pulcher, cujus singulæ partes sunt re & nomine diversæ.

75. Tertia sit, quæ dicit pulchritudinem corpoream esse dispositionem partium cum proportione unius ad aliam & ad suum totum. Huic favet S. Augustinus dicens (1): *Videbam in corporibus aliud esse quasi totum & ideo pulchrum, aliud autem, quod ideo deceret quonia n apte accomodaretur alicui, sicut pars corporis ad universum suum*; Hæc pariter proponitur tamquam confirmatio aliqua nostræ: non tamen eidem præponitur; Nam omisso, quod in ea nulla fit mentio de ordine ad vim intellectivam, & ejus delectationem, illud vocabulum *proportio* in hac re est satis obscurum; Cum enim proportio importet relationem unius termini ad alium, opus est determinare quantitatem aliquam in uno proportionis termino. Atque

(1) S. Aug. Conf. li. 4. cap. 13.

Atque hæc quæritur, undenam desumenda sit, seu qua ratione determinanda? Aliqua certe ad sui pulchritudinem requirunt partes inæquales, & dissimiles, ut corpora organica, alia contra, æquales & similes, ut aurum gemmæ aqua. Præterea proportio supponens quantitatem non invenitur habere locum in omnibus, quæ pulchra dicuntur, etiam in linea pulchritudinis corporeæ. Sic qui nigris oculis est, pulchrior censetur illo, qui minus nigros habet, etsi magnitudo oculorum par sit in utroque.

76. Marsilius Ficinus contra eamdem definitionem objicit inter alia, quod cum (1) *proportio cuncta includat corporis composita membra, neque sit in singulis, sed in cunctis, singula membra per se pulchra non essent: Unde nonnihil sequitur absurdissimum, ut quæ suapte natura speciosa non sunt, pulchritudinem pariant*. Sed hæc objectio nullius momenti est. Sicuti enim negatur absurdum esse, ut singula elementa vocum, quæ per se non faciunt sensum, hunc simul convenienter unita pariant, ita negatur, absurdum esse singulas seorsim partes, etiamsi de se pulchræ non sint parere pulchritudinem. Numquid absurdum est, in uno dumtaxat termino non haberi proportionem? Necesse igitur est, ut pulchra non sint singula seorsim sumpta, si pulchritudo importet proportionem, quæ ex sua notione excludit hujusmodi singularitatem.

77. Quarta sit, quæ addit tertiæ suavitatem coloris. Sic Tullius pulchritudinem corporis humani definit: (2) *Esse quamdam aptam figuram membrorum cum coloris quadam suavitate*, quem non semel imitatus est S. Augustinus (3), similia de hominis pariter pulchritudine dicens. Similiter S. Basilius (4), *pulchrum*, inquit, *est quod in membrorum compositione concinne ac decenter aptatum est, atque efflorescentem habet gratiam*. Huc etiam facit, quod dicit S. Thomas (5). *Ad pulchritudinem tria requiruntur: primo quidem integritas sive perfectio, quæ enim diminuta sunt, hoc ipso turpia sunt: & debita proportio sive consonantia: & iterum claritas. Unde quæ habent colorem nitidum, pulchra esse dicuntur*. Ubi effugere voluit S. Thomas terminum suavitatis attributum colori, & elegit potius terminum claritatis, quod alibi pariter facit dicens (6): *Pulchritudo corporis in hoc consistit, quod homo habeat membra corporis bene proportionata cum quadam debita corporis claritate*.

Contra illos, qui hanc cæteris præferrent, valent quæ contra superiorem dicta sunt, & hæc alia præterea. Quænam est ista colo-

(1) Fic. in Convi Plat. orat. 5. ca. 3.
(2) Tull. Tusc. li. 4. nu. 31.
(3) S. Aug. de Civi li. 22. ca. 13. Ep. Epis ad Nebridi. 3. alias 151.
(4) S. Basil. in Psal. 44.
(5) S. Th. 1. p. qu. 39 art. 8. o.
(6) Id. 2. 2. qu. 145. ar. 2. o.

loris suavitas, vel quisnam est color, qui sit visu suavis? Flavus placet in auro, viridis in pratis: sed uterque generaliter displicet in vultu. Ipse idem color, qui placet in vultu humano aliquibus, minus placet aliis. Ita Europaeos vultus candidus simul & rubidus: contra vero Comorinenses niger delectat; & candor ipse, qui nobis placet in vultu civium puerorum & feminarum, minus placet in illo militum & rusticorum, quos malumus fuscos, & quasi ambustos spectare, quibus exemplis excluditur etiam claritas coloris, tamquam requisitum essentiale ad pulchritudinem visibilem.

ARTICULUS II.

Argumenta pro propositione.

78. PRopositio probatur, quia allatae definitiones pulchritudinis corporeae in genere, & hominis in specie sufficienter satisfaciunt legibus bonae definitionis, quippe exprimunt, ut oportet, genus ultimum & differentiam specificam sui definiti.

79. Atque illa in particulari, quae est definitio pulchritudinis hominis, quam debemus Buffierio (1) sic declaratur. Homo apud Europaeos habitu corporis nec nimis carnoso nec nimis gracili: colore albo, quem roseus rubor persundat: coma densiori & modice crispa praesertim in extremitatibus, genis non vacuis neque obesis, sed plenis & succulentis: facie longa potius quam rotunda: fronte spatiosa: oculis amplis & nigricantibus: naso nec simo nec aquilino, nec crasso nec longo, sed recto & gracili: ore exiguo: labiis subtilibus ac rubentibus: dentibus albis, nec exilibus nec separatis: auribus mediocriter longis: manibus nitentibus & quasi torno politis: digitis paulo longioribus cum unguibus latis albis & simul subrufis: trunco strictiori in superiori parte seu pectore, paulo autem laxiori in inferiori seu ventre: femore decenter carnoso: cruribus ornatis sura concinne turgenti: & statura sex circiter palmorum dicitur pulcher. Atque quando bene se habeat quod exponit Lessius de ratione, quam inter se postulant partes corporis humani, nimirum (2) *ut longitudo ad latitudinem sit sextupla, ad crassitiem quae spectatur a superficie dorsi secundum lineam rectam ad superficiem pectoris decupla, ad cubitum quadrupla, ad extensionem utriusque brachii aequalis*: vel quod magis minute dicit Marsilius Ficinus, (3) *nasi tres in longum dispositi, vultus unius impleant longitudinem: aurium utrarumque semicirculi una conjuncti oris aperti cir-*

(1) Buf. Traitè des premi. verit. nu. 94.
(2) Less de Provid. nu. 36.
(3) Fic in Convi. Plat. orat. 5. ca. 6.

circulum faciant : idem quoque conjunctio superciliorum efficiat : longitudo nasi longitudinem labii compleat, aurisque similiter : gemini oculorum orbes unum aequent oris hiatum : capita octo proceritatem corporis comprehendant : eamdem quoque monstret brachiorum in latum extensio, quibus similia habet Benedictus Pererius (1), homo inquam in quo hæc sint, erit perfectæ pulchritudinis, & qui ajunt pingi possit, scilicet quia inter plures homines major pars illorum accedit ad has dispositiones, minor vero ab illis recedit, vel per excessum, vel per defectum.

80. Exemplum esto in statura, in qua observare possumus non solum in amplissima civitate, sed in integro etiam regno tam pygmæos, quam gigantes raros esse. Illud vero in hac accidit, quod nimia brevitas corporis, etiamsi cætera adsint, videatur tollere ab homine decus pulchritudinis; venustus enim aut elegans dicitur, ut jam observavit Aristoteles (2), non vero pulcher, qui cum apta omnium membrorum conformatione sit pumilio, qualis celebratur ab Academia scient. Parif. an. 1746. in observationibus anatomicis ille, qui in aula Regis Poloniæ & Ducis Lotharingiæ educabatur, qui altitudinem pollicum 22., & pondo uncias septem supra libras novem non excedebat. Contra vero proceritas, ceteris non deficientibus pertinet ad augmentum pulchritudinis humanæ; Nunquam enim si laudare aliquem velimus, omittitur hujusmodi proprietas si in illo sit, ut constat ex Pythagora, qui credidit se celebrare Herculem, dum ut refert Gellius (3) eminentem illius magnitudinem collegit ex parte sexcentesima stadii Olympici, quæ dicebatur ejusdem pedi æqualis, & multo magis ex illo, quod de Saule supra (§. 1.) ex Sacris Literis retulimus, & aliis pluribus quæ adducunt Franciscus de Mendoza in suis ad citatum de Saule locum Commentariis (4), & Jo. Pineda in suo Salomone (5). Hujus autem ratio est, quod ex solito majori magnitudine corporis humani apte conformati conjicimus proportionalem in animæ pariter dotibus excellentiam & inferimus majorem aptitudinem ad ferendos labores, sine quibus nihil magnum homo exequitur, a qua aptitudine notio virilis pulchritudinis non præscindit, ut observat Aristoteles (6), & confirmant qui referunt *plurimis gentibus in corporis majestate venerationem esse, magnorumque operum non alios capaces existimari, quam quos eximia specie donare natura dignata est*. Quare cum in feminis comparate ad viros statura minor plerumque sit & appa-

(1) Per. in Daniel.
(2) Arist. Eth 4. ca. 3. nu. juxta Maur. 3
(3) Gell. li. 1. ca 1.
(4) Mend in 1. Reg ca. 10. nu. 27. annot. 7. sec. 3.
(5) Pin. de rebus Salomon. li. 6. cap. 5. nu 13.
(6) Arist. Rhet. 1. ca. 5. juxta Maurum 10.

appareat, ideo castigate loquutus est Tullius, dum (1) *pulchritudinis*, inquit. *duo genera sunt, quorum in altero venustas est, in altero dignitas: & venustatem muliebrem ducere debemus, dignitatem virilem*.

81. Ex hac interea Buffierii definitione eruitur solutio illius quæstionis, cur apud Æthyopes pulcher dicatur homo, cui color niger labia crassiora nasus depressus: apud Sinenses vero pulcher habeatur ille, cui color subrufus oculi exigui & semiaperti: apud populos Borealiores pulchri sint qui oculis sunt cæsiis & capillo flavo: & quidam Alpium incolæ, qui strumosi communiter sunt a pueris, non aliter ipsi sentiunt de iis qui strumis carent, teste Pallavicino (2), quam nos de pumilis aut strabonibus, ita ut quæ sunt pulchritudines Africanæ, Boreales, & Alpinæ habeantur apud plerosque populos Europæ, tamquam deformitates quædam. Scilicet unaquæque gens gratam habet eam partium dispositionem, quæ apud singulas communior est. Per eamdem rationem intelligitur, quare diversæ requirantur dotes in pulchritudine hominis pro diversa cujusque ætatis sexus status conditione; Unde nascuntur variæ ipsius species, ut alia sit pulchritudo pueri, alia virginis, alia viri, alia senis, alia ducis, alia senatoris, alia doctoris.

82. Juxta methodum, qua definitio pulchritudinis visibilis distinctior reddita est, erui potest distinctior pariter definitio pulchritudinis audibilis. At opus est prius distinguere sonos in naturales, ut vocis humanæ: & artificiales, ut instrumenti, vel concentus musici. Qua distinctione posita dici potest, bonitatem pertinentem ad pulchritudinem soni naturalis esse in illis ipsius modificationibus, quæ communiores sunt in ea linea seu specie. Ita vox clara dicitur pulchra, quia inter plures loquentes major pars accedit ad illam vocis affectionem, minor vero recedit. Hinc intelligitur, quare vox hominis, quæ pulchra dicitur in sua regione & apud suos, non solum censeatur minus pulchra, sed fortasse etiam absona, & turpis ab hominibus alterius linguæ, nimirum quia illa recedit a temperamento vocis apud ipsos consueto.

83. Circa pulchritudinem soni artificialis & quidem compositi promoveri potest claritas ipsius definitionis determinando, in quo consistat ipsius bonitas, quæ certe est quædam modificatio soni, atque dici cum Rogaccio (3) potest, esse proportionem inter tonos componentes, qui sunt partes illius concentus, conjunctam

(1) Tull. de Offic. li. 1. ca. 36.
(2) Pal. del bene li. 2. ca. 16. nu. 2.
(3) Rog. Uno necess. par. 1. cap. 57. nu. 19.

mis naribus, *recalva fronte*, *pilosis humeris*. *repandis cruribus*; ut de illo ait S. Hieronymus (1), quasi exponens, quod Plato dixerat eum (2) *Satyro persimilem adspectu* fuisse, certis eum vitiis credidit deditum, quæ si Socrates fassus est *illa sibi inesse*, *sed ratione a se dejecta*, idem alii etiam melioris formæ, qui candide loquuti sunt, dixerunt.

87. Contra vero ex pulchritudine corporis inferunt perditos mores illi, qui quasdam Authorum propositiones frequenter obtrudunt, ut ex Poetis illam Plauti, (3) *Nimia est miseria pulchrum esse hominem nimis*, & illam Ovidii

Lis est cum forma magna pudicitiæ:

cui consonat Horatius (4)

Rara est concordia formæ atque pudicitiæ:

Ex Patribus autem adducunt Tertullianum, cujus est (5) *Usus & fructus pulchritudinis luxuria*! Et S. Ambrosium fatentem quod (6) *Pulchritudo ipsa & gratior corporis forma magis frequenter in vitium*, *quam deformitas trahit*. Proferunt etiam historias Sanctorum, qui pulchritudinem sibi ingenitam a se modis omnibus amoverunt tamquam virtutis impedimentum, ut compertum est de S. Alexandro, qui cognominatur Carbonarius, propterea quod cum esset ceteroquin liberaliter educatus, elegit carbonariam artem, per quam *pulchritudo sordibus carbonum infecta obtegeretur*, ut ait S. Gregorius Nyssenus juxta versionem Laurentii Sifanii in vita S. Gregorii Thaumaturgi (7), quam ex versione Gentiani Herveti retulit etiam Surius (8); ejusdemque partem aliquam Italice redditam Menochius (9) in suis Storeis inseruit.

At quis non videat male hos interpretari hæc effata, per quæ Authores illi majus quoddam extrinsecum luxuriæ periculum dumtaxat inculcant, non vero hujus etiam determinati vitii, aut perditæ vitæ argumentum ullum proponunt. (10) *Semper pulchritudinem duo pericula comitantur superbia & lascivia* dixit S. Antoninus & in hunc sensum sumi debent aliorum dicta, si possint, aliter vera non sunt, sed ut ait S. Chrysostomus (11) *inutilia verba sunt*, *dicere hanc perdidit forma*, *hunc pulchritudo causa fuit interitus*. *Non pulchritudo causa est*: *Absit*, *opus enim Dei est & ipsa*: *sed perversa voluntas malorum omnium caussa est*.

 88. Iidem

(1) S.Hier.li.1.adverf.Jovinianum.
(2) Pla.Conviv.in Alcibiadis oratione
(3) Plau.Miles.
(4) Hor Saty.10.
(5) Tert.De cultu fœminar ca.3.
(6) Ambro.De paradiso ca 7.
(7) Nyss.pag.396.
(8) Sur Vitæ Ss Julii 3.
(9) Men.Stuor.par.2.cent.3.ca.56.
(10) S.Ant 3.par.tit.18 ca 5.§.4.
(11) S.Chry.hom.32.in Genes.

38. Iidem gravius putant se atguere ex quibusdam S. Scripturæ locis. Alterum est: (1) *Vestigium cordis boni, & faciem bonam difficile invenies, & cum labore*, quasi ibi invicem committantur bonitas sive pulchritudo faciei cum bonitate cordis sive morum, & affirmetur rara horum inter se conjunctio. Sed hujusmodi sensus ignotus est probatis interpretibus, qui, ut Cornelius a Lapide, hoc unum significari dicunt per ea verba, quod difficile est invenire faciem, quæ est signum animi sive cordis, constanter hilarem atque tranquillam.

Alterum est, (2) *Gigantes erant super terram, postquam ingressi sunt Filii Dei ad filias hominum, illæque genuerunt. Isti sunt potentes a sæculo, viri famosi*: ergo proceritas quæ est pars pulchritudinis hominis conjungitur cum improbitate. Sed postquam S. Augustinus de iis dixit, (3) *hos propterea placuit Creatori procero corpore generari, ut etiam ostenderetur non solum pulchritudines rerum, verum etiam magnitudines & fortitudines corporum non magni pendendas a sapiente*, quis audeat in illam consequentiam descendere, & proceritatem corporis non dicam statuere, sed conjicere aliquo modo esse quoddam argumentum improbitatis.

Tertium est: (4) *Non est species ei, neque decor*, dicitur de Christo: & illud (5) *speciosus forma præ filiis hominum*. S. Augustinus advertit (6) *non secundum carnem dictum esse, sed secundum speciem spiritualem*, cui consentiunt Patres perquammulti, quorum testimonia adducit Jo. Pineda (7), qui negant Christum fuisse pulchrum aspectu, quasi hoc modo melius intelligeretur, quod esset (8) *Sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus*. Sed hæc non sunt ad rem, quia multi alii Patres, quibus accessit magna interpretum vis, & Theologi communiter, quos ipse Pineda ibidem, & Menochius (9) citant pulchritudinem etiam corpoream fuisse in Christo propugnarunt, eam saltem, *quæ maxime deceret illius conditionem, atque munus & personam*, ut cum Pineda loquar, qui egregie hanc controversiam pertractavit.

AR-

(1) Eccli.13.v.32.
(2) Gen.6 4.
(3) S Aug.de Civ.li.15,ca.23.
(4) Isa ca.53.v.2.
(5) Psal.44.
(6) S.Aug Epist.112.
(7) Pin.de rebus Salom.li.5 ca.4.nu.5.
(8) Ad Heb.7.26.
(9) Men.Stuore par.2.cent.3. ca.20.

ARTICULUS II.

Argumenta pro propositione.

89. PRobatur. Si pulchritudo corporea inferret pulchritudinem spiritualem in linea morali, hoc esset, vel quia homo pulcher liber non esset a necessitate aut physica aut morali agendi malum morale, vel quia etiamsi esset sic liber, saltem a posteriori constaret plerosque saltem pulchros bene moraliter agere: Atqui non potest dici primum, quia nullibi habetur, datum esse pulchris hoc privilegium, ut liberum arbitrium habeant ad solum bonum morale. Neque potest dici secundum, quia falsum: ergo pulchritudo corporea non infert pulchritudinem spiritualem in linea morali. Idem argumentum mutato dumtaxat nomine pulchritudinis spiritualis in illud oppositæ deformitatis valet pro altera propositionis parte, pro qua gravius urgetur minor ejusdem propositio, quatenus agit de libero arbitrio, quia hoc ineſe homini ad bonum morale definitum est a Conciliis, ut a Tridentino (1) nulla adhibita exceptione aut distinctione inter pulchros & deformes.

90. Quatenus vero illa minor negat a posteriori constare pulchritudinem corpoream conjungi saltem plerunque cum pulchritudine morali, aut opposita deformitate, suadetur I. quia iis, qui congerunt exempla pro alterutra parte, opponi possunt totidem alia pro opposita. Itaque fuit quidem vetus Josephus Ægypti arbiter (2) *decorus aspectu*, & simul castitate præclarus: At etiam (3) *sicut Absalon, vir non erat pulcher in omni Israel*, attamen nequissimus fuit & parricida. In Vatinio ex Vellejo Paterculo (4) *deformitas corporis cum turpitudine certabat ingenii*: At in Socrate cum multis corporis vitiis præfulgebat Ethicæ perfectioris exemplum. In Domitiano ex Svetonio, & in Trajano ex Plinio in ejus panegyrico, eminens erat statura: at in primo mores scelesti, in altero honesti. Si tandem cujusvis temporis historia suas recenset pulcherrimas simul & impurissimas Laides & Citherides, celebrat etiam suas forma simul & sanctitate præstantissimas Saras & Judithas. Quin eadem persona sive formosa sive turpis pro diverso tempore bona & mala non raro invenitur. Ita Titum Vespasianum, quem ab egregia forma laudat Svetonius, magnæ quidem virtutes decorarunt, cum esset imperator;

(1) Trid sess.6.can 5.
(2) Gen.49.v.22.
(3) 2.Reg.14.v 2.
(4) Pater.li.2.ca.69.

tor: at multa eumdem vitia, si credimus Dioni, deturpârunt, cum esset privatus. Ita de Nerone, quem sumat quisque ea corporis specie, quam vult, compertum est primo imperii sui quinquennio præbuisse normam optimi regiminis, at reliquis deinde annis fuisse monstrum atque prodigium pessimæ administrationis.

91. Suadetur II. quia in hac controversia debent omnino reticeri exempla eorum, quæ utraque adversariorum pars pro se adducit, tamquam otiose commemorata, utpote neutri faventia. Ita sunt qui Romulum, & Alexandrum Macedonem, quorum primum Plutarchus, secundum Polybius (1) laudant ab eximia corporis forma, inter heroas numerant, & prænunciam virtutis illorum, per quam alter Romanæ gentis, alter Græci imperii conditor fuit, dicunt fuisse præstantiam corporis: alii vero collocant inter sceleratos & audaces. quos aliquando Fortuna juvat, & contrario modo pulchritudinem externam prænunciasse volunt ipsorum improbitatem. Nam Romulo exprobrant barbaram fratris cædem, & intolerandam superbiam in Reip. administratione, ut tandem in frusta a suis discerptus obierit. Alexandro autem obiiciunt intemperantiam & immanitatem, propter quas illos etiam, quibuscum necessitudine sanctissima erat copulatus, Clitum, Parmenionem, Callisthenem crudeliter perdidit. Concludam igitur, quod sicuti in quavis hominum classe sive nobili & summa, sive humili & infima, ita etiam sub quovis habitu corporis sive specioso, sive monstroso, boni & mali quavis ætate inveniuntur.



(1) Poly. li. 4.

PRO-

PROPOSITIO IV.

Nulla pulchritudo cognoscitur a brutis.

92. HAnc propositionem olim aperte affirmavit Tullius dicens (1) *Unum hoc animal* (homo) *sentit quid sit ordo, quid deceat. Itaque eorum ipsorum quae aspectu sentiuntur, nullum aliud animal pulchritudinem venustatem convenientiam partium sentit.* Eamdem Hieronymus Osorius sic expolivit (2). *Ex omni genere animantium nullum est praeter hominem, quod pulchritudinis elegantiam sentiat. Reliqua enim cantorum sonos auribus accipiunt, harmoniam autem ex varia compositione sonorum haud assequuntur: ita & in formis magnitudinem atque colorem vident, ipsam vero partium convenientiam & aptam corporis compositionem intueri non possunt. Ex quo sequitur deformia a pulchris, humana tantum natura atque ratione distingui.* Idem ex iisdem rationibus concludit Bossuetus (3) & Jo. Baptista Noghera (4). Idem arbitratus est Andre esse extra controversiam, (5) *Sine dubio*, inquit, *dabunt omnes pulchritudinem tam sensibilem, quam intelligibilem non posse apprehendi nisi ab anima rationali.*

93. At de illius veritate dubium se professus est Buffierius in suis ad citatum Tullii locum observationibus (6). Crouzas autem & Hutchesonius referente Formejo (7) illam negarunt. Et primus quidem absolute tribuit brutis ideam pulchritudinis, *etsi minus claram illa* quam homines habent. Secundus vero non videt quid aperte excludat a brutis sensum internum pulchri a se excogitatum (§. 64) etsi nostro imperfectiorem.

94. I. Igitur propositio sic probatur. Intelligentis est cognoscere ordinem, quem inter se habent partes alicujus totius, sicuti intelligentis est ipsum constituere: Sed pulchritudo importat hunc ordinem: ergo intelligentis est pulchritudinem cognoscere. Atqui bruta non sunt intelligentia: ergo non cognoscunt pulchritudinem.

II. Bruta pulchritudinem spiritualem profecto non cognoscunt; Nam haec ad sui cognitionem requirit intellectum, quo ut alibi (8) demonstravi carent Bruta: non vero corpoream sive

(1) Tull. de Offic. li. 1. ca. 4.
(2) Oso de gloria li. 3.
(3) Boss. Connoiss. de Dieu ca. 5. n. 11.
(4) Nog. su la Natu. umana rifl. 5.
(5) And le Beau ca. 1.
(6) Buf. Soc. Civil. Observ. sur Cicer. de Officiis nu. 761.
(7) For sur le essai du P. Andre pag. 27. & 56.
(8) De anima brutorum nu. 213.

ve audibilem sive visibilem, quæ sunt duæ solæ ipsius species, ut inferius ostendam, quia objecta visus & auditus nequeunt excitare in illis ullam cognitionem, per quam ipsa oblectentur. sicuti opus esset juxta notionem pulchritudinis, quoniam quando in audiendo vel videndo adsit delectatio, hæc ad intelligentiam pertinet, ut alibi (1) ostensum est. Quod confirmo authoritate S. Ambrosii, cujus sunt hæc (2) *Erigit bucula ad Cælum oculos, sed quid spectat, ignorat. Erigunt feræ, erigunt aves, omnis est liber adspectus, sed soli inest homini eorum, quæ adspicit, affectus interpres. Audiunt animantes ceteræ, sed quis præter hominem audiendo cognoscit?* Quando igitur bestiæ aliquæ, ut duo tauri dimicant propter unam eamdemque juvencam, non aliter se habent, ac duo canes viribus pares cum rixantur, ut projecto in medium cibo aliquo potiantur.



(1) De Bono §.46.
(2) S.Aug.Hexam.li.6.ca.9.nu.67. juxta Maurinos.

SE-

SECTIO V.

De Bonitate divisionis pulchritudinis in spiritualem & corpoream.

PROPOSITIO.

Pulchritudo bene dividitur in pulchritudinem spiritualem & corpoream.

95. 

Ropositioni adversantur tum qui contendunt omnem pulchritudinem esse corpoream, tum qui nullam statuunt esse corpoream. Inter primos est Vernejus, qui solam agnoscit pulchritudinem corpoream, quæ (1) *vel visum vel auditum delectat: nec aliud*, inquit, *intelligunt homines, cum tali vocabulo utuntur*. Inter secundos est Marsilius Ficinus. qui de omni pulchritudine statuit, illam esse quid incorporeum (2) *Concludamus*, sic ille, *pulchritudinem esse gratiam quamdam vivacem & spiritualem, Dei radio illustrante, Angelo primo infusam, inde & animis hominum, corporumque figuris & vocibus*. Hujus ideam vult a Deo impressam esse omnium hominum animis, unde statim hæc pulchra, illa deformia pronunciant, quia (3) *naturali & occulta quadam incongruitate vel congruitate fit, ut forma rei exterior imagine sua ejusdem rei formam in animo pictam pulsans dissonet aut consonet*. Hanc ipse doctrinam fortasse hausit ex Platonicis; Video enim Maximum Tyrium apud Danielem Bartolum (4) docere naturam pulchritudinis de Cælo, in quo est ejus sphæra, in terras descendere, ubi multum de sua gratia amittit, quemadmodum pura solis lux supra coelum languescit, & dulces fluminum aquæ in mare erumpentes suavitatem suam amittunt.

(1) Vern.Metaph.li.4.ca.11.
(2) Fic.Orat.5.in conviv.Platon. in fine ca.6.
(3) Id.ibid.ca 5.
(4) Bart.Ricr.del Sav.li.1 ca.12.

ARTICULUS I.

Argumenta pro pulchritudine spirituali.

96. PHilosophi, Patres, Theologi, rude etiam vulgus, & ratio ipsa suadent adesse pulchritudinem etiam spiritualem præter corpoream: ergo. Antecedens probatur per partes. Inter philosophos sunt Platonici, qui in facie honesti ex supra (§. 32.) dictis mirabilem speciem contemplabantur, & cum magistro suo prædicabant (1) *pulchritudinem, quæ animis inest, illa quæ in corpore præstantiorem*. Sunt Stoici, qui referente S. Augustino (2) dicunt, *pulchros non esse nisi sapientes*. Certe autem, ut ipsemet ait approbans, quod sapientia sit pulchra, *oculis carnis forma sapientiæ decusque non conspicitur*. Est Aristoteles, qui cum pulchrum, ut vidimus dixerit esse id, quod laudabile vel jucundum est, concludit, *si pulchrum est hujusmodi, necesse est virtutem esse pulchram*. Et Hieronymus Osorius in sua pulchri animi eloquenti descriptione præclare ab illo dictum refert, quod (3) *si essent qui pulchritudine corporis excellerent, reliqui omnes æquum esse ducerent eos in omnium dominatu locari. Quod si corpus elegantia præstans hanc opinionem afferre potest, multo facilius id esset de animi præstantia judicandum. Sed non ita facile pulchritudinem animi cernimus atque venustatem corporis sentimus*. Est tandem Tullius, qui (4) *depravationem & foeditatem turpificati animi* horridiorem reputans deformitate corporis, jam censet posse tam in anima, quam in corpore reperiri oppositam pulchritudinem, quam antithesim clare expressit Plato definiens (5) *virtutem esse sanitatem quamdam & pulchritudinem animi, pravitatem vero morbum & turpitudinem*.

97. Inter Patres omissis illis, qui quasi ex professo agunt de Divina pulchritudine, quos affert Raynaudus (6) de eadem re differens, S. Basilius ex dictis (§. 69.) admisit pulchritudinem spiritualem. S. Clemens Alexandrinus (7) *in anima*, inquit, *pulchritudo apparet & turpitudo*, & infra (8) foeminas artificiose pulchras, sed anima propter vitia deformes comparat templis Ægyptiorum pulcherrimis visu, sed quæ intra penitiora adyta includebant, *felem vel crocodilum, vel serpentem indigenam, vel aliquam*

(1) Pla. Convi. circa finem.
(2) S. Aug. de Civit. li. 8 ca. 7.
(3) Oso. de Gloria li. 3.
(4) Tul. de Offic. li. 3. ca. 29.
(5) Plat. de Rep. li. 4.
(6) Ray Theol. Natu. dist. 7. nu 141.
(7) Clem. li. 2 Pædag. ca. 12.
(8) Id. ibid. li. 3. ca. 2.

liquam ejusmodi belluam quæ templo est indigna, sed antro speluncæ ac cœno magis congruit. S. Jo. Chrysostomus hæc habet (1) *Discamus quæ sit corporea pulchritudo & quæ spiritualis. Est pulchritudo corporis & est pulchritudo animæ*, quarum utramque eloquentissime describit S. Bernardus in illud (2) *Pulcher es dilecte mi & decorus*, quod de Christo dictum interpretatur, ubi notat bis dici pulchrum ad exprimendam pulchritudinem tum Divinitatis, tum Humanitatis. S. tandem Augustinus audiatur, qui frequens est in commemoranda pulchritudine spirituali. Ille pulchram appellat virtutem, (3) *totum*, inquit, *quod pulchrum est in anima, virtus & sapientia est*, quam alibi (4) *veram ac summam pulchritudinem* esse ita credit, ut retractet ex supra dictis (§.30.) distinctionem, quam inter Philocaliam & Philosophiam olim posuerat. Idem pulchram dicit justitiam (5) *summa & vera pulchritudo justitia est*: & alibi (6) *Diligite justitiam, habet pulchritudinem suam. Quare illam videtis, quando illam exigitis?* Quo etiam spectat præclara ejusdem observatio in illud Psalmi 58. *Confessio & pulchritudo in conspectu ejus*, ubi notat nominari prius confessionem, quam pulchritudinem, propterea quod hæc supervenit illis, (7) *qui confitentur peccata sua, vomunt mala, quæ avide devoraverant, nec redeunt ad vomitum suum, sicut canis immundus*. Idem pulchram dicit Fidem, (8) *Quam pulchra res Fides! Sicut lucet aurum ad oculos corporis, sic lucet Fides ad oculos cordis. Aperis ad illam oculos cordis, quando vis ut exibeat illam tibi servus tuus*. Idem alibi (9) pulchritudinem corpoream vocat imam, alibi (10) exteriorem, alibi (11) visibilem, per oppositionem scilicet ad spiritualem, quæ per ipsum est superior interior & invisibilis. Idem tandem ipsum nomen pulchritudinis spiritualis dicit esse proprium, & convenire omni honestati, (12) *Honestatem*, sic ille, *voco intelligibilem pulchritudinem, quam spiritualem nos proprie dicimus*.

98. Inter Theologos est S. Thomas supra (§ 69.) citatus, adeoque innumeri, qui illum sequuntur, inter quos Lessius in suo tractatu *De summo bono* distinctum caput statuit de spirituum

Hhh 2 pul-

(1) Chry hom.2.de Eutropio num.17. juxta Montfauc.
(2) S.Bern Cantic.1.v.16.
(3) S.Aug.in psal.58.ser.1.nu.18.
(4) Id.Retr.li.1.ca.1.nu 3.
(5) Id.in Psal.44.nu.3.
(6) Id.serm.de decem Chordis 9. alias 96.de Temp.nu 16.
(7) Id.in Psal.95.nu 7.
(8) Id Serm.de decem Chord. ubi supra.
(9) Id.de Ver.Relig.ca.40.nu 74.
(10) Id.Conf.li.10.ca.34.nu.53.
(11) Id lib.3 qu.30.
(12) Id.ibidem.

pulchritudine (1), eamdemque doctrinam alibi (2) etiam repetit.

Vox autem vulgi unanimis est, pulchrum esse Deum, pulchram virtutem, pulchram animam virtutibus ornatam, pulchras has vel illas leges, hos vel illos sermones sive numeris adstrictos sive solutos.

99. Quod tandem pertinet ad rationem sic arguo. Sunt objecta, in quibus etsi nihil observamus quod sensus delectet, nihilominus in illis detegimus quod a mente sit laudabile, quemadmodum dici potest de homine valde ingenioso sed deformi: Et contra sunt objecta, in quibus etsi non cognoscamus aliquid, quod mens laudet, attamen sentimus illa nos delectare sicuti dici potest de homine specioso quidem corpore sed stupido vel hebeti: Atqui quod a sola mente laudatur, est pulchritudo quædam spiritualis distincta ab illa, quæ delectat solum per sensum, quæ nequit esse nisi pulchritudo corporea: ergo pulchritudo spiritualis admittenda est.

100. Objicitur. Pulchritudinis nomen institutum est, & quodammodo excusum ad significandam solam pulchritudinem corpoream: ergo hæc sola admitti debet.

Resp. conc antec. Nam nomina quidem, cum sint signa idearum, sequi necessario debent illarum ordinem. Quare cum ideæ rerum sensibilium sint ordine primæ, relate ad hominem, nomen pulchritudinis primo institutum erit ad significandam pulchritudinem corpoream: sed nego conseqn. Nam homo non habet ideas dumtaxat rerum sensibilium, sed etiam spiritualium & abstractarum, quas denotat per vocabula, quæ si placet dicantur metaphorica, at certe sunt communiter recepta, & facile ex subjecta materia intelligibilia. Tullius de hac ipsa re loquens idem sic expressit: (3) Eorum, *quæ adspectu sentiuntur, homo pulchritudinem venustatem convenientiam partium sentit: quam similitudinem natura ratioque ab oculis ad animum transferens, multo etiam magis pulchritudinem constantiam ordinem in consiliis factisque conservandum putat*. Exempla in probatione allata rem extra controversiam ponunt, eademque confirmari possunt ex similibus in aliis rebus. Ita cum de aliquo dicitur, esse vir magnanimus, aut peregisse magnum facinus, nemo concipit, illum habere animum per magnas dimensiones extentum, vel fabricasse turrim, aut montem aliquem transtulisse, etsi magnitudo ex sua prima institutione importet trinam dimensionem in longum latum & profundum.

101. In-

(1) Less. de Summ. Bono li. 2. ca. 16.
(2) Id. de Provid. nu. 42.
(3) Tull. de Offic. li. 1. ca. 4.

101. Instatur. Ita pulchitudo est nomen primo institutum ad significandam pulchritudinem corpoream, ut non possit nisi improprie transferri ad denotandam perfectionem rei spiritualis: Nam non præscindit hoc nomen a multitudine partium, quæ in re spirituali profecto nullæ sunt.

Resp. nego assumptum. Hujus autem probationem distinguo. Non sunt in re spirituali partes materiales, conc. non sunt partes, quæ dicuntur metaphysicæ seu essentiales, nego. Quemadmodum hoc nomen *totum* dividitur in multas quasi species, ut aliunde notum est, ita etiam hoc nomen *pars* dividitur in totidem respondentes species. Itaque etiam in spirituali toto, illius perfectiones propter distinctionem, quam inter illas facimus per rationem nostram, sunt suo modo partes, ipsisque inest suus splendor, æquivalenter seu virtualiter talis, quo etiam cæcis corpore modo suo resplendent, ut mente videri possint.

ARTICULUS II.

Argumenta pro pulchritudine corporea.

102. I. Juxta Ficinum, eosque qui cum eo sentiant, omnis pulchritudo per ipsum consistit in quadam superaddita gratia, saltem si sermo sit de pulchritudine creata: ergo illa gratia non superaddita, quandoquidem cum sit extrinseca essentiis rerum, potest non superaddi, nulla creatura quantum ad essentiam suam est pulchra, quod repugnat communi sententiæ, quæ admittit pulchritudinem essentialem (§. 45.) inseparabilem ab omni Dei creatura. II Ista gratia superaddita, in qua pulchritudo dicitur consistere, vel est aliquid Divinum, vel est aliquid creatum. Atqui nequit dici quod sit quid Divinum, tum quia nos videre Deum, dum aliquid pulchri videmus, est dictu ipso ridiculum: tum quia iterum sequitur substantias quas dicimus pulchras, ipsas de se nullam habere pulchritudinem; Si autem dicatur quod sit quid creatum, hoc vel est substantia aliqua corporea, jamque habemus substantiam aliquam corpoream esse de se pulchram, quod ipse non vult, vel est substantia aliqua spiritualis, jamque dicendum erit insidere in corporum etiam inanimatorum superficie spiritum quemdam, quod gratuito dicitur: vel est modus aliquis spiritualis, jamque dicendum erit substantias corporeas modificari, cum apparent pulchræ, per modos spirituales, quod ne intelligi quidem potest: ergo. III. Imago rei corporeæ, cum ab anima percipitur, dicitur statim ab

ab ipsa intelligi congruens vel dissonans ideæ pulchritudinis innatæ, & quando congruat, res affirmatur pulchra, contra vero quando dissonet, deformis: ergo independenter ab omni superaddita gratia, quæ sit rerum corporearum pulchritudo, illæ sunt pulchræ.

103. I. Objicitur. Pulchritudo est aliquid, quod percipitur vel a ratione, vel a visu, vel ab auditu: Sed singulæ hæ potentiæ percipiunt pulchritudinem esse quid spirituale: ergo. Minorem probat sic. Ratio percipit pulchritudinem non esse proprietatem materiæ, quia sub eadem quantitate potest corpus esse pulchrum aut deforme: Visus autem, auditus, & ratio ipsa sunt potentiæ spiritus & non corporis, quæ percipiunt corporea per eorum imaginem, quæ (1) *imago*, *inquit*, *in visu & animo* (& idem dicas de auditu juxta ipsius principia) *cum isti sint incorporei*, *corpus esse non potest*.

Resp. conc. maj. & nego min. Quod pertinet ad argumentum quo creditur suaderi prima ejus pars, scilicet rationem non posse percipere pulchritudinem esse proprietatem materiæ, illud supponit ab Adversariis dici, quod ea consistat in sola quantitate materiæ, quod nemo dicit. Argumentum autem primæ iterum & secundæ partis nullum est, tum quia ex eo, quod potentia sit spiritualis, non infertur, quod non cognoscat res corporeas, imo solius spiritus est illas cognoscere: tum quia visum & auditum esse potentias spiritus, non vero corporis est inauditum, & involvens insignem confusionem idearum in eo, qui sic loquitur, cujus dissipandæ non est hic locus.

104. II. Objicit. Pulchritudo quæ dicitur corporea consistit in ordine modo & specie (2): *Atqui tria hæc licet in materia sint*, *pars ulla corporis esse non possunt*: ergo pulchritudo licet sit in materia, pars ulla corporis non est: ergo est quid spirituale. Minor probatur: Pulchritudo non est ordo, quia hic non est membrum ullum, sed est partium decens distantia, quæ habetur per lineas, quæ non sunt corpus. Non est autem modus, quia modus est terminus corporis scilicet superficies, lineæque & puncta, quæ cum careant profunditate, non sunt corpora. Non est tandem species, quia hæc in luminum, umbrarum, linearum jucunda concordia, non in materia collocatur.

Resp. permitto totum syllogismum, & omitto ea omnia quæ ad illud explicandum adducuntur, sed nego ulteriorem consequentiam, quæ nullo modo descendit.

SE-

(1) Fic. in Conviv. Plat. orat. 5. ca. 3. (2) Id. ibid. ca. 6. pag. 258

SECTIO VI.

De Bonitate divisionis pulchritudinis corporeæ in visibilem dumtaxat & audibilem.

PROPOSITIO

Pulchritudo corporea bene dividitur in ordine ad solos sensus, visus, & auditus,

ARTICULUS

Argumenta pro propositione.

105. Ropositio est contra aliquos, qui de bonitate dubitant, contendentes posse etiam de odoribus & saporibus prædicari pulchritudinem. Nonne, inquiunt, Terentius dixit bellos cibos, & Columella bellissimum vinum? Et quisnam de barbarismo expostulabit, qui dicat bellum esse odorem rosarum? Etiam ad objecta tactus dixit Condillacus pertinere pulchritudinem, (1) *Pulchrum dicitur quicquid placet oculis auribus tactui*. Addunt, quod si frequentius inveniatur pulchritudo attributa per Latinos objectis visus & auditus, & perraro aliorum sensuum objectis, hoc accidit casu quodam, quia scilicet primi illius linguæ institutores, qui normam posteris dederunt, usi non fuerunt per quamdam incogitantiam eo modo loquendi, ut pulchros dicerent odores & sapores, sicuti pulchros dixerunt colores & pulchras voces. Quare fortasse, qui calleant alias linguas, invenient in illis contrarium usum Ita reapse Angli dicunt *a fine flavour* pulcher odor, & *a fine man*, pulcher homo.

106. Verum quod hi dicunt, non est opportunum; Nam bellus apud Latinos, ut observant Lexicographi, & Pallavicinus (2), est contractio hujus hominis *benulus*, quod est diminutivum adjectivi *benus*, ut primævi Latini dicebant, & nunc dicitur bonus. Igitur bellus est idem ac bonus, non vero idem ac pulcher. Unde sunt illa apud Tullium belle se habere, bellissime navigare,

(1) Cond. des Sensations par.4.ca.3 §.1. (2) Pall.del Bene li.2.ca.11.

gare, & alia multa. Jamque linguæ, quæ a Latina defluxerunt, ut Italica Hispanica Lusitanica & Gallica, siquando dicant bellos odores & bellissimos sapores, significant horum bonitatem aut optimitatem, non vero pulchritudinem. Nec Anglica exempla magis urgent; Nam illud adjunctum *fine* ipsi iidem in suis Lexicis explicant per pulchrum, cum dicitur de homine, at cum tribuitur odori, monent significare exquisitum & optimum.

107. Hactenus Adversariorum argumenta eversa sunt: propositionem jam directe probo sic. Pulchritudo corporea non potest tribui objectis sensuum tactus gustus & odoratus: ergo cum aliunde sine controversia tribuatur objectis visus & auditus, illa bene dividitur in ordine ad solum visum & auditum. Antecedens, quod pertinet ad tactum, suadetur ex eo, quod per illum non excitetur de objecto idea entis ita boni, ut constet diversis partibus seu attributis.

Nam objectum tactus est molle aut durum, leve aut asperum, quod erit humidum aut siccum, calidum aut frigidum, aut tactui ipsi contemperatum. Atque si tactui contemperatum sit, jam nulla excitabitur idea de hujusmodi qualitate, quia ne observabitur quidem. Si autem hæc aut alia ex dictis qualitatibus, quibus sit affectum observabitur, ipsius sensatio poterit esse molesta, certe quidem non producet delectationem propriam intellectus: ergo cum pulchrum sit, quod plures partes habet, quarum cognitio delectet, illud non cadit in objecta tactus.

108. Quod pertinet ad objecta gustus & odoratus, imprimis si bene animadvertamus, habet locum par ratio, ac de tactu dicta est; Ideæ enim nascentes ex affectionibus utriusque sensus non explicant diversitatem partium in sua quodammodo compositione. Illud additur, quod non satis diuturna sint hujusmodi bona, quæ sunt de genere boni delectabilis, & bonum quod pulchrum dicitur, videtur postulare quamdam quasi constantiam suæ existentiæ, ut conveniens apprehensio suorum attributorum, & eorum quasi comparatio cum se ipsis, & toto possit a nobis institui. Est tandem ea etiam particularis ratio, quod bonitas odorum & saporum alligata est individualibus circumstantiis subjecti pro tempore præsenti, in quo illud versatur. Ex quo fit, ut ne idem quidem homo possit affirmare, odorem aliquem aut saporem cibi vel potus alicujus esse sibi absolute gratum vel ingratum. Quivis enim odor relate ad illum, cujus organum aliquandiu eo affectum fuit, jam nullus evadit, nec amplius percipitur. Sapores autem qui nesciat cum condimento famis & sitis esse perquam suavissimos in rebus vilissimis: cum saturitate

vero

vero ingratos & molestos in maxime exquisitis, ille poterit rem explorare, quoties libuerit, & interea credere iis, quæ narrantur de Dario, qui sitiens in fuga bibit (1) *aquam turbidam & cadaveribus inquinatam, negans unquam se bibisse jucundius*, & de Ptolemæo quodam ex Regibus Ægypti, qui comitibus non consequutis, dum iter haberet, cibarium in casa panem comedit profitens *nihil visum illo pane jucundius*, & de aliis similibus. quorum ibidem meminit Tullius.

109. Confirmo totam hanc ratiocinationem ex S. Augustino, qui quærens, quare illud solum, quod visu aut auditu pulchrum est, dicatur etiam rationabile, non vero quod gustum tactum & odoratum delectat; (2) *Nemo enim*, inquit *non rideatur, si dixerit, rationabiliter olet, aut rationabiliter sapit, aut rationabiliter molle est*, censet caussam esse, quia sola voluptas, quæ hauritur per oculos aut aures pertinet ad rationem, quatenus sibi semper objicitur in hujusmodi objectis congruentia plurium partium diversarum, illud etiam observans, quod si partes non sint plures, *pure rationabile illud dicere non solemus, ut in istorum sensuum voluptate id ad rationem pertinere fateamur, ubi quædam dimensio est atque modulatio*.

COROLLARIUM.

110. PUlchritudo corporea limitatur ad sola objecta visus & auditus ex rationibus in probatione allatis, non ex ignota nobis voluntate Creatoris, & multo minus ex majori vi cognoscendi, quæ insit visui & auditui, quam aliis sensibus.

111. Corollarium est contra Yvonem Andre, qui in hac quæstione, cur divisio pulchritudinis corporeæ limitetur ad sola objecta visus & auditus (3) *aliam*, inquit, *rationem non video, nisi voluntatem Creatoris*: deinde est contra alios multo frequentiores, qui pro ratione afferunt imperfectiorem cognoscendi vim concessam aliis sensibus. S. Thomas hanc visus est afferre dicens (4) *illi sensus præcipue respiciunt pulchrum, qui maxime cognoscitivi sunt, scilicet visus & auditus rationi deservientes*, quem sequuti sunt Didacus de Rosis (5), Petavius, (6), & Benedictus Rogacci, ubi de pulchritudine copiose disserens dicit (7). *La vista e l'udito più degli altri sensi partecipano del ragionevole, e dell'intellettivo*.

(1) Tull. Tusc. li 5. nu. 97. col. 265.
(2) S. Aug. de Ordine li. 2 nu. 3.
(3) And. sur le Beau. ca. 1. §. D'abord.
(4) S. Tho. 1. 2. qu. 27. art. 1.
(5) Ros. Ethi. Chris. li. 1. ca. 3.
(6) Pet Theol. Dogm. de Deo li. 6. ca. 8. nu. 8.
(7) Rog. Uno neces. par. 1. ca. 27. n. 12.

112. Sequuti hi sunt præeuntes sibi veteres philosophos, qui sensibus apertissime facultatem cognoscendi, & etiam judicandi tribuerunt. Ex quibus tamen non omnes eodem modo rem explicarunt. Epicurus quidem & Zeno ipsismet sensibus tribuebant vim cognoscendi, quia ut ait S. Thomas (1) *nullam distinctionem ponebant inter sensum & intellectum, & utrunque corporeo principio attribuebant*. Materialistæ hi fuerunt. Hinc ut habemus ex Tullio Epicurus (2) *judicia rerum in sensibus posuit*, & Zeno tunc sensus sibi cognitionem efficere dicebat, quando impulsi ab objectis extrinsecis affectionem hanc, ut ipse ait, comprehenderent (3) *comprehensionem appellans similem iis rebus, quæ manu comprehenderentur*. Zenonem tamquam suum magistrum sequuti sunt aliqui Stoici. Ita Balbus unus ex his apud eumdem Tullium audiens esse, qui putarent pyramidem esse pulchriorem sphæra, reponit, illos *novum oculorum judicium habere*: & alibi (4) *oculi*, inquit, *in iis artibus, quarum judicium est oculorum, multa cernunt subtilius: colorum etiam & figurarum tum venustatem atque ordinem, & ut ita dicam decentiam oculi judicant atque etiam alia majora; Nam & virtutes & vitia cognoscunt, iratum propitium, latantem dolentem, fortem ignavum, audacem timidumque cognoscunt. Aurium idem est admirabile quoddam artificiosumque judicium, quo judicatur, & in vocis & in tibiarum nervorumque cantibus, varietas sonorum, intervalla, distinctio, & vocis genera permulta*, Et alter Stoicus Lucullus dicens (5) *in gustatu & odoratu intelligentia etsi vitiosa est quædam tamen*, tribuit simul & deprimit vim cognoscitivam & judicativam horum sensuum, & proinde illam aliorum non solum affirmat, sed etiam extollit. Atque nequis credat hæc dicta ab his fuisse, non quia sensus putarent vera præditos vi percipiendi & judicandi: sed ut exprimerent sensuum affectiones esse conditiones, sine quibus anima de quibusdam nec cogitat nec judicat, hæc habet idem Lucullus (6) *cum vim, quæ esset in sensibus explicabamus, simul illud aperiebatur, comprehendi multa & percipi sensibus, quod fieri sine assensione non potest*.

113. His materialistis opposuit se Plato, sed inadequate. Reliquit enim aliquo modo cognitionem sensibus, sed noluit illam procedere ab ipsimet organis corporeis, sed a principio incorporeo, quod illis insidere arbitrabatur. *Plato*, sic S. Thomas (7) *di-*

(1) S.Tho.1.par.qu.75.ar.3.o.
(2) Dul.de Fini.li.1.nu,22.col.62.
(3) Id.Acad.li.1.nu.41.col.12.
(4) Id.de Nat.Deo.li.2.nu.47.col.305.
(5) Id Acad.li.4.nu.20.col.23.
(6) Id.ibid.nu.37.col.27.
(7) S.Tho.1.par.qu.75.art.3.

distinxit inter intellectum & sensum, utrumque tamen attribuit principio incorporeo. Hinc ejus assecla Ficinus statuit sensus esse potentias animæ, quarum aliæ aliis essent perfectiores. Dixi aliqua supra (§. 95.) de hac Ficini opinione, quam nunc juvat distinctius referre, quippe proponit etiam rationes, quibus uti possent, qui contendunt visum & auditum participare quodammodo vim intellectivam (1) *Sex*, inquit, *ad cognitionem pertinentes vires animæ numerantur ratio visus auditus olfactus gustus & tactus. Tres ad corpus & materiam potius. tactus scilicet & gustus & odoratus: tres autem aliæ ratio videlicet & visus & auditus ad spiritum pertinent*. Tres primas tribuit Ficinus corpori, quia sensibilia tantum cognoscere existimat, tres autem reliquas spiritui, quia etiam quæ sunt supra omnem materiam putat percipere, ut alibi (2) jam adnotavi. Quamobrem planum jam esse dicit, cur pulchritudo sit triplex solum, spiritualis, visibilis, & audibilis juxta tres celebres Græcorum Charites Aglajam Thaliam, & Euphrosinem, in quibus ingeniose reperit triplicis pulchritudinis figuras: Hæc ille.

114. Fuit qui putavit non ita vere dici, quod S. Thomas in eorum sententiam iverit, qui tribuunt organis sensoriis facultatem cognoscendi, propterea quod non dixit absolute, *maxime cognoscitivi sunt visus & auditus*: sed addidit *rationi deservientes*, ex quibus voluit colligi, ipsum non tribuere vim cognoscitivam sensibus, sed significare, illis, & maxime oculis & auribus indigere animam pro statu suæ cum corpore unionis ad usum rationis, quæ est vis faciendi cognitiones abstractas & universales. Equidem non solum ultro accipiam benignam interpretationem quæ veritati tollat tantum adversarium: sed ad eam promovendam commemorabo quod alibi (3) retuli, haberi apud S. Thomam hoc dogma (4) *quod immaterialitas alicujus rei est ratio, quare sit cognoscitiva*. Quod siquis diceret ibi cognoscitiva dici pro intellectiva, occurrit altera ejusdem doctrina, in qua agens de anima brutorum certe non intellectiva, cui tribuit sensationes & appetitiones, de sensationibus quidem negat eas fieri per qualitates corporeas, quæ inquit (5) *requiruntur solum ad debitam dispositionem organi*: & de appetitionibus dicit ad eas (6) *requiri spiritualis animæ potentiam*. Idem in quæstionibus disputatis nomen sensus cum Avicenna quem citat sumit pro vi sentien-

Iii 2

(1) Fic.in Conviv.Plat.Orat.5.ca.2.
(2) De Ideis pag 118.
(3) De anim.bruto.115.
(4) S.Tho.1.p.qu.14.ar.1.
(5) Id.ibid.qu.78.ar.1.
(6) Id.ibid.ad 3.

tiendi distincta ab ipso organo corporeo, hinc dicit (1) *sensus nihil cognoscit nisi per organum corporeum*, & quem hic vocat sensum, paulo infra appellat potentiam sensitivam.

115. Nihilominus non video quam vere de aliis, quæ affatim occurrunt apud S. Doctorem negari possit, quod ea ibi non significent sensus sumptos pro ipsismet organis corporeis cognoscere. Talia sunt hæc (2) *Potentia sensitiva est actus organi corporalis*. (3) *Quædam cognoscitiva virtus est actus organi corporalis, scilicet sensus*. (4) *Dicendum quod sensus proprius judicat de sensibili proprio discernendo ipsum ab aliis, quæ cadunt sub eodem sensu, sicut discernendo album a nigro: sed discernere album a dulci non potest visus, quia oportet quod qui inter aliqua discernit, utrumque cognoscat*. Et alibi discrimen quidem inter vim cognoscendi sensuum, & intellectus in eo ponit, quod (5) *sensus non cognoscit esse nisi sub hic & nunc, sed intellectus apprehendit esse absolute, & secundum omne tempus*: quod clarius alibi sic expressit, (6) *sensus qui est vis corporalis cognoscit singulare quod est determinatum per materiam, intellectus vero, qui est vis a materia absoluta, cognoscit universale, quod est abstractum a materia*: rationem vero majoris perfectionis cognoscitivæ in visu & auditu, quam in aliis sensibus, in eo constituit, quod visus & auditus fiunt apti ad operationes suas exercendas per solam receptionem specierum intentionalium, quas supponit ab objectis imprimi in omni potentia cognoscitiva creata, quin ipsi sensus aut ipsorum objecta patiantur ullam aliam in se immutationem; neque enim oculus videns colorem fit coloratus, sicut tactus tangens calidum calefit, neque ut objectum coloratum fiat visibile, opus est aliquo modo alterari, quemadmodum hoc requiritur in iis quæ spirant odorem sensibilem: (7) *Visus*, sic ille, *quia est absque immutatione naturali organi & objecti est maxime spiritualis & perfectior inter omnes sensus & post hoc auditus*. Quod inferius ita repetit, ut simul approbet (8) quod hic jam docuerat. Mitto alia, quæ alibi (9) similia occurrunt.

116. Quando non possit negari in allatis testimoniis tribui a S Doctore organis sensoriis vim cognoscendi, illud meminisse oportet, quod idem tamquam regulam generalem statuit, quod circa opiniones Philosophicas, quarum falsitas in comperto jam est, & nihilominus apud Sanctos etiam Doctores reperiuntur,

(1) Id. de Veritat. qu. 1, art. 9.
(2) Id. 1. pa. qu. 78 art. 4. O.
(3) Id. ibi. qu. 85. ar. 1. o.
(4) Ib. ibid. qu. 78. art. 4. ad 2.
(5) Id. 1. par. qu. 50. ar. 1. ad 3.
(6) Id. 1. 2. qu. 2. ar. 6. o.
(7) Id. 1. par. qu. 78 ar. 3. o.
(8) Id. 1. par. qu. 85 ar 6. & 7. o. & qu. 87. art. 1.
(9) Id. ibi. qu. 84. ar. 2. o.

tur, (1) *Sancti hæc tradiderunt, non quasi asserentes, sed sicut utentes his, quæ in Philosophia didicerunt, unde non sunt majoris auctoritatis, quam dicta Philosophorum, quos sequuntur.*

117. Hujusmodi regula attendenda est non solum in scriptis Patrum, qui sententiis scholæ Platonicæ, cui studuerunt, passim utuntur, quin proinde dici debeant iisdem addicti, ut volunt aliqui, quibus Bruckerus (2) contradicit apud Trevoltianos (3), sed etiam in ipsis S Thomæ libris, qui quemadmodum advertit Card. Pallavicinus in quadam epistola ad Card. Roberti (4), cum scriberet ea ætate, qua peripateticam philosophiam Academiæ omnes profitebantur, Theologicas assertiones per rationes naturales secundum recepta Aristotelis dogmata plerunque comprobavit, non quia depravato sui temporis genio voluerit indulgere, ut censuit Constantinus Grimaldi apud Benedictum Aletinum ipsius impugnatorem (5), neque quia eadem habuerit pro absolute veris, quæ fuit ipsis Aletini (6) cum plerisque peripateticis gratuita assumptio, & ipsi S. Thomæ ut vidimus opposita, sed ut facilius studiosorum animos sacra etiam doctrina imbueret, delibatis tantummodo propriis ipsi principiis, quæ sunt Auctoritas Scripturæ Conciliorum & Patrum. Quam consuetudinem insistendi rationibus magis, quam hujusmodi authoritatibus laudabiliter, ut idem Pallavicinus alibi (7) suadet, constanter retinuerunt Scholæ Theologicæ, tum quia homo idem est ac ens ratione utens: tum quia veritates Fidei opus est defendere contra Ethnicos & Hæreticos, quorum primi soli rationi innituntur: secundi vero Scripturas tantummodo, & quidem ex parte recipiunt, cætera non curant.

118. Interea sicuti argumenta pro propositione, cujus est hoc corollarium probant frustra attributam esse visui & auditui vim cognoscendi majorem, quam aliis sensibus: ita argumenta, quæ excludunt omnem vim cognoscendi a materia; alibi (8) proposita aperte demonstrant vim hanc cognoscitivam plusquam falso fuisse excogitatam.

(1) S.Th.in 2.dist.14.ar.2.ad 1.
(2) Bru Hist.Philos.tom.3.
(3) Trev.an.1754.art.29.pag.623.
(4) Pall.Lettere pag.86.
(5) Alet.Lett.2.apologe.nu.19.
(6) Id.ibi.Lett.4.
(7) Pall.Vindic.ca.8.
(8) De Ideis.

L A U S D E O.

INDEX
RERUM
IN LIBRO DE BONO

NUMERI INDICANT PARAGRAPHOS.

A

B

C

Dam-

G

H

I

R

S

T

non

INDEX
RERUM
IN LIBRO DE MALO

NUMERI INDICANT PARAGRAPHOS.

A

B

N

O

P

R

S

T

V



INDEX RERUM IN LIBRO DE PULCHRO

NUMERI INDICANT PARAGRAPHOS.

Deo

Er-

pag.	lin.	ERRATA	CORRIGE
137.	1.	quos	nos
169.	23.	libidinoſum	libidinoſam
188.	37.	175	1751.
205.	22.	volutarie	voluntarie
245.	14.	Henuton	Heauton
290.	20.	aliudque	illudque
413.	30.	bt	ſit
425.	27.	Coelum	Coenum
447.	16.	ipſis	ipſius